853

UNIVERSITARIA
R. BIBLIOTECA
SCAFFALE
6
193
PADOVA
DONO
ORTO BOTANICO

Sebastiano Marsili

Mantua me genuit. Calabri rapuere. tenet nunc
Parthenope. cecini. pascua. rura. Duces.
D. M.
PUBLIUS * MARO * VIRGILIUS
HESIODUS.
HOMERUS.

VIRO
AMPLISSIMO ET EXCELLENTISSIMO
DN. BERNHARDO
VERZASCHÆ
DIVERSORUM S.R.I. PRINCIPUM
AC
REIP. BASILIENSIS
ARCHIATRO FAMIGERATISSIMO
HUIUSQ.
SCHOLARCHÆ GRAVISSIMO
SENATORI PRUDENTISSIMO
LITERARUM ET LITERATORUM
PATRONO
TUTORI
FAUTORI NULLI SECUNDO
NOVAM HANC VIRGILII EDITIONEM
IN DEBITI OBSEQUII
DEVOTI CULTUS
SINGULARIS OBSERVANTIÆ
TEKMHPION
D. D. D.
JENR. WETSTENIUS.

P. .·. VIRGILII MARONIS
* BUCOLICA.

.. Ecloga I. cui nomen
TITYRUS.

ARGUMENTUM.

QUum Virgilius, cujus perſonam hic ſuſtinet Tityrus paſtor, agrum vicinum Cremonæ amiſiſſet, Romam venit: ubi quum ſua eum carmina Mecœnati commendaſſent, Mecœnas autem Auguſto, agrum recuperavit. Tityrum igitur felicem eſſe prædicat paſtor Melibœus, (ſub cujus nomine cæteri quoque paſtores Mantuani intelliguntur) & ſuam contra calamitatem deplorat, finibus ſuis a milite veterano pulſus. Ipſe autem Tityrus ſe tanti beneficii autorem colere & ſemper culturum eſſe profitetur.

MELIBOEUS, TITYRUS.

ME. [a] TItyre, tu patulæ [b] recubans ſub tegmine fagi,
[c] Sylveſtrem tenui muſam meditaris avena.
Nos patriæ fines, & dulcia linquimus arva:
Nos [d] patriam fugimus: tu Tityre [b] lentus in umbrâ,
Formoſam reſonare doces [e] Amaryllida ſylvas.
TI. O [f] Melibœe, [g] *deus nobis hæc otia fecit.*
Namque erit [g] ille mihi ſemper deus: illius aram
Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.
* Ille meas errare boves (ut cernis) & ipſum
Ludere quæ vellem calamo permiſit agreſti.
ME. Non equidem invideo, miror magis: undique totis
Uſque adeo turbatur agris. en ipſe capellas

.·. Ab antiqua Virginiorum familia diminutivum deduxerim potius quam cum Grammaticis a virginea modeſtia, unde & Parthenius dictus, vel a virga laurea; vel a Vergiliis. unde Vergilium ſcribi oportere contendit Aug. Politianus. 7. cap. Miſcell.

* Subintellige ἔπη. a βούκολος bubulcus q. d. carmina paſtoralia.

.. Ab εἴκω & λέγω. An quod hæc Bucolica e Theocriti Eidylliis excerpta ſunt? ut vult Turnebus 9. l. Adver. c. 22. An potius quod ex incondita turba eorum, quæ ſubito excidiſſent calore, ſelecta quædam & concinniora ἐκλογὰς appellare placuit? ut cenſet I. C. Scalig. 1. Poet. c. 4.

[a] E Theocriti Eidyl. 3. adoptatum poetæ noſtro nomen, paſtori ſatis aptum, cum Tityrus Libyce *hircum*, Dorice *ſatyrum* ſignificet & *tibiam*. Athenæus lib. 4. [b] Summo in ocio & ſecuritate reſupinus, & membra ſtratus in umbra. [c] Ruſticum carmen μελιτᾷς, exerces, ludis. [d] Τὼ πατρίδα φεύγομεν, agris exuti patrium ſolum exilio mutamus. infra verſ. 65. [e] Nomen amicæ tuæ. vel carmen de amica compoſitum. *Alleg.* Romam. infra 9. [f] ὦ μέλε τῶν βοῶν. [g] Octavius Cæſ. qui mihi propter beneficentiam in reddendis agris, indulto ocio ac libertate, numinis inſtar eſt, eritque. Cui præſenti & in vivis divini honores habiti. Hor. 1. Ep. l. 2. & Sueronius c. 59. * Vide Senecam de beneficiis, l. 4. cap. 6. & Scal. poet. l. 4. c. 19.

h Protenus æger ago, hanc etiam vix Tityre duco.
Hic inter denſas corylos modo namque gemellos,
Spem gregis, ah, ſilice in nuda connixa reliquit.
Sæpe malum hoc nobis, ſi mens non *i* læva fuiſſet,
De cœlo * tactas memini prædicere quercus,
k Sæpe ſiniſtra cava prædixit ab ilice cornix.
Sed tamen iſte deus qui ſit, *l* da, Tityre, nobis.
TI. Urbem, quam dicunt Romam, Melibœe, putavi
Stultus ego *m* huic noſtræ ſimilem, *n* quo ſæpe ſolemus
Paſtores ovium teneros depellere fœtus.
Sic canibus catulos ſimiles, ſic matribus hœdos
Noram ſic parvis componere magna ſolebam.
Verum hæc tantum alias inter caput extulit urbes,
Quantum lenta ſolent inter viburna cupreſſi.
ME. *o* Ecquæ tanta fuit Romam tibi cauſa videndi?
TI. Libertas: quæ, ſera tamen, reſpexit inertem,
p Candidior poſtquam tondenti barba cadebat:
Reſpexit tamen, & longo poſt tempore venit:
q Poſtquam nos Amaryllis habet, Galatea reliquit.
Namque (fatebor enim) *r* dum me Galatea tenebat,
Nec ſpes libertatis erat, nec cura peculî.
Quamvis multa meis exiret victima ſeptis,
Pinguis & ingratæ premeretur caſeus urbi,
Non unquam gravis ære domum mihi dextra redibat.
ME. *ſ* Mirabar quid mœſta deos, Amarylli, vocares.
Cui pendere ſua patereris in arbore poma:
Tityrus hinc aberat, ipſæ te, Tityre, pinus,
Ipſi te fontes, ipſa hæc arbuſta vocabant.
TI. Quid facerem? neque ſervitio me exire licebat,

h Longe hinc, vel prægredientes longe. quaſi porro tenus. Serv. alii. *Protinus*. i. valde. & apponunt τῷ æger.

i Stulta & veſana.

* Fulguritas, fulminitas.

k Rejicitur hic verſus pro adulterino, neque eum agnoſcunt plerique codices vet. iiſdem tamen pene verbis concipitur Eclog. 9. Poterit ergo jus tueri ſuum. Et cornix a ſiniſtra (teſtibus Cic. 1. 1. de Divinat. & Plauto in Aſinaria) ratum fecit malum fulminatæ quercus omen.

l Dic, uti *accipe* pro *audi*.

m Mantuæ.

n Quo agnos lacte depulſos agere ſolemus. vid. v. 34. infra.

o Al. *Et quæ*.

p Cum Virgilius Bucolica ſcripſerit juvenis, τὸ *Candidior* alii ad libertatem detorquent. alii *lanuginem primam* intelligi volunt. Quoniam vero eum poſtea Melibœus ſenem bis vocat, Turnebus l. 2. c. 26. ſentit Poetam (cum ſe fingat ſervum, libertatis deſiderio Romam profectum) reſpexiſſe ad imaginem ſervorum; qui jam ætate grandiores vel etiam peculio ſuo, non raro libertatem conſecuti ſunt. Græci autem ſervos etiam ſenes appellabant παῖδας. Pollux. καλοῦνται παῖδες οἱ δοῦλοι, κἂν ὦσι πρεσβύτεροι.

q Ex quo Romam veni-, relicta Mantua. Roma autem triplici olim inſignita erat nomine; vulgato, Roma; arcano, Amaryllide; ſacro & rituali, Florentia, ceu Anthuſa. Ang. Politian. Epiſt. 2. l. 1. Sed vide Nannium miſcell. l. 6. c. 1.

r Dum Mantuæ quidem agerem, non pauca ingenii mei ſpecimina edidi, cum tamen nullo apud rudes meos municipes in precio eſſet ars mea, deplorata jam omni honoris, quæ artes alit, ſpe; languore confecta Muſa tacuit, excidit mihi carminis ſtudium, & cura,

ſ Mirabar quiſnam is eſſet, cujus nomine Romani Auguſto ſupplicarent, ut ſui illi manerent agri, video jam fuiſſe Virgilium, cui omnes ordines ſummis ſtudiis favent. Sed *Galatea* in quibuſdam Mſſ. haberi adferunt nonnulli, ſuadetque ratio; ut magis proprie dicantur hæc de Mantua quam Roma.

Nec

Nec tam præsentes alibi cognoscere divos.
Hic illum vidi [t] juvenem, Melibœe, [u] quotannis
Bis senos cui nostra dies altaria fumant.
Hic mihi responsum primus dedit ille petenti :
[x] Pascite, ut ante, boves, pueri, [y] submittite tauros.
ME. Fortunate senex, ergo tua rura manebunt,
Et tibi magna satis ; [z] quamvis lapis omnia nudus,
Limosoque palus obducat pascua junco.
Non insueta * graves tentabunt pabula [a] fœtas :
Nec mala vicini pecoris contagia lædent.
Fortunate senex, hic inter [b] flumina nota,
Et fontes [c] sacros frigus captabis opacum.
Hinc tibi, quæ semper vicino ab limite sepes
[d] Hyblæis apibus florem depasta salicti,
Sæpe levi somnum suadebit inire susurro.
Hinc alta sub rupe canet frondator ad auras.
Nec tamen interea raucæ, tua cura, palumbes,
Nec gemere aëria cessabit turtur ab ulmo.
TI. Ante leves ergo pascentur in * æthere cervi,
Et freta destituent nudos in littore pisces :
Ante, pererratis [e] amborum finibus, exul
Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim,
Quam nostro illius labatur pectore vultus.
ME. At nos hinc, alii [f] sitientes [g] ibimus Afros ;
[h] Pars Scythiam, & [i] rapidum Cretæ veniemus Oaxen,
Et [k] penitus toto divisos orbe Britannos.
En unquam patrios longe post tempore fines,
Pauperis & tugurî congestum cespite culmen,
Post aliquot (mea [l] regna) videns mirabor [m] aristas ?
[n] Impius hæc tam culta novalia miles habebit ?

[t] Augustum, quo nullum nomen præsentius, qui tanquam ex oraculo responsum dedit.
[u] Cujus immortale beneficium sacris ἐμμάνοις colo. cujus præsentissimo potentissimoque numini singulis Calendis rem facio divinam. supra. not. ad v. 6.
[x] Possessiones tuas recipe, & Musis vaca.
[y] Jugo ad arandum, Al. vaccis saliendis.
[z] Ut quæ a saxoso monte ad Mincium se extendant, ut Ecloga 9. vers. 7.
* Quæ in utero gestant, prægnantes.
[a] Quæ jam pepererunt partu levatas. [b] Padum & Mincium. [c] Omni enim fonti numen præesse credebatur propter perennem scaturiginem. [d] Synecdoche. Hybla autem mons erat Siciliæ thymo ad mellificia clarus. * Quod si detur audacia, *æquore* admiserim pro *æthere*, quo sibi respondeant antitheta. [e] ἀλλήλων i. permutatis sedibus Arar Parthiam, Tigris Germaniam alluet, vel Germani patria ejecti Parthiam incolent, Parthi Germaniam. E decoro autem inscitiæ pastoralis Gallicum fl. pro Germano positum, Armenium pro Parthico. [f] Ob calorem. [g] Adibimus. [h] Alii. [i] Vibius Sequester, Politianus cap. 37. Miscell. & Brodæus l. 1. c. 39. Oaxem Cretæ fl. statuunt. cujus tamen non meminerunt Ptolemæus, Plinius, Strabo, Mela. quod enim quidam habent fl. Mesopotamiæ rapidum albæ cretæ non placet. [k] A continenti divisos insulares. [l] Meos agros, possessiones meas. Ant. ad Crassum. i. de Oratore Cic. *Nisi in tuo regno essemus. Hoc humilis tugurii rusticum culmen æquitas animi regna fecerat.* Quintil. declam. [m] Spicas, messes, annos. Metalepsis. [n] Civili bello agros suos amissos imputat Mantuanus : indignatus tam cultos fundos cessuros militibus ; iisque forte barbaris, Gallis, Teutonibus, &c.

Barbarus has ſegetes ? en, quo diſcordia cives
Perduxit miſeros ; en queis conſevimus agros !
[o] Inſere nunc, Meliboœe, pyros, pone ordine vites !
Ite meæ, quondam felix pecus, ite capellæ.
Non ego vos poſthac viridi projectus in antro
Dumoſa pendere procul de rupe videbo :
Carmina nulla canam ; non me paſcente, capellæ
Florentem cytiſum & ſalices carpetis amaras.
TI. Hic tamen hanc mecum poteris requieſcere noctem
Fronde ſuper viridi. ſunt nobis mitia poma,
Caſtaneæ [p] molles, & [q] preſſi copia lactis.
[r] Et jam ſumma procul villarum culmina fumant,
Majoreſque cadunt altis de montibus umbræ.

[o] Apoſtrophe & Epitrophe ad ſe ſuoſque cives amara. q. d. Agite Mantuani, arbores ſerite, agros colite, vites maritate & diſponite, ut alieni tandem, vobis ejectis, fructus percipiant. [p] Maturæ ac recentes. [q] In caſeum coacti. [r] Sole enim occidente, fumi apparent craſſiores, umbræ montium majores.

Ecloga II. cui nomen * ALEXIS.

ARGUMENTUM.

Corydon paſtor, Alexidis pueri amore captus, nihil eorum prætermittit, quæ ad puerilem animum demulcendum, mutuumque amorem conciliandum, poſſunt pertinere : verum ubi ſe neque querelis, neque blanditiis, aut munuſculis quidquam proficere intelligit, tandem ad ſe rediens, dementiamque ſuam agnoſcens, ad intermiſſam rei familiaris curam ſibi ſtatuit revertendum : ut aſſueto labore infelicis ſui amoris (qui fere ex otio naſci ſolet) tædium diſcutiat. Sub Corydone autem (ſi Donato credimus) Virgilium ; ſub Alexide Alexandrum intelligimus, Pollionis puerum : quem ab eo poſtea dono accepit.

Formoſum paſtor Corydon [a] ardebat Alexin,
Delicias domini, nec, quid ſperaret, habebat.
Tantum inter [b] denſas umbroſa cacumina fagos
Aſſidue veniebat : ibi hæc [c] incondita ſolus
Montibus & ſylvis ſtudio jactabat inani.
O crudelis Alexi, nihil mea carmina curas,
Nil noſtri miſerere, mori me denique coges.
[d] Nunc etiam pecudes umbras & frigora captant ;
Nunc virides etiam occultant ſpineta lacertos :
[e] Theſtylis & rapido feſſis meſſoribus æſtu
Allia ſerpillumque, herbas contundit olentes.

* Mecœnatis fuiſſe puerum innuit Martialis l. 8. Ep. 56. Apul. 1. Apol. Pollionis. Lud. Vives tamen & N. Friſchlinus Cornelium Gallum ſignificari volunt. Apud Theocritum autem (quem ſibi imitandum in Bucolicis proponit noſter) Æpolus ſe ab Amaryllide ſpretum queritur. 3. Idyl. [a] Helleniſm. ut ἤθεν Sophocles, ἔφλεγεν Moſchus. cujuſmodi verba Em. Alvarez appellat neutroactiva. [b] Habentes denſa & umbroſa cacumina. [c] Indigeſta, temere effuſa, abrupta. [d] Cum cæteri omnes, pecudes, lacerti, meſſores refrigerium ſuum & requiem nacti ſunt adverſus meridiani ſolis rabiem ; ego ſolus, niſi quando concinant cicadæ, dum te inquies quærito, foris æſtu, intus amore ardeo. [e] Mulier ruſtica moretum apparat pranſuris & interquieſcentibus meſſoribus.

At

At mecum raucis, tua dum veſtigia luſtro,
Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.
Nonne fuit ſatius triſtes Amaryllidis iras
Atque ſuperba pati faſtidia? nonne Menalcam?
Quamvis ille niger, quamvis tu candidus eſſes.
O formoſe puer, *nimium ne crede colori*:
Alba *f* liguſtra cadunt, *g* vaccinia nigra leguntur.
Deſpectus tibi ſum, nec quis ſim, quæris, Alexi:
Quam dives pecoris nivei, quam lactis abundans.
Mille meæ *h* Siculis errant in montibus agnæ:
Lac mihi non æſtate novum, non frigore defit.
Canto, quæ ſolitus, ſiquando armenta vocabat,
i Amphion Dircæus in *k* Acteo Aracyntho.
Nec ſum adeo informis, *l* nuper me in littore vidi,
Quum placidum ventis ſtaret mare: non ego Daphnim
Judice te metuam, ſi nunquam fallit imago.
O tantum libeat mecum tibi ſordida rura
Atque humiles habitare caſas, & figere *m* cervos,
Hœdorumque gregem viridi compellere *n* hibiſco.
Mecum una in ſylvis imitabere Pana canendo.
Pan primus calamos cera conjungere plures
Inſtituit; Pan curat oves, oviumque magiſtros.
Nec te pœniteat calamo *o* triviſſe labellum:
Hæc eadem ut ſciret, quid non faciebat Amyntas?
Eſt mihi *p* diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula, Damœtas dono mihi quam dedit olim,
Et dixit moriens: Te nunc habet iſta ſecundum.
Dixit Damœtas, invidit ſtultus Amyntas.
q Præterea duo nec tuta mihi valle reperti
Capreoli, ſparſis etiam nunc pellibus albo,
Bina die ſiccant ovis ubera; quos tibi ſervo.

f Liguſtri fruticis flores, qui candidi: Maſſarius, Junius Broleus 4. lib. 18. cap.
g Alii mora agreſtia ſtatuunt vaccinia, alii nigras violas & hyacinthos. vertiſſe ſcil. Virgilium quod ſcripſit Theocritus Eidyll. 10. Καὶ τὸ ἴον μέλαν ἐντὶ, καὶ ἀγραπτὰ ὑάκινθος.
h Imitatione Theocriti Siculi quem ſe in his Bucolicis imitari profitetur Virgilius, ut & inſequenti verſu. τυρὸς δ' οὐ λείπει μ' οὔτ' ἐν θέρει οὔτ' ἐν ὀπώρῃ, οὐ χειμῶνος ἄκρῳ.

10. Eid. *i* Filius Jovis & Antiopæ arte muſica inſignis utpote qui citharæ ſono Thebana mœnia ſtruxit. Dircæus, Thebanus, a Dirce fonte Bœotiæ. *k* Παραθαλασσίῳ. littorali promontorio prærupto, ſcopuloſo, ab ἀκτὴ ut 5 Æn. *At procul in ſola ſecretæ Troades acta.* Aracynthum autem agnoſcimus Bœotiæ montem, cum Stephano, non Acarnaniæ, nedum Atticæ. *l* In aqua tanquam ſpeculo contemplatus ſum. Ἡ γὰρ πρὰν ἐς πόντον ἐσέβλεπον, ἧς δὲ γαλάνα. Theocr. 6. Eidyl. *m* Ἐλάφους βάλλειν, venari. Quidam de ſurculis intelligi volunt, quibus ædes ruſticæ ſuſtentantur. neſcio in ſubtiliori ſenſu quam veriori. *n* Ad Hibiſcum malvam ſylveſtrem, paſtum ſcil. nec me movent qui exponunt, baculo ex hibiſco. *o* χείλεα θλίβειν, Theocr. 24. Eidyl. *dum labro calamos percurrit hiantes.* Lucret. 4. lib. *p* An quia ad internodia qua junguntur cera cannæ, quæ excipiunt ſuperiores cannas? an quia junctæ ex ſeptenis cannis ad alæ figuram, aliæ aliis longiores eſſent ad diſcrimina vocum, qualem videmus Organorum ſeriem? Tibul. 2. lib. 5. El. *q* Ἡ μάντοι λευκὰν διδυματόκον αἶγα φυλάσσω. Theocr. 3. Eidyl.

Jampridem à me illos abducere Theſtylis orat:
Et faciet, quoniam ſordent tibi munera noſtra.
Huc ades ô formoſe puer. tibi lilia plenis,
Ecce, ferunt Nymphæ calathis: tibi candida Naïs
r Pallentes violas, & ſumma papavera carpens,
Narciſſum, & florem jungit bene olentis anethi.
Tum caſia atque aliis intexens ſuavibus herbis,
Mollia luteola pingit vacinia caltha.
Ipſe ego cana *ſ* legam tenera lanugine mala,
Caſtaneaſque nuces, mea quas Amaryllis amabat.
Addam *t* cerea pruna, & honos erit huic quoque pomo.
Et vos ô lauri carpam, & te proxima myrte;
Sic poſitæ quoniam ſuaves miſcetis odores.
Ruſticus es Corydon, nec munera curat Alexis:
Nec, ſi muneribus certes, concedat *u* Iölas.
Eheu quid volui miſero mihi? floribus *x* Auſtrum
Perditus, & liquidis immiſi fontibus apros.
Quem fugis ah demens? habitarunt, *y* dii quoque ſylvas.
z Dardaniuſque Paris. *a* Pallas, quas condidit arces,
Ipſa colat: nobis placeant ante omnia ſylvæ.
Torva leæna lupum ſequitur, lupus ipſe capellam:
Florentem cytiſum ſequitur laſciva capella;
b Te Corydon ô Alexi. *Trahit ſua quemque voluptas.*
Aſpice, *c* aratra jugo referunt ſuſpenſa juvenci,
Et ſol creſcentes decedens duplicat umbras:
Me tamen urit amor: *Quis enim modus adſit amori?*
d Ah Corydon, Corydon, quæ te dementia cepit?
Semiputata tibi *e* frondoſa vitis in ulmo eſt.
Quin tu *f* aliquid ſaltem potius, quorum indiget uſus,
Viminibus mollique paras detexere junco?
g Invenies alium, ſi te hic faſtidit Alexis,

r Λευκόϊα. *Virgilius viola pallor amantium.* Horat.
ſ Μῆλα χνοάοντα. vel cotonea.
t Flava vel mollia.
u Auguſtum innui volunt, dictumque Iolam quaſi Iūlum.
x Hortis inimicum. *Pubentesque roſæ primum moriantur ad Auſtrum.* Papin. 3. Sylv.
y Pan, Apollo, Liber, &c. apud Theocr. Eidyl. 8. & 24.
z Propter Hecubæ ſomnium expoſitus.
a Πολιὰς, ἐριοπῶλις imo ἀρχιτεκτονικὴς inventrix. Lucian. in Hermotimo & Oppian. in ἁλιεύτ. 2.
b Ἄγε δὴ κύτισον, ὁ λύκος τὰν αἶγα διώκει, ἁ χίμαιρα τὸν ὦροτρον. ἐγὼ δ' ἐπὶ τὴν μελίνναν. Theocr. 10. Eidyl.
c Adveniente nocte ſolis ardor remittitur, jugo ſolutis bobus adeſt quies: meus tamen non defervescit, non novit finem, non modum.
d Increpatio ſui, cum adhortatione ad opus faciendum, potentiſſimum remedium amoris: qui *gignitur luxu, otio nutritur*, &c. Senec. Hippol. Ω Κύκλωψ, Κύκλωψ, τὰ τὰς φρένας ἐκπεπότας. Theocr. 11. Eidyl. 1.
e Quam oportebat dudum frondibus nudatam, quo melius aprici matureſcerent racemi.
f Corbes, fiſcellas, calathos. Αἴκ' ἐνθὼν ταλάρως τε πλέκοως. Theocr. 11. Eidyl.
g Εὑρήσεις Γαλάτειαν ἴσως κ καλλίον' ἄλλαν, ibid.

Ecloga III. cui nomen PALAEMON.

ARGUMENTUM.

MEnalcas & Damœtas pastores, mutuis primum inter se conviciis certant: mox, interveniente Palæmone judice, Amœbæi carminis lege disceptant: ubi neuter vincitur, sed uterque alteri, Palæmonis sententia, exæquatur, ex 4. 5. & 8. Idyll. Theocriti.

MENALCAS, DAMOETAS, PALAEMON.

ME. [a] DIc mihi Damœta, Cujum pecus? an Melibœi?
DA. Non, verum Ægonis: nuper mihi tradidit Ægon.
ME. Infelix ô semper [b] ovis pecus, ipse Neæram
Dum [c] fovet, ac ne me sibi præferat illa; veretur;
Hic alienus oves custos bis mulget in hora:
Et succus pecori, & lac subducitur agnis.
DA. [d] Parcius ista viris tamen objicienda memento;
[e] Novimus & qui te, [f] transversa tuentibus hircis,
Et quo, sed faciles Nymphæ risere, sacello.
ME. [g] Tum credo, quum me arbustum videre Myconis,
Atque mala vites incidere falce novellas.
DA. Aut hic ad veteres fagos, quum Daphnidis arcum
Fregisti & calamos: quæ tu, perverse Menalca,
Et quum vidisti puero donata, dolebas;
Et, si non aliqua nocuisses, mortuus esses.
ME. [h] Quid domini facient, audent cum talia fures?
Non ego te vidi Damonis, pessime, caprum,
[i] Excipere insidiis, multum latrante [k] lycisca?
Et quum clamarem, Quo nunc se proripit ille?
[l] Tityre coge pecus: tu post carecta latebas.
DA. An mihi cantando victus non redderet ille,
Quem mea carminibus meruisset fistula caprum?
Si nescis, [m] meus ille caper fuit: & mihi Damon
Ipse fatebatur, sed reddere posse negabat.
ME. [n] Cantando tu illum? aut unquam tibi fistula cera
Juncta fuit? non tu in triviis, indocte, solebas
Stridenti miserum stipula disperdere carmen?

[a] Εἰπὲ μοι ᾧ Κορύδων τίνος αἱ βόες, ἦ ῥα Φιλώνδα; Οὐκ ἀλλ' Αἴγωνος, βοσκεν δέ μοι αὐτὰς ἔδωκεν Theocrit. 4. Eidyl.
[b] Oves, grex ovium.
[c] Dum amores Neæræ sequitur assiduus.
[d] Ego tamen vir sum, inquit Vesp. Suet. 13. cap. cave cui maledicas viro, ne si pergas, quæ vis dicere, ea, quæ non vis, audias.
[e] Novi enim qui te (scin' quid velim?) inclinarint; & quid passus sis ipsis hircis advertentibus; quod nisi faciles expertus fuisses luci Deas, violati sacelli protinus dedisses pœnas, ex Theocr. Eidyl. 5. Ἀνίκ' ἐπύγιζόν τυ, τύδ' ἄλγεες, αἱ δὲ χίμαιραι, &c. tanquam si invidissent hirci. [f] In transversum, transversim. Hellenism. [g] Non diluit objecta, sed alia Damœtæ objicit, idque Ironice, sua persona. [h] Quid tandem fiet de nobis qui domini sumus, si modo? &c. vel quid non ausurus est tuus herus Ægon, ubi servus ejus conductitius atque idem furax audeat talia? [i] Furari. [k] Cane, ex lupo & cane nato. [l] Eho, pastor, observa ne quid tibi depereat de grege. [m] Victoriæ meæ præmium. [n] Quasi vero tu indoctus illum viceris.

DA. *o* Vis ergo inter nos, quid possit uterque, vicissim
Experiamur? ego hanc vitulam (ne forte recuses,
Bis venit ad mulctram, binos alit ubere fœtus)
Depono: tu dic, mecum quo pignore certes.
ME. De grege non ausim quicquam deponere tecum:
Est mihi namque domi pater, est injusta noverca:
Bisque die numerant ambo pecus, alter & hœdos.
Verum id quod multo tute ipse fatebere majus,
(*p* Insanire libet quoniam tibi) pocula ponam
Fagina, cælatum *q* divini opus Alcimedontis:
r Lenta quibus torno facili super addita vitis,
Diffusos hedera vestit pallente corymbos.
In medio duo signa. *s* Conon, & *t* quis fuit alter,
Descripsit radio totum qui gentibus orbem:
Tempora quæ messor, quæ curvus arator haberet?
Nec dum illis labra admovi, sed condita servo.
DA. Et nobis idem Alcimedon duo pocula fecit,
Et molli circum est ansas amplexus acantho;
u Orpheaque in medio posuit, sylvasque sequentes.
Nec dum illis labra admovi, sed condita servo.
x Si ad vitulam spectes, nihil est quod pocula laudes.
ME. Nunquam hodie effugies: veniam quocunque vocaris,
Audiat hæc tantum vel qui venit, ecce, *y* Palæmon.
Efficiam, posthac ne quenquam voce lacessas.
DA. Quin age, si quid habes: in me mora non erit ulla,
Nec quenquam fugio. tantum vicine Palæmon,
Sensibus hæc imis *z* (res est non parva) reponas.
PA. Dicite: quandoquidem in molli consedimus herba:
Et nunc omnis ager, nunc omnis parturit arbos,
Nunc frondent sylvæ, nunc formosissimus annus.
Incipe Damœta, tu deinde sequere Menalca.
a Alternis dicetis, amant alterna Camœnæ.
DA. *b* A Jove principium Musæ, *Jovis omnia plena*:
Ille *c* colit terras, illi mea carmina curæ.
ME. Et me Phœbus amat: Phœbo sua semper apud me
Munera sunt, lauri, & *d* suave rubens hiacynthus.
DA. *e* Malo me Galatea petit lasciva puella,

o Χρήσδεις δ' ὧν ἐσιδεῖν, χρήσδεις καταθεῖναι ἄεθλον. Theocr. 8. Eidyl. 11

p Quoniam ἄμουσος musicum, asinus equum in campum provocare vis.

q Præstantissimi artificis.

r Hederæ corymbis & vitis pampinis inter se mutuo implicatis. Theocr. 1. Eidyl.

s Insignis Mathematicus, cujus meminere Archimedes in epistola ad Dositheum, Callimachus, & Catullus.

t Quem excidisse vel ignotum esse, pastori ex decoro tribuit Poeta. videtur fuisse Archimedes, aut Aratus, Eudoxus vel Hipparchus.

u Orphei imaginem, & fabulam, satis notam. *x* Mittamus pocula laudare, & deponamus uterque vitulam. *y* Non temere positum suum nomen postea gloriatus est Rhemnius Palæmon, sed præsagiente quasi Poeta fore aliquando omnium Poetarum judicem Palæmonem. *Sueton. lib. de Clar. Grammaticis.* *z* Cum de vitula simul agatur & gloria. *a* Μουσάων θ' αἳ ἄειδον ἀμειβόμεναι ἐπὶ καλῇ. Hom. Il. α. *b* Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα. Aratus & Theocr. Eidyl. 17. *c* Amat, curat, habitat. *d* Suaviter. Hellenism. *e* Ultro ad amoris commercia a Galatea allicior, id enim esse Græcis μήλοις βάλλειν indicat interpres Theocr. Eid. 6. & Scholiastes, Aristophanis.

Et fugit ad salices, & *f* se cupit ante videri.
ME. At mihi sese offert ultro meus *g* ignis Amyntas;
Notior ut non sit canibus jam *h* Delia nostris.
DA. Parta mea *i* Veneri sunt munera, namque notavi
Ipse locum, aëriæ quo *k* congessere palumbes.
ME. Quod potui, puero *l* sylvestri ex arbore lecta
m Aurea mala decem misi, cras altera mittam.
DA. O quoties & quæ nobis Galatea locuta est!
n Partem aliquam venti divum referatis ad aures.
ME. *o* Quid prodest, quod me ipso animo non spernis Amynta,
Si, dum tu sectaris apros, ego retia servo?
DA. Phyllida mitte mihi, meus est natalis, Iola:
p Quum faciam vitula pro frugibus, ipse venito.
ME. Phyllida amo ante alias, nam *q* me discedere flevit,
Et, longum formose vale, vale inquit, Iola.
DA. *r* Triste lupus stabulis, maturis frugibus imbres,
Arboribus venti: nobis Amaryllidis iræ.
ME. Dulce satis humor, *s* depulsis arbutus hœdis,
Lenta salix fœto pecori, mihi solus Amyntas.
DA. Pollio amat nostram, quamvis sit rustica, musam,
t Pierides *u* vitulam lectori pascite vestro.
ME. *x* Pollio & ipse facit nova carmina. pascite taurum,
Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.
DA. Qui te Pollio amat, veniat quo te quoque gaudet *y*:
z Mella fluant illi, ferat & rubus asper amomum.
ME. *a* Qui Bavium non odit, amet tua carmina Mævi,
Atque idem jungat vulpes, & mulgeat hircos.
DA. Qui legitis flores, & humi nascentia fraga,
Frigidus, ô pueri fugite hinc, latet anguis in herba.
ME. *b* Parcite oves nimium procedere, non bene ripæ
Creditur: ipse aries etiam nunc vellera siccat.
DA. Tityre pascentes à flumine reiice capellas:

f Non sine grata qualam protervitate.
g Cujus amore ardeo.
h Diana venationis Dea.
i Amicæ meæ.
k Nidum posuere. Nidamenta congessere. Plaut. in Rudent.
l In sylva reperta.
m Chrysomela, *vel* cydonia, citria, *aut* simpliciter mala ut t. Eid. Theocr. τοὶ ἐγὼ μᾶλα φέρω.
n Hæc, O venti interruntii ad Deos certe; grata sic. iis futura.
o Quid te juvant verba utut aurea, si ego vel alius quispiam veri amoris usumfructum capiat?
p Quum vitula cæsa Telluri pro frugibus sacra fecero. *q* Quando ego discedebam. Helleniſm. *r* Tristis res est. Dulcis res est. Helleniſm. Th. 8. Eid. *s* A lacte. *t* Musæ filiæ Pieri. vel propter amœnitatem & solitudinem Pierii montis Thessaliæ. *u* Bucolicis vitula, epicis taurus, tragicis hircus proponebatur carminis præmium. *x* Asinius Pollio vir consularis, summa in gratia apud Augustum, a quo impetraverat Virgilio agros suos, is tragœdiam & historias de bello civili scripsit. teste Horat. 2. lib. 1. od. *y* Subintelligit *pervenisse*: Pervenerat autem ad Consulatum & triumphum victis Salonis oppido Dalmatiæ. *z* Omnia feliciter cedant iis, qui Pollioni bene volunt. *a* Contra qui malis & trivialibus delectatur poetis, Bavio & Mævio, delectetur æque rebus absurdis, ita ut jungat aratro seu currui vulpes, mulgeatque hircos. *b* Ne finite, videte ne procedant.

Ipse, ubi tempus erit, omnes in fonte lavabo.
ME. Cogite oves pueri: si lac præceperit æstus,
Ut nuper, frustra pressabimus ubera palmis.
DA. Eheu quam pingui macer est mihi taurus in [c] arvo!
Idem amor exitium est pecori, pecorisque magistro.
ME. His certe neque amor causa est, [d] vix ossibus hærent:
Nescio quis teneros [e] oculus mihi fascinat agnos.
DA. [f] Dic quibus in terris (& eris mihi magnus [g] Apollo)
Tres pateat cœli spatium non amplius ulnas.
ME. Dic quibus in terris [h] inscripti nomina regum
Nascantur flores & [i] Phyllida solus habeto.
PA. [k] Non nostrum inter vos tantas componere lites.
Et vitula tu dignus & hic; & quisquis amores
Aut metuet [l] dulces, aut experietur [l] amaros.
[m] Claudite jam rivos pueri, sat prata biberunt.

[c] Al. *ervo*, quo legumine saginantur boves. Plin. 18.15. Dioscor. 1. 31.
[d] Τᾶς πόρτιος αὐτὰ λέλειπται τ' ὠστέα, Eidyl. 4. Theocr.
[e] Urens, malus, invidus, βάσκανος, ut qui e corde infenso per oculos emittat spiritus veneficos radios. [f] Vere dicit quod refert Criticus, respondisse Virgilium, se hanc Grammaticis crucem fixisse. Aliis enim est clibanus aut puteus Syenes, qui totus illuminatur Solstitii æstivi die medio, vel, alius quispiam puteus. vid. Brodæi Misc. 1. l. 7. Aliis. Cælii Sepulchrum. Aliis fossa in urbis Romæ centro qui Mundus dictus, tres tantum dies per annum patebat. [g] Cui reliqui Dii concesserunt, ut præter cæteros divinaret. Conjector peritus, qui ænigma solvat. [h] De Hyacintho intelligi volunt ex fab. Hyacinthi. 10. Met. Ovid. & fab. Ajacis. l. 13. de nummis sub Augusto cusis a Floro III. viro & flore vario inscriptis. De Cerda. [i] Quæ prius nobis amor communis. [k] Non sine utriusque laude neutrum pronunciat victorem: Cum tamen Menalcas difficiliores sustinuerit partes, quem oportuit ex lege Amœbæi vel prius distichon æquasse, vel etiam superasse. Theocr. 6. Idyll. [l] γλυκυπίκρους. [m] Allegorice, ut Catullus; *Claudite ostia virgines, lusimus satis.*

Ecloga IV. cui nomen Pollio.

ARGUMENTUM.

Asinius Pollio, ductor Germanici exercitus, quum post captas Salonas, Dalmatiæ civitatem, primo meruisset lauream, post etiam consulatum adeptus fuisset, eodem anno suscepit filium, quem a capta civitate Salonium vocavit: cui nunc Virgilius genethliacum dicit. Hæc Servius. Huc autem detorquet quæ Sibylla de futura aurei seculi felicitate cecinerat. Obiter tamen & Pollionis patris & ipsius etiam Augusti laudes admiscet. Nam quod dicit, Pacatumque r. p. v. o. de Augusto quidam intelligunt, qui a C. Jul. Cæs. fuit adoptatus. Alii hoc quoque ad Salonium referunt: & intelligunt principium magni anni quem cecinit Sibylla, procedere consulatu Pollionis, quo ille puer nascitur; ut magni menses sint magni anni menses.

Sicelides [a] Musæ, paulo majora canamus.
Non omnes arbusta juvant, humilesque myricæ.
Sic canimus sylvas, [b] sylvæ sint consule dignæ.

[a] Theocriteæ, pastorales.
[b] Bucolicum ut ut siet carmen, & ipsum tamen consule Pollione qui *amat nostram quamvis sit rusti.*
[a] *musam*, non indignum sit, sed & sylvarum cura ad Coss. pertinebat.

c Ultima Cumæi venit jam carminis ætas:
Magnus ab integro ſeclorum naſcitur ordo.
Jam redit & *d* virgo, redeunt *e* Saturnia regna:
Jam *f* nova progenies cœlo demittitur alto.
Tu modo naſcenti puero, quo ferrea primum
Deſinet, ac toto ſurget gens aurea mundo,
Caſta fave *g* Lucina: tuus jam regnat *h* Apollo.
Teque adeo decus hoc ævi, te conſule inibit,
Pollio, & incipient *i* magni procedere menſes.
k Te duce, ſi qua manent ſceleris veſtigia noſtri,
Irrita perpetua ſolvent formidine terras.
Ille deûm vitam accipiet diviſque videbit
Permiſtos heroas, & ipſe videbitur illis;
Pacatumque reget patriis virtutibus orbem.
l At tibi prima puer nullo munuſcula cultu,
Errantes hederas paſſim cum baccare tellus,
Miſtaque ridenti colocaſia fundet acantho.
Ipſæ lacte domum referent diſtenta capellæ
Ubera: *m* nec magnos metuent armenta leones.
Ipſa tibi blandos fundent cunabula flores:
Occidet & ſerpens, & fallax herba veneni
Occidet: Aſſyrium vulgo naſcetur amomum.
n At ſimul heroum laudes, & facta parentis
Jam legere, & quæ ſit poteris cognoſcere virtus:
Molli paulatim flaveſcit campus ariſta,
Incultiſque rubens pendebit ſentibus uva,
Et duræ quercus ſudabunt roſcida mella.
Pauca tamen ſuberunt priſcæ veſtigia fraudis,
o Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris
Oppida, quæ jubeant telluri infindere ſulcos.
Alter erit tum *p* Tiphys, & altera quæ vehat Argo
Delectos heroas: erunt etiam altera bella:
Atque iterum ad Trojam magnus mittetur Achilles.
q Hinc ubi jam firmata virum te fecerit ætas,
Cedet & ipſe mari vector nec nautica pinus

c Adimpletum eſt tempus Sibyllæ Cumanæ vaticiniis jam olim prædictum, quo ſiderum in ortum ſuum redeuntium confectis ſpaciis de novo incipiat magnus annus Platonicus, novuſque ineat orbis ab ætate aurea.
d Aſtræa, quæ terras prius reliquerat, Juſtitia.
e Ætas aurea.
f Heroes. vel ipſe Salonius, quæ de Chriſto vaticinata eſt Sibylla, transfert poeta ignarus ad filium Pollionis jam natum.
g Partus dea. *Juno Lucina fer opem.* Ter. And.
h Auguſtus.
i Menſes magni anni.

k De Salonio hæc ab aliis intelliguntur; ab aliis de Auguſto. *l* Ut mundi quaſi ver & infantia naſcenti puero conveniat. *m* Vide Sibyllinos verſus l. 7. Lactantii cap. 24. vide Eſaiæ cap. 11. *n* At ubi ad ætatis tuæ æſtatem adoleveris, Poeſi, Hiſtoriæ, Philoſophiæ initiandus: tum demum ætas aurea virtutes longius ac latius exercebit. *o* Quæ navigationem, urbium munitionem, agriculturam, militiam exerceant. *p* Fabricator & gubernator navis illius qua vecti aureum petebant vellus delecti Achivi, Αἰσονίδας, οἱ δ' αὐτῷ ἀριστῆες συνέποντο, Πᾶσαν ἐκ πολίων προλελεγμένοι. Theocr. Idyll. 13. *q* Ubi vero Salonius in virum evaſerit: perfecta ætatis aureæ ἀκμὴ, artibus & laboribus, periodum addet, tanquam non neceſſariis, poſtquam omnis fert omnia tellus.

Mutabit merces, omnis feret omnia tellus.
Non raſtros patietur humus, non vinea falcem:
Robuſtus quoque jam tauris juga ſolvet arator,
Nec varios diſcet mentiri lana colores:
Ipſe ſed in pratis aries jam [r] ſuave rubenti
Murice, jam croceo mutabit vellera [ſ] luto:
Sponte ſua [t] ſandyx paſcentes veſtiet agnos.
Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili fatorum numine Parcæ.
Aggredere ô magnos (aderit jam tempus) honores,
Chara [u] deûm ſoboles, magnum Jovis incrementum.
[x] Aſpice, convexo nutantem pondere mundum,
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum:
Aſpice, venturo lætentur ut omnia ſeclo.
O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus & quantum ſat erit tua dicere facta.
Non me carminibus vincet nec Thracius Orpheus,
Nec Linus: huic mater quamvis atque huic pater adſit:
Orphei Calliopea, Lino formoſus Apollo:
Pan Deus [y] Arcadia mecum ſi judice certet,
Pan etiam Arcadia dicat ſe judice victum.
Incipe parve puer [z] riſu cognoſcere matrem:
[a] Matri longa decem tulerunt faſtidia menſes,
Incipe parve puer: [b] qui non riſere parentes,
Nec Deus hunc menſa, dea nec dignata cubili eſt.

[r] Suaviter. ut Eclog. 3, verſ. 63. [ſ] Colore quem inficit Lutea herba. Plin. 33. l. c. 5. [t] Color flammeus: ſed factitius, quam tamen Virgilius herbam eſſe exiſtimavit, inquit Plin. 35. l. 6. cap. [u] Alumne Jovis, Διόγλυς, διοτρεφής. [x] Nutanti mundo ſuccurrat tua virtus. [y] Et muſicæ perita & ſua. *Pan deus Arcadiæ.* [z] Non id vult (inquit P. Bembus, quem ſecuti & alii) ut puer arrideat matri, ſed ut cognoſcat matrem ex ejus riſu. Expeditior tamen videtur Joſ. Scaligeri explicatio qua confirmat illud Catulli; *Torquatus, volo, parvulus Matris e gremio ſuæ Porrigens teneras manus Dulce rideat ad patrem.* Manifeſto, inquit, hortatur Virgil. puerum ut ad matrem rideat, non contra ut illi parentes. ſic Plaut. in Capt. *quaſi muti ſilent, neque me rident.* Vitalitatis quippe omen erat, ſi pueri ad parentes riderent. unde ſequitur: qui non riſere ad parentes, ex illis nullum dignatus eſt Genius menſa, neque Juno cubili. exploduntur ſc. Potitia & Edulia. Sed quis tandem componet dividuas interpretum? Quintil. l. 9. c. 3. Servii, Turnebi. 16, l. 13. c. Bembi in Culicem Virgilii, & Erythræi, Rami, Friſchlini, Politiani. 89. c. Miſcell. Ludov. de Cerda, Laudi, Ac illis Statii, Joſ. Scaligeri in Catull. [a] Riſu tuo compenſa faſtidia quæ tulit mater tua, jam decimo inchoante menſe partum enixa. [b] Al. *cui.*

Ecloga V. cui nomen DAPHNIS.

ARGUMENTUM.

MEna'cas & Mopſus paſtores Daphnidis, paſtoris Siculi, quem Mercurius genuit, Pan muſicam docuit, mortem deflent alterque ejus epitaphium, alter apotheoſin canit. Sunt qui per Daphnim Cæſarem Dictatorem intelligi putent, paulo ante quam hæc ſcriberet Poeta [a] tribus & viginti vulneribus

in

in curia confossum. Alii Quintilium Varum accipiunt, in Germania cum tribus legionibus cæsum. Alii Flaccum Maronem intelligi malunt, Virgilii fratrem: de quo exstat pervulgatum quidem illud, sed incerti autoris, distichon.

Tristia fata tui dum flet in Daphnide Flacci
Docte Maro, fratrem diis immortalibus æquas.

Salonium alii, cujus genethliacon superiore Ecloga cecinit, nunc vero ejusdem fato functi apotheosin canit. ad primum vero & undeviceſimum Theocr. Idyll. expressit hanc Eclogam noster.

MENALCAS. MOPSUS.

ME. CUr non Mopse (a boni quoniam convenimus ambo,
Tu calamos inflare leves, ego dicere versus)
Hic corylis mixtas inter consedimus ulmos?
MO. Tu major: tibi me est æquum parêre Menalca,
Sive sub incertas Zephyris motantibus umbras,
Sive antro potius succedimus: aspice, ut antrum
Sylvestris raris sparsit labrusca racemis.
ME. Montibus in nostris solus tibi certet Amyntas.
MO. Quid si idem certet Phœbum superare canendo?
ME. Incipe Mopse prior, si quos aut b Phyllidis ignes,
Aut c Alconis habes laudes, aut jurgia d Codri.
Incipe: pascentes servabit Tityrus hœdos.
MO. Imo hæc, in viridi nuper quæ cortice fagi
Carmina descripsi, & e modulans alterna notavi,
Experiar: tu deinde jubeto certet Amyntas.
ME. Lenta salix quantum pallenti cedit olivæ,
Puniceis humilis quantum saliunca rosetis:
Judicio nostro tantum tibi cedit Amyntas.
MO. Sed tu desine plura, puer: successimus antro.
f Exstinctum Nymphæ crudeli funere g Daphnim
Flebant: vos coryli testes, & flumina Nymphis,
Quum complexa sui corpus miserabile nati,
Atque deos atque astra vocat crudelia mater.
h Non ulli pastos illis egêre diebus
Frigida Daphni boves ad flumina, nulla neque amnem
Libavit quadrupes, i nec graminis attigit herbam.
Daphni, tuum k Pœnos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesque feri sylvæque loquuntur.

a Periti, ἐὸότες ἄμφω. Ἀμφισυρίσδειν ἐὸαπιδρίω ἀμφω ἀείδειν. Theocr. 8. Idyll.

b Amores Phyllidis: sitne illa quæpiam e pastoritiis fœminis; vel illa Demophoontis amore celeris. Ovid. 2. Ep.

c Cretenſis sagittarii usque adeo periti, ut serpentem Phalero filio implicitum sagitta confixerit, illæso filio.

d Regis Atheniensium, *pro patria non timidi mori.* Hist. nota. Val. Max. lib. 5. c. 6.

e Modo fistula, modo voce. desultoria opera *citharæ carmina dividens.* Horat. 1. l. 15. Od.

f Ἐπικήδιον Daphnidis incipit.

g Respice argumentum hujus Ecl.

h Ὥρεα δ' ἐστὶν ἄφωνα καὶ αἱ βόες, αἱ ποτὶ ταῦροις Πλαζόμεναι γόωνται καὶ οὐκ ἐθέλοντι νέμεσθαι. Theocr. 19. Idyll.

i Vid. Sueton. c. 81. Jul. Cæs. de equis pabulo abstinentibus a cæde Cæs.

k Τῆνον χ' ὦ κ' δρυμοῖα λέων ἀγέκλαυστε θανόντα, Idyll. 1.

l Daphnis & Armenias curru subjungere m tigres
Instituit: Daphnis n thiasos inducere Baccho,
Et o foliis lentas intexere mollibus hastas.
Vitis ut arboribus decori est, ut vitibus uvæ,
Ut gregibus tauri, segetes ut pinguibus arvis:
Tu decus omne tuis. postquam te fata tulerunt,
Ipsa p Pales agros atque ipse reliquit Apollo.
Grandia sæpe quibus mandavimus hordea sulcis
Infelix lolium, & steriles dominantur avenæ.
Pro molli viola, pro purpureo narcisso,
Carduus, & spinis surgit paliurus acutis.
q Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras,
Pastores: mandat fieri sibi talia Daphnis.
Et tumulum facite, & tumulo superaddite carmen.
r Daphnis ego in sylvis hinc usque ad sidera notus,
Formosi pecoris custos, formosior ipse
ME. Tale tuum carmen nobis, divine poëta,
Quale sopor fessis in gramine, quale per æstum
Dulcis aquæ saliente sitim restinguere rivo.
Nec calamis solum æquiparas, sed voce Magistrum.
Fortunate puer, tu nunc eris alter ab illo.
Nos tamen hæc quocunque modo tibi nostra vicissim
Dicemus, Daphninque tuum tollemus ad astra:
Daphnin ad astra feremus: amavit nos quoque Daphnis.
MO. An quicquam nobis tali sit munere majus?
Et puer ipse fuit cantari dignus, & ista
Jampridem * Stimichon laudavit carmina nobis.
ME. ſ Candidus insuetum miratur limen Olympi,
Sub pedibusque videt nubes & sidera Daphnis.
Ergo alacris sylvas & cætera rura voluptas
Panaque pastoresque tenet, Dryadasque puellas
Nec lupus insidias pecori, nec retia cervis
Ulla dolum meditantur: amat bonus otia Daphnis.
t Ipsi lætitia voces ad sidera jactant
Intonsi montes: r ipsæ jam carmina rupes,
s Ipsa sonant arbusta, Deus, deus ille, Menalca,
u Sis bonus, ô felixque tuis. en quattuor aras.
Ecce duas tibi Daphni, duoque altaria Phœbo.

l Hæc ad Jul. Cæs. referunt, quem Bacchi sacra ex Armenia Romam primum transtulisse volunt, sed non ego credulus illis. longe enim ante Cæs. scelerum hæc seminaria Romæ investigata a Coss. & vindicata refert Liv. + 9.

m Tigribus vehebatur Bacchus.

n Chorus Orgia celebrantium vociferatione & saltu, θιάσους.

o Thyrsos, hastulas pampinis ac hederæ foliis vestitas.

p Pastorum dea.

q E more funerum, in quibus spargebantur flores, tumulis inferebantur virentes arbores, fontibus injiciebantur corollæ.

r Ἐπιτάφιον Daphnidis, sic Theocr. 1. Edyll. Δάφνις ἐγὼν ὅδε τῆνος ὁ τὰς βόας ὧδε νομεύων. * Pastor quispiam. ſ Ἀποθέωσις Daphnidis. Allusum forte ad circulum lacteum; ubi Heroas suos post fata habitare opinabatur antiquitas. t Polyptoton, ipsi, ipsæ, ipsa, ut Eclog. 1. u Γλαθι γωῦ φιλ' Ἀδωνι, Idyll. 15.

x Pocula

x Pocula bina novo ſpumantia lacte quotannis,
Crateraſque duos ſtatuam tibi pinguis olivi:
Et multo inprimis hilarans convivia Baccho,
Ante focum, ſi frigus erit; ſi meſſis, in umbra.
Vina novum fundam calathis y Ariüſia z nectar.
a Cantabunt mihi Damœtas, & Lyctius Ægon:
Saltantes ſatyros imitabitur Alpheſibœus.
Hæc tibi ſemper erunt, b & cum ſolemnia vota
Reddemus nymphis, & cum luſtrabimus agros.
Dum juga montis aper, fluvios dum piſcis amabit;
Dumque thymo paſcentur apes, dum rore cicadæ,
Semper honos, nomenque tuum, laudeſque manebunt.
Ut Baccho, Cererique, tibi ſic vota quotannis
Agricolæ facient: c damnabis tu quoque votis.
MO. Quæ tibi, quæ tali reddam pro carmine dona?
d Nam neque me tantum venientis ſibilus Auſtri,
Nec percuſſa juvant fluctu tam littora, nec quæ
Saxoſas inter decurrunt flumina valles.
ME. Hac te nos fragili donabimus ante cicuta.
Hæc nos, e Formoſum Corydon ardebat Alexin:
Hæc eadem docuit, e Cujum pecus? an Melibœi?
MO. At tu ſume pedum (quod, me cum ſæpe rogaret,
Non tulit Antigenes: & erat tum dignus amari)
Formoſum paribus nodis atque ære, Menalca.

x Στάσω δὴ κρητήρα μέγαν λευκοῖο γάλατος Idyll. 5. tanquam Lari.
y Ἀριουσία χώρα ager Chius inſ. optimi vini feraciſſimæ.
z Vinum Nectaris æmulum.
a Ἀυλησεύντι δέ μοι δύο ποιμένες, &c. Eidyll. 7.
b Ubi pro frugibus faciemus hoſtia Ambarvali.
c Tu etiam potens præſenſque numen obligabis, obnoxioſque reddes Agricolas, compotes factos votorum: quæ concipiunt, ſolvunt & debent tamen uſque rei. d Ἀδιον ὦ ποιμὰν, τὸ τεὸν μέλος, ἢ τὸ καταχὲς τὴν ἀπὸ τᾶς πέτρας καταλείβεται ὑψόθεν ὕδωρ. Theocr. Idyll. 1. e Synecdochice. v. ſecundam & tertiam Eclogas ſupra.

Ecloga VI. cui nomen SILENUS.

ARGUMENTUM.

SIlenum in hac Ecloga inducit, ebrium quidem illum, ut Bacchi educatorem decebat, ſed tamen perite ſecundum Epicuriorum opinionem de rerum primordiis canentem, idque in gratiam Quintilii Vari, qui (teſte Donato) una cum Virgilio huic ſectæ ſub Sirone Philoſopho operam dedit. Ceterum, quoniam hæc Bucolici carminis humilitati non ſatis conveniebant, ſtatim ab initio veniam precatur. neque ita multum argumento illi immoratus, ſtatim ad fabulas tranſit.

PRima a Syracuſio dignata eſt ludere verſu
Noſtra, nec erubuit ſylvas habitare, Thalia.
Cum canerem reges & prælia b Cinthius aurem
Vellit, & admonuit: Paſtorem, Tityre, pingues
Paſcere oportet oves, c deductum dicere carmen.
Nunc ego (namque ſuper tibi erunt, qui dicere laudes,

a Theocritum, qui Syracuſanus, Muſa mea imitata, Bucolica canere non erubuit. b Apollo admonuit. auris vero memoriæ dicata eſt, ut frons vel os pudori, dextra fidei, genua miſericordiæ, naſus irriſioni, &c. atque hinc credo, anteſtandi mos. c Tenue, humile. v. Macrob. & Erythræi indicem.

Vare,

Vare, tuas cupiant, & triſtia condere bella)
Agreſtem tenui meditabor arundine muſam.
Non injuſſa cano: ſi quis tamen hæc quoque, ſi quis
Captus amore leget, te noſtræ, Vare, *d* myricæ,
Te nemus omne canet: nec Phœbo gratior ulla eſt,
Quam ſibi quæ Vari præſcripſit pagina nomen.
Pergite Pïerides: *e* Chromis & Mnaſylus in antro
Silenum pueri ſomno vidêre jacentem,
Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Bacchо;
Serta procul tantum capiti delapſa jacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.
Aggreſſi (nam ſepe ſenex ſpe carminis ambos
Luſerat) injiciunt ipſis ex *f* vincula ſertis,
Addit ſe ſociam, timidiſque ſupervenit Ægle,
Ægle Naïadum pulcherrima; jamque *g* videnti
Sanguineis frontem moris, & tempora pingit.
Ille dolum ridens, Quo vincula nectitis? inquit:
Solvite me pueri: ſatis eſt potuiſſe *h* videri.
Carmina quæ vultis cognoſcite: carmina vobis;
i Huic aliud mercedis erit: Simul incipit ipſe.
Tum vero *k* in numerum Faunoſque feraſque videres
Ludere, tum rigidas motare cacumina quercus.
Nec tantum Phœbo gaudet Parnaſſia rupes:
Nec tantum Rhodope miratur, & Iſmarus Orphea:
l Namque canebat; uti magnum per *m* inane coacta
n Semina terrarumque, *o* animæque mariſque fuiſſent,
Et liquidi ſimul ignis: ut his exordia primis
Omnia, & ipſe tener mundi concreverit orbis:
Tum durare ſolum, & diſcludere *p* Nerea ponto
Cœperit, & rerum paulatim ſumere formas.
q Jamque novum terræ ſtupeant lucеſcere ſolem:
Altius atque cadant ſummotis nubibus imbres:
Incipiant ſylvæ cum primum ſurgere, cumque
Rara per ignotos errent animalia montes.
Hinc *r* lapides Pyrrhæ jactos, *ſ* Saturnia regna,
t Caucaſeaſque refert volucres, furtumque Promethei,

d Paſtoritiæ Eclogæ. *e* Fictitia Satyrorum nomina, ſub quibus latent Varus & Virgilius Philoſophiæ Epicureæ ſub Silено operam dantes. *f* Neque enim niſi vincti vaticinabantur Silenus, Proteus, Faunus, cæteriquе ſemidei. *g* Expergefacto. *h* Quod invitis ipſis ſemideis, rarum & difficile; niſi deprehenſis. *i* Venerea merces, ſtuprum nympham manet. *k* In modum, quamvis *modus* proprie ad carmen, *numerus* ad ſaltationem pertineat. *l* Ἤιδεν δ' ὡν γαῖα καὶ οὐρανὸς, ἠδὲ θάλασσα τὸ πρὶν, &c. Apollon. 1. 1. *m* Chaos, ſpatium corporum capax Lucret. 1. *Magnam per inane ſoluta.* *n* Rerum primordia, elementa. ſic Lucret. l. 1. *Ex igni, terra, atque anima procreſcere, & imbri.* licet Epicurus Lucretii magiſter, ex aromorum concurſione gigni omnia cenſuerit. *o* Aeris. *p* Mare. Nereus enim Ponti, vel ut alii, Oceani & Tethios filius. *q* Et alia cœleſtia corpora canit: Meteora, plantas, animalia, &c. *r* Diluvium, & genus humanum reparatum. *ſ* Aurea ſecula. *t* Aquilas, aut vultures tondentes jecur Promethei Caucaſo alligati, idque Jovis imperio, a quo ignem furto detulerat.

His

His adjungit, [u] Hylam [x] nautæ quo fonte relictum
Clamassent: ut littus, Hyla Hyla omne sonaret:
Et fortunatam, si nunquam armenta fuissent,
[y] Pasiphaën nivei solatur amore juvenci.
Ah [z] virgo infelix, quæ te dementia cepit?
[a] Prœtides implerunt falsis mugitibus agros:
At non tam turpes pecudum tamen ulla secuta est
Concubitus: quamvis collo timuisset aratrum,
Et sæpe in levi quæsisset cornua fronte.
Ah virgo infelix, tu nunc in montibus erras:
Ille latus niveum molli fultus hyacintho
Ilice sub nigrâ pallentes ruminat herbas:
Aut aliquam in magno sequitur grege. [b] claudite nymphæ
[c] Dictææ, nymphæ nemorum jam claudite saltus.
Si qua forte ferant oculis sese obvia nostris
Errabunda bovis vestigia: Forsitan illum
Aut herbâ captum viridi, aut armenta sequutum
Perducant aliquæ stabula ad [d] Gortynia vaccæ.
Tum canit [e] Hesperidum miratam [e] mala puellam.
Tum [f] Phaëthontiadas musco circundat amaræ
Corticis, atque solo proceras erigit alnos.
Tum canit errantem [g] Permessi ad flumina [h] Gallum,
[i] Aonas in montes ut duxerit una sororum,
Utque viro [k] Phœbi chorus assurrexerit omnis:
Ut [l] Linus hæc illi divino carmine pastor,
Floribus atque apio crines ornatus amaro,
Dixerit; Hos tibi dant calamos (en accipe) Musæ,
[m] Ascræo quos antè seni: quibus ille solebat
Cantando rigidas deducere montibus ornos.
His tibi [n] Grynæi nemoris dicatur origo:
Ne quis sit lucus, quo se plus jactet Apollo.
Quid loquar [o] aut Scyllam Nisi, aut quam fama sequuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris

[u] Herculis amasium, a nymphis raptum, fonte submersum, & ab Hercule inclamatum, Theocr. 13. Id. τρὶς μὲν Ὕλαν ἄυσεν, &c. vide 1. Æn. *nec jam exaudire vocatos.*

[x] Argonautæ.

[y] Fab. notissima de Pasiphae, Minoe, Minotauro, Dædalo. vide Mythologos & nostrum 6. Æneid.

[z] Virginis nomen συνεκδοχικῇ καταχρήσει. inquit Ger. Voss. 14. Inst. Orat. iis tribuitur, quarum jam libata virginitas, ex autoritate Euripidis in Jove, Terentii in Hecyra, & nostri.

[a] Præti ex Sthenobæa filiæ quas a βυμανίᾳ seu ποιητανθρωπίᾳ sanæ menti restituit Melampus. Vitruv l. 8. c. 3. Politian. Misc. c. 50. [b] Ex persona Pasiphaes. [c] Cretenses. Dicte mons Cretæ. [d] Gortyna Cretæ oppidum. [e] Fab. Atalantæ ab Hippomene cursu victæ, dum 3. aurea mala ab illo projecta declinans tollit. Ovid Met. 10. [f] Phaethontis sorores cortice circundatas & in alnos versas canit. Met. 2. [g] Fl. ex Helicone monte Bœotiæ orti. [h] Cornelium Gallum oratorem & Poetam clarum de quo infra Eclog. 10. [i] Montes Bœotiæ. [k] Musæ in honorem assurrexerint. [l] Poeta eximius, Apollinis filius. [m] Hesiodo, oriundo Ascra vico Bœotiæ. [n] In finibus Ioniis Apollini consecrati juxta Clazomenas. [o] Hanc lectionem adstruunt Strabo l. 8. Lucretius l. 5. & Ovidius 3. l. Amorum 11. eleg. *Per nos Scylla patri canos furata capillos Pube premit rabidos inguinibusque canes.* Legi tamen in vet. codicibus ait Petrus Nannius Miscell. 6. l *aut Scyllam Nisi, aut quam fama secuta est*, & *Præterita cautus Niseide navita gaudet.* 2. Remed. Am.

p Ulyssis, Dulichii insulæ ducis.

q Verbi hujus gravitatem adversus Servium & Cornutum adsertam, vide apud Agellium lib. 2. c. 6. & ex illo Macrob. l. 6. c. 7. quamvis & ipse Poeta videatur allusisse ad etymon Scyllæ, a σκύλλω, vexo, infesto. *r* Fab. trita, Ovid. Met. 6. l. *s* Flu. Spartæ, juxta cujus ripas lauris consitas Apollo luxit Hyacinthum a se percussum disco. *t* Ut qui plura audiendi studio ægre feras, vesperum properare.

p Dulichias *q* vexasse rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis;
r Aut ut mutatos Terei narraverit artus?
Quas illi Philomela dapes, quæ dona pararit?
Quo cursu deserta petiverit, & quibus ante
Infelix sua tecta supervolitaverit alis?
Omnia, quæ Phœbo quondam meditante, beatus
Audiit *s* Eurotas, jussitque ediscere lauros,
Ille canit: pulsæ referunt ad sidera valles:
Cogere donec oves stabulis, numerumque referre
Jussit, & *t* invito processit vesper Olympo.

Ecloga VII. cui nomen MELIBOEUS.

ARGUMENTUM.

SUmptum est Eclogæ hujus argumentum ex Bucoliastis Theocriti. Inducit autem hic Poeta Melibœum pastorem referentem certamen Corydonis & Thyrsidis, cui (dum caprum, qui a grege deerraverat, quæreret) forte intervenerat, accersitus a Daphnide certaminis judice: quem secundum Corydonem pronunciasse innuit, cum ait ad finem Eclogæ: *Hæc memini & victum frustra contendere Thyrsin.* Per Corydonem autem Virgilium intelligi volunt: per Thyrsin, Theocritum aut alium quempiam.

CORYDON. THYRSIS.

a Stridula, fusurranti, ex leni ventorum sibilo mobilibus foliis inhorrentium.

b Εἰς ἕνα χῶρον Τὰν ἀγέλαν συνάγον. Theocr. Id. 6.

c Musica præstantes. *Musicam*, inquit Polybius, *universis utilem esse constat, Arcadibus necessariam.* & noster Eclog. 10. *Soli cantare periti Arcades.* *d* Τῶν ἀιγῶν ἀνήρ. Catachresis, ut Hor. od. 17. l. 1. *devoæ olentis uxor.* *e* Borders with Reed. *f* Jovi, vel Nymphæ, Dryadi.

FOrtè sub *a* argutâ consederat ilice Daphnis;
Compulerantque greges Corydon & Thyrsis in unum,
Thyrsis oves, Corydon distentas *b* lacte capellas:
Ambo florentes ætatibus, *c* Arcades ambo,
Et cantare pares, & respondere parati.
Hic mihi, dum teneras defendo à frigore myrtos,
d Vir gregis ipse caper deerraverat: atque ego Daphnim
Aspicio: ille ubi me contra videt, Ocyus, inquit,
Huc ades ô Melibœe (caper tibi salvus & hœdi)
Et, si quid cessare potes, requiesce sub umbrâ.
Huc ipsi potum venient per prata juvenci:
Hic viridis tenerâ *e* prætexit arundine ripas
Mincius, éque *f* sacra resonant examina quercu.

Quid

Quid facerem? *g* neque ego Alcippen, nec Phyllida habebam,
Depulsos à lacte domi quæ clauderet agnos:
Et certamen erat, *h* Corydon cum Thyrside, magnum:
Posthabui tamen illorum mea *i* seria ludo.
Alternis igitur contendere versibus ambo
Cœpere: *k* alternos Musæ meminisse volebant.
Hos Corydon illos referebat in ordine Thyrsis.
CO. Nymphæ, noster amor, *l* Libethrides, aut mihi carmen
Quale meo Codro, concedite: (proxima Phœbi
Versibus ille facit) aut si non possumus omnes,
Hic argutа *m* sacra pendebit fistula pinu.
TH. Pastores hedera crescentem ornate Poëtam
Arcades, invidia rumpantur ut ilia Codro:
Aut, si *n* ultra placitum laudarit, baccare frontem
Cingite, *o* ne vati noceat mala lingua futuro.
CO. Setosi caput hoc apri *p* tibi, Delia, parvus
Et ramosa Mycon *q* vivacis cornua cervi.
Si proprium hoc fuerit, levi de marmore tota
Puniceo stabis suras evincta cothurno.
TH. *r* Sinum lactis, & hæc te liba, Priape, quotannis
Expectare sat est: custos es pauperis horti.
Nunc te marmoreum pro tempore fecimus: at tu,
Si fœtura gregem suppleverit, aureus esto.
CO. *s* Nerine Galatea, thymo mihi dulcior Hyblæ,
Candidior cygnis, hedera formosior alba:
Cum primum pasti repetent præsepia tauri,
Si qua tui Corydonis habet te cura, venito.
TH. Imo ego *t* Sardois videar tibi amarior herbis,
Horridior rusco, projecta vilior alga,
Si mihi non hæc lux toto jam longior anno est,
Ite domum pasti, si quis pudor, ite juvenci.
CO. Muscosi fontes, & *u* somno mollior herba,
Et quæ vos rara viridis tegit arbutus umbra,
x Solstitium pecori *y* defendite: jam venit æstas
Torrida; jam læto turgent in palmite gemmæ.
TH. Hic focus, & tædæ pingues; hic plurimus ignis
Semper, & assidua postes fuligine nigri:

g Neque amicam aut uxorem, ut habuit uterque certantium, quæ claud. *h* Corydon quippe certator erat. sic Æneid. 5. *nunc tertia palma Diores.* & in Culice. *Fama vetus nunquam moritura per ævum Curius.*

i Capri desiderati investigationem.

k Ἀμοιβαίην ὑπολάμβανε Δάφνις ἀοιδήν Βωκολικάν Idyl. 8.

l Libethron. Plin. fons Magnesiæ; Pausaniæ, Bœotiæ; Musis sacer.

m Tanquam effœtus & emeritus professionis meæ arma fistulam hanc suspendam in hac pinu Cybele sacra.

n Ultra quam ipse placeam aut merear; aut ultra quam ipsi placet, & ea tantum mente ut me fascino urat. ut Plin. l. 7. c. 2. *o* Tanquam amuleto adversus fascinum linguæ. *p* Tibi, Diana, venationis dea, ex more & voto. *q* Τετρακοσιόγυε. v. Virg. epigr. de ætatibus animalium. *r* Vas. Græce δίνος. *s* Nerei filia. *t* Herbam quandam in Sardinia nasci ferunt apiastro similem, quæ comesa nervos contrahat, labiaque in rictum diducat, ita ut quasi ridentes moriantur. *u* Ὑπνῳ μαλακώτερε. Theocr. Idyl. 5. *x* Solis in Cancro summi æstum. *y* Arcete. sic enim & vox signare sonat Gallica, *défendre*: & vocis Latinæ usus obtinet, Horat. 17. od. 1. l. *Defendi æstatem capellis.* idem quod *Arcebit gravido pecori.* 3. Georg. & *Classes Aquilonibus arcet.* Hor. ad Pisones.

Hic

Hic tantum Boreæ curamus frigora, quantum
Aut ꝛ numerum lupus, aut torrentia flumina ripas.
CO. Stant & Juniperi & castaneæ hirsutæ:
Strata jacent passim sua quæque sub arbore poma:
Omnia nunc rident: [a] At, si formosus Alexis
Montibus his abeat, videas & flumina sicca.
TH. Aret ager: vitio moriens sitit aëris herba:
Liber Pampineas invidit collibus umbras:
[b] Phyllidis adventu nostræ nemus omne virebit,
[c] Jupiter & læto descendet plurimus imbri.
CO. Populus Alcidæ gratissima, vitis Jaccho,
Formosæ myrtus Veneri, sua laurea Phœbo;
Phyllis amat corylos: illas dum Phyllis amabit,
Nec myrtus vincet corylos, nec laurea Phœbi.
TH. Fraxinus in sylvis pulcherrima pinus in hortis,
Populus in fluviis, abies in montibus altis:
Sæpius at si me, Lycida formose, revisas,
Fraxinus in sylvis cedet tibi, pinus in hortis.
ME. Hæc memini & victum frustra contendere Thyrsin:
Ex illo Corydon, [d] Corydon est tempore nobis.

ꝛ Neque enim parcit numeratis, neque timet numerum.

a Αν ἀφέρπῃ Χ' ὡ ποιμὰν ξηρὸς τηνόθι χ' ἁι βοτάναι. Idyl. 8.

b Κήν τι Μενάλκας τῇ δ' ἀγάγοι, χαίρων ἄφθονα πάντα νέμοι. Ibid.

c Pluvia e media regione aeris, quæ Jovi tribuitur.

d Κατ' ἐξοχὴν, victor, primas ferens. *Corydon inde ede.* Κᾆκ τούτῳ Δάφνις παρὰ ποιμέσι πρῶτος ἔγεντο. Theocr. 9. Idyl.

Ecloga VIII. cui nomen PHARMACEUTRIA.

ARGUMENTUM.

DUæ sunt Eclogæ hujus partes. In priore Damon Pastor, Nisæ puellæ amore captus, cum illa sibi Mopsum prætulisset, impatientia amoris in varias erumpit querelas. Posterior pars pæne tota sumpta est ex Theocriti ejusdem nominis Idyllio, in quo venefica quædam pharmacis & incantationibus animum viri, a quo spernebatur, ad sui amorem conatur revocare.

DAMON. ALPHESIBOEUS.

PAstorum musam Damonis & Alphesibœi,
[a] Immemor herbarum quos est mirata juvenca,
Certantes, quorum stupefactæ carmine lynces,
[b] Et mutata suos requierunt flumina cursus:
Damonis musam dicemus & Alphesibœi.
[c] Tu mihi, seu magni superas jam saxa [d] Timavi,
Sive oram Illyrici leges æquoris: en erit unquam
Ille dies, mihi cum liceat tua dicere facta?
En erit, ut liceat totum mihi ferre per orbem

a Suæ Musæ adscribit Poeta quicquid de Orpheo fingitur feras carmine detinuisse rapidos fluminum cursus moratum esse, &c.

b Et flumina cursus suos mutata requierunt.

c O Auguste. Qui jam in Illyrico bella gessisse videtur.

d Venetæ regionis fl.

Sola

Sola *e* Sophocleo *f* tua carmina digna cothurno?
g A te principium, tibi desinet, accipe juſſis
Carmina cœpta tuis, atque hanc sine tempora circum
h Inter victrices hederam tibi serpere lauros.
Frigida vix cœlo noctis decesserat umbra,
Cum ros in tenera pecori gratissimus herba est:
Incumbens tereti Damon sic cœpit olivæ.
D A. Nascere, *i* præque diem veniens age, Lucifer, almum;
k Conjugis indigno Nisæ deceptus amore
Dum queror, & divos, *l* quanquam nil testibus illis
Profeci, extrema moriens tamen alloquor hora.
Incipe *m* Mænalios mecum mea tibia versus.
Mænalus argutumque nemus, pinosque loquentes
Semper habet; semper pastorum ille audit amores,
Panaque, *n* qui primus calamos non passus inertes.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
o Mopso Nisa datur quid non speremus amantes?
p Jungentur jam gryphes equis, ævoque sequenti
Cum canibus timidi venient ad pocula damæ.
Mopse novas *q* incide *r* faces: tibi ducitur uxor.
Sparge marite *ſ* nuces: *t* tibi deserit Hesperus Oetam.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
O digno conjuncta viro, dum despicis omnes,
Dumque tibi est odio mea fistula, dumque capellæ,
Hirsutumque supercilium, prolixaque barba:
Nec curare deum credis mortalia quenquam.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
Sepibus in nostris parvam te roscida mala
(Dux ego vester eram) *u* vidi cum matre legentem:
x Alter ab undecimo tum me jam ceperat annus;
Jam fragiles poteram à terra contingere ramos.
y Ut vidi, ut perii, ut me malus abstulit error.

e Grandi ac sublimi carmine, æmulato Sophoclem Scriptorem tragœdiarum. tragœdi autem grande locuturi nitebantur cothurnis, ut heroas æquarent.
f Quæ res a te gestas tuasque laudes canant. Non quæ tu condidisti.
g Ἐγὼ μὲν λήξω, σὺ δ' ἄρξομαι. Hom. 9. Il.
h Tenuem hanc Musam meam comitari tuos triumphos.
i Prævenire diem. *Tmesis.*
k Sponsæ; quam sperabam quidem mihi conjugem futuram.
l Quanquam nihil mihi profuit invocasse illos pacti testes quos tu falsos habitos impune tulisti. *m* Arcadicos, a Mænalo monte Arcadiæ. Bucolicos: sic enim Theocr. intercalari utitur versu. 1. Idyl. Ἀρχέτι βωκολικᾶς Μῶσα, φίλα, ἀρχέτ' ἀοιδᾶς. *n* Pan primus calamos, &c. Eclog. 2. *o* Indignatur sc. iniquas conjugum formas & fata mitti sub juga ahenea. *p* Πάντα δ' ἐναλλὰξ γίνοιτο, &c. Theocr. Idyl. 1. *q* In spicæ formam, ut ignem concipiant. 2. Georg. *ferroque faces inspicat acuto.* *r* Nuptiales quæ a pueris 5. præferebantur, dum uxor domum duceretur. *ſ* Missilia nuptiarum solennia. boni ominis, juglandes sc. Plin. 15. lib. cap. 22. Ne exaudiatur nova nupta corrupta, vel ut valedicat puerilibus lusibus & concubinis maritus. Catull. in Epithalamio. *t* Tibi sc. in tuam gratiam appetit nox, quam, ut & diem, prospicere Oetam, atque e montibus Orientalibus advenire volunt poetæ ironice. *u* Ἀνίκα πρῶτον Ἤνθες ἐμᾶ σὺν ματρὶ, &c. Idyl. 11. *x* Decimus tertius. *y* ὡς ἴδον, ὡς ἐκάην, Id. 2. & 3.

Incipe

Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
z Nunc scio, quid sit amor: duris in cotibus illum
a Ismarus, aut Rhodopen, aut extremi Garamantes,
Nec nostri generis puerum, nec sanguinis edunt.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
Sævus amor docuit natorum sanguine b matrem
Commaculare manus: crudelis tu quoque mater:
Crudelis mater magis, an c puer improbus ille?
Improbus ille puer: Crudelis tu quoque mater.
Incipe Mænalios mecum mea tibia versus.
Nunc & oves ultrò fugiat lupus: d aurea duræ
Mala ferant quercus: narcisso floreat alnus:
Pinguia corticibus sudent electra myricæ:
Certent & cycnis ululæ: sit Tityrus Orpheus,
Orpheus in sylvis, inter Delphinas e Arion.
Incipe Manalios mecum mea tibia versus.
f Omnia vel medium fiant mare: g vivite sylvæ,
h Præceps aërii specula de montis in undas
Deferar; extremum hoc munus morientis habeto.
i Desine Mænalios, jam desine tibia versus.
Hæc Damon. vos quæ responderit Alphesibœus,
Dicite Piërides. *non omnia possumus omnes.*
A L. k Effer l aquam, & molli cinge hæc altaria m vittas
Verbenasque adole pingues, & n mascula thura:
Conjugis ut magicis sanos avertere sacris
Experiar sensus: nihil hic nisi Carmina desunt.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
o Carmina vel cœlo possunt deducere Lunam:
Carminibus Circe socios mutavit Ulyssis:
Frigidus in pratis cantando rumpitur anguis.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Terna tibi hæc primum triplici diversa colore
Licia circumdo; terque hæc altaria circum

z Νῦν ἔγνων τὴν Ἐρώτα· βαρὺς θεὸς, &c, Idyl. 3.
a H. Steph & alii legendum volunt ex fide vet. cod. ut *Aut Tmarus aut* qui mons est Epiri.
b Medeam.
c Cupido.
d Νῦν ἴα μὲν φορέοι τε βάτοι, &c. *Omnia naturæ præpostera legibus errent*, postquam *Mopso Nisa datur.*
e Citharœdus nobilis notusque ex Agellio. 16. l. 19. c. Plin. 9. l. 8. c. & aliis
f Me moriente mergantur omnia.
g Valete, æternum valete.
h Κατὰ τήνας τᾶς πέτρας μανεὶς εἰς Κρᾶθιν ἀλοίμαν. Idyl. 5.
i Λήγετε βωκολικᾶς. μῶσαι, ἴτε, λήγετ' ἀοιδᾶς. d. Idyl. 1.
k Vide argumentum Eclogæ.
l Lustralem.
m Στέψον τὰν κελέβαν φοινικέῳ οἰὸς ἀώτῳ, Idyl. 2. *Si legisses Virgilium*, inquit Apulejus in Apol. *Profecto scisses alia quæri ad hanc rem solere. Ille enim enumerat vittas molles, verbenas pingues, thura mascula, & licia discoloria: præterea laurum fragilem, limum durabilem, ceram liquabilem.*
n Thus quod ex rotunditate guttæ pendet masculum vocatur: cum tamen alias non vocetur mas, ubi non sit fœmina, Plin. 12. lib. 14. cap.
o Vires has in expugnandis formis cælestibus, humanis, ferinis attribuunt carminibus Poetæ. Theocrit. Apollon. Homer. Noster. Ovid. Lucan, Statius. Petron. alii. vide quæ nos ad Senecæ Medeam, & Delrii Disqu. Mag. Sic in Ciri; *Terque novena ligat, triplici diversa colore Fila*, &c.

p Effi-

p Effigiem duco: q Numero Deus impare gaudet.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
r Necte tribus nodis ternos Amarylli colores:
ſ Necte Amarylli modo, & Veneris, dic, vincula necto.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
t Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit
Uno eodemque igni: ſic noſtro Daphnis amore.
Sparge u molam, & x fragiles incende bitumine lauros.
y Daphnis me malus urit: ego hanc in Daphnide laurum.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Talis amor Daphnim, qualis cum feſſa juvencum
Per nemora, atque altos quærendo bucula lucos
Propter aquæ rivum viridi procumbit in z herba
a Perdita, nec ſeræ meminit decedere nocti:
Talis amor teneat, nec ſit mihi cura mederi.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has olim b exuvias mihi perfidus ille reliquit,
Pignora chara ſui: quæ nunc ego limine in ipſo
Terra tibi mando: debent hæc pignora Daphnim.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Has herbas, atque hæc c Ponto mihi lecta venena
Ipſe dedit Mœris: naſcuntur plurima c Ponto.
His ego d ſæpe lupum fieri, & ſe condere ſylvis
Mœrin, ſœpe animas imis exire ſepulchris,
Atque e ſatas alio vidi traducere meſſes.
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
f Per cineres Amarylli foras, rivoque fluenti,
Tranſque caput jace; ne reſpexeris: his ego Daphnim
Aggrediar: nihil ille deos, nil carmina curat:
Ducite ab urbe domum, mea carmina, ducite Daphnim.
Aſpice, g corripuit tremulis altaria flammis
Sponte ſua, dum ferre moror, cinis ipſe: h bonum ſit.

p Daphnidis.
q Ex opinione Pythagoreorum. τὸ πᾶν, καὶ τὰ πάντα τοῖς τρίσιν ὥρισται, &c. Ariſtot. 1. de cœlo. & Plutarch. 9. Sym. 3. c. Ὁ πάντων ἀριθμῶν πρῶτος τέλειος ἡ μὲν τριάς, ὡς ἀρχὴν καὶ μέσον ἔχουσα καὶ τέλος.
r Licia diſcoloria necti nodis jubet ad ligandum in amoribus Daphnidem.
ſ Πάσσ' ἅμα καὶ λέγε ταῦτα τὰ Δέλφιδος ὀστέα πασσω. Idyl. 2. Al. *Necte marylli nodos. perperam.*
t Duas imagines, e cera. unam e limo, alteram ad ignem ſtatuit. Theocrit. 2. Idyll. & Horat. ſat. 8. 1. l. *Lanea & effigies erat, altera cerea*, &c. u Far ſale miſtum. x Crepitantes in igne. y Δέλφις ἐμ' ἀνίασεν. ἐγὼ κ' ἐπὶ Δέλφιδι δάφναν Αἴθω. Id. 2. z Al. *ulva.* a Amore afflictæ. b veſtes Æneid. 4. *Arma viri exuviaſque omnes, lectumque jugalem. Quo perii ſuperimponas.* Et Theocr. 2. Idyll. τοῦτ' ἀπὸ τάς χλαίνας, &c. c Viroſa. venenorum feraci regione Aſiæ. d Fabulam hominum in lupos verſorum narrat Plin. 8. lib. 22. c. Elevatque. laboraſſe tamen Melancholiæ ſpecie, quam λυκανθρωπίαν appellant, quoſdam agnoſcunt Cælius Rhod. l. 14. c. 45. Valeſius, Bodin. alii. e *Cantus vicinis fruges traducit ab agris.* Tibul. 1. l. 8. El. in 12. tab. *qui fruges excantaſſit.* f Februa & purgamenta luſtrationis & incantationis poſt tergum abjiciebant in aquas, quæ reſpicere nefas. g Lætior illuxit ignis felix πυρομαντίας omen, inquit ancilla, vel ipſa maga. h Fauſti ominis formula.

Nescio quid certe est? & *i* Hylax in limine latrat.
Credimus? an qui amant, ipsi sibi somnia fingunt?
k Parcite, ab urbe venit, jam parcite carmina, Daphnis.

i Canis nomen, ab ὑλάω latro. Κύνις ἄμμιν ἀνὰ πόλιν ὠρύονται. Idyl. 2. *k* Λήγιτε. missa facite carmina.

Ecloga IX. cui nomen MOERIS.

ARGUMENTUM.

POst Philippensem victoriam, cum in distributione agrorum, qui Triumvirorum jussu trans Padum dividebantur, sua quoque prædia Virgilius amisisset, Romam profectus, cum favore ingenii, tum præsertim adjuvante Pollione, trans-Padanæ regionis præfecto, possessiones suas recepit. Verum ægre id ferente Arrio, cui sorte Virgilii fundum in portionem cesserat, parum abfuit, quin ab irato milite interficeretur. Denuo itaque Romam profecturus præcepit procuratori, ut Arrio usque ad reditum suum, quam minimo posset detrimento suo, obsequeretur. Is igitur ex patroni sui præcepto Mantuam proficiscitur, hædorum aliquod munusculum Arrio oblaturus. Mœrin subsequitur Lycidas pastor, itineris ejus causam inquirens, ibi nactus occasionem Mœris, temporum illorum calamitatem deflet. Deinde una Mantuam euntes itineris tædium variis sublevant cantilenis.

LYCIDAS, MOERIS.

QUo te *Mœri, *a* pedes, an (quo via ducit) in *b* urbem?
MOE. O Lycida, *c* vivi pervenimus, advena nostri
(Quod nunquam veriti sumus) ut *d* possessor agelli
Diceret: *e* Hæc mea sunt, veteres migrate coloni.
Nunc *f* victi tristes (quoniam *fors omnia versat.*)
Hos illi (*g* quod nec bene vertat) *h* mittimus hœdos.
LY. Certe equidem audieram, quæ se subducere colles
Incipiunt, mollique jugum demittere clivo,
Usque ad *i* aquam, & veteris jam fracta cacumina fagi,
Omnia carminibus vestrum servasse *k* Menalcam.
MOE. Audieras, & fama fuit: *l* sed carmina tantum
Nostra valent, Lycida, tela inter Martia, quantum
m Chaonias dicunt aquila veniente columbas.
Quod nisi me quacunque novas incidere lites

*Per Mœrin, Virgilii villicum intellige.
a Supple *fertur.* Theocr. 1. Id. αἱ πόδες ἄγον.
b Mantuam.
c In has diuturnioris vitæ pœnas damnati, nec opinantes.
d Ut culta hæc novalia barbarus miles invaderet, priori & vero domino expulso.
e Formula vindicandi possessiones.
f Væ victis.
g Imprecandi formula.
h Dono.
i Mincium fl.
k Virgilium herum suum.
l Sed armorum strepitus impediit jus & gratiam.
m Epiroticas. *Synecdoche.*

Ante

Ante ſiniſtra cava monuiſſet ab ilice coruix,
n Nec tuus hic Mœris, nec viveret ipſe Menalcas.
LY. Heu cadit in quenquam *o* tantum ſcelus! heu tua nobis
Pene ſimul tecum ſolatia rapta, Menalca!
p Quis caneret nymphas? quis humum florentibus herbis
Spargeret? aut viridi fontes induceret umbra?
Vel quæ *q* ſublegi tacitus tibi carmina nuper,
Cum te ad delicias ferres Amaryllida noſtras?
Tityre, dum redeo (brevis eſt via) paſce capellas:
Et potum paſtas age Tityre, & inter agendum
Occurſare capro (cornu ferit ille) caveto.
MOE. Imo hæc quæ *r* Varo necdum perfecta canebat,
Vare tuum nomen (ſuperet modo Mantua nobis,
ſ Mantua væ miſeræ nimium vicina Cremonæ)
Cantantes ſublime ferent ad ſydera cygni.
LY. *t* Sic tua *u* Cyrneas fugiant examina *u* taxos:
Sic cytiſo paſtæ diſtentent ubera vaccæ.
Incipe ſi quid habes, & me fecere Poëtam
Pierides: ſunt & mihi carmina: *x* me quoque dicunt
Vatem paſtores; ſed non ego credulus illis.
Nam neque adhuc *y* Varo videor, nec dicere *y* Cinna
Digna, ſed argutos inter ſtrepere *z* anſer olores.
M. Id quidem ago: & tacitus, Lycida, mecum ipſe voluto,
Si valeam meminiſſe: neque eſt ignobile carmen.
a Huc ades ô Galatea: quis eſt nam ludus in undis?
Hic ver purpureum; varios hic flumina circum
Fundit humus flores: hic candida populus antro
Imminet; & lentæ texunt umbracula vites.
Huc ades: inſani feriant ſine littora fluctus.
LY. Quid? quæ te pura ſolum ſub nocte canentem
Audieram? *b* numeros memini, ſi verba tenerem.
MOE. Daphni, quid antiquos ſignorum ſuſpicis ortus?

n Neque ego neque dominus meus Virgilius.
o Ut Virgilium vita exſtinctum eat.
p Quis, ut in 5. Ecloga Daphnidem i. e. Cæſarem, fleret? *canent exſtinctum Nymphæ crudeli funere*, & mox *Spargite humum foliis, inducite fontibus umbras, &c.*
q Surripui, tranſtuli. Ex Amaryllide Theocriti. βόσκε τὰς αἶγας Καὶ ποτὶ τὰν κράναν ἄγε Τίτυρε καὶ τὴν ἐνόρχαν Τὸν Λιβυκὸν Κνάκωνα φυλάσσεο μὴ τὺ κορύψῃ.
r De quo in Ecloga 6. *Te noſtra, Vare myricæ, &c.*
ſ Cum enim militibus Octavii aſſignatus ager Cremonenſium qui adverſis partibus faviſſent, in diviſionem non ſatis eſſet; Mantuani quoque agri pars donata eſt. vide Argumentum. *t* Obteſtantis particula. Sic proſpere cedant mellificia, abundet lac. *u* Taxi, ut & thymum Corſicæ apibus noxium. *x* Καὶ γὰρ ἐγὼ μουσᾶν καπυρὸν στόμα &c. Idyl. 7. Theocr. *y* Nobili poeta. *z* Non inepta modeſti Poetæ comparatio: alluſum tamen ad Anſerem ignobilem poetam, qui ſcripſit Antonii geſta. *a* Ex Idyl. 5. & 11. Theocr. Ἀλλ' ἀφίκευ τοῦ ποτὲ μέ, &c. *b* Modus, νόμον, rhythmum. Quintil. 9. lib. 4. c.

Ecce *c* Dionæi processit Cæsaris astrum;
Astrum, quo segetes gauderent frugibus, & quo
Duceret apricis in collibus uva colorem.
Insere Daphni pyros: carpent tua poma nepotes.
Omnia *d* fert ætas, *e* animum quoque: sæpe ego longos
Cantando puerum memini me *f* condere soles.
Nunc *g* oblita mihi tot carmina: vox quoque Mœrim.
Jam fugit ipsa: *h* lupi Mœrim videre priores.
Sed tamen ista satis: referet tibi sæpe *i* Menalcas.
LY. *k* Causando nostros in longum ducis amores:
l Et nunc omne tibi stratum silet æquor, & omnes
(Aspice) ventosi ceciderunt murmuris auræ.
Hinc adeo media est nobis via; namque sepulchrum
Incipit apparere *m* Bianoris: hic ubi densas
Agricolæ stringunt frondes, hic, Mœri, canamus:
Hic *n* hædos depone, tamen veniemus in vrbem:
Aut si, nox pluviam ne colligat ante, veremur,
Cantantes licet usque (minus via lædet) eamus.
Cantantes ut eamus, ego hoc te fascе levabo.
MOE. Desine plura puer: &, quod nunc instat agamus:
Carmina tum melius, cum venerit *o* ipse, canemus.

c Astrum felicius longe & lætius veteribus, novum sc. Julii Cæs. ab Jūlo, Veneris nepote oriundi.
d Aufert, adimit.
e Memoriam quoque.
f Consumpsisse dies.
g Passive, oblivioni data.
h Ex opinione noxii luporum visus. qui homini quem priores viderint, vocem ad tempus adimunt. Plin. l. 8. c. 22. Theocr. 14. Id. Οὐφθιγξῃ, λύκον ἄδεις. *i* Ipse Virgilius. *k* Causas prætexendo & excusando incendis magis intendisque desiderium meum tui audiendi. *l* Invitat ab opportunitate. *m.* Qui & Ocnus dictus est, & Mantuam a se conditam a nomine matris suæ Mantus dixit. *n* Onus, donum Arrio missum. *o* Menalcas, Virgilius.

Ecloga X. cui nomen GALLUS.

ARGUMENTUM.

COrnelius Gallus eximius poeta fuit, primusque Ægypti præfectus, qui cum Cytheriden meretricem, Volumnii libertam, quam poeta hic Lycoridem vocat, perdite adamaret, neque illa mutuo amori responderet, sed, ipso spreto, Antonium in Galliam sequuta esset, ægerrime repulsam tulisse creditur. Eum itaque hac Ecloga consolatur Virgilius, sed ita ut a pastoralibus personis rusticisque comparationibus non secedat. Totum autem fere hoc Argumentum sumptum est ex Thyrside Theocriti, ubi similem Daphnidis amorem exsequitur.

EXtremum hunc, *a* Arethusa, mihi concede laborem.
Pauca meo Gallo, sed quæ legat ipsa *b* Lycoris:

a Nympha fontis Siculi. mox c. Invocat, ut supra, musas Sicelidas, Theocrit. in auxilium extremæ Eclogæ. *b* Vero nomine Cytheris. *Eadem*, inquit Apulejus in Apologia, *opera accusent Catullum, quod Lesbiam pro Clodia nominarit, &c. Et Propertium qui Cynthiam dicat, Hostiam dissimulet: Et Tibullum quod ei sit Flavia in animo, Delia in versu.*

Carmi-

Carmina ſunt dicenda : neget quis carmina Gallo ?
c Sic tibi, cum fluctus ſubterlabere Sicanos,
d Doris amara ſuam non intermiſceat undam,
Incipe ; ſollicitos Galli dicamus amores :
Dum tenera attondent ſimæ virgulta capellæ.
Non canimus ſurdis : reſpondent omnia ſylvæ.
e Quæ nemora, aut qui vos ſaltus habuere puellæ
f Najades, indigno cum Gallus amore periret ?
Nam neque Parnaſſi vobis *g* juga, nam neque
h Pindi,
Ulla moram fecére, neque Aõniæ *i* Aganippe.
Illum etiam lauri, illum etiam flevére myricæ :
Pinifer illum etiam ſola ſub rupe jacentem
k Mænalus, & gelidi fleverunt ſaxa *k* Lycæi.
Stant & oves circum, noſtri nec pœnitet illas :
Nec te pœniteat pecoris, divine poëta,
l Et formoſus oves ad flumina pavit Adonis :
m Venit & Upilio : tardi venere *n* bubulci :
Uvidus hyberna venit de glande Menalcas.
Omnes, unde amor iſte, rogant : tibi venit *o* Apollo ;
Galle quid inſanis ? inquit : tua cura Lycoris
Perque nives *p* alium, perque horrida caſtra ſecuta eſt.
Venit & agreſti capitis Sylvanus honore.
Florentes ferulas, & grandia lilia quaſſans.
Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.
Et, quis erit modus ? inquit, amor non talia curat.
Nec lacrymis crudelis amor, nec gramina rivis,
Nec cytiſo ſaturantur apes, nec fronde capellæ.
Triſtis at ille tamen : *q* Cantabitis, Arcades, inquit,
Montibus hæc veſtris. *r* ſoli cantare periti
Arcades : ô mihi tum quam molliter *ſ* oſſa quieſcant,
Veſtra meos olim ſi fiſtula dicat amores.
Atque utiam ex vobis unus, veſtrique fuiſſem
Aut cuſtos gregis, aut maturæ vinitor uvæ.
Certè, ſive mihi Phyllis, ſive eſſet *t* Amyntas,

c Sic, ex Elide in Siciliam per occultas ſubter mare vias labaris pura, intemerata, nec mari permiſta. v. 2. Æn. ſub fine.
d Nerei conjux, filia Oceani, Nympharum mater.
e Ubi tunc eratis vos Nymphæ ? tardæ ſc. ad officium conſolandi Galli. The. 1. Id. Πᾶ ποκ' ἄρ' ἦσθ' ὄκα, &c.
f Nymphæ fontium, a ναίω, fluo.
g Tithorea & Hyampeus, duo vertices Parnaſſi montis in Phocide.
h Montis Theſſaliæ.
i Fons Bœotiæ, quæ & Aonia, prope Heliconem.
k Arcadiæ mons.
l Ὡραῖος χ' ὦ 'δωνις, ἐπεὶ καὶ μᾶλα νομεύει.

Idyl. 1. *m* Ηνθον τοὶ βῶται τοὶ πομένες ὡ 'πίλοι ἦνθον. ibid. *n* Al. *ſubulci*, bubulcos vero paſtores & caprarios tantum admittunt poetæ Bucolici. *o* Αὐτὸς Απόλλων, καὶ Σάτυροι μύρον τε, &c. καὶ Πᾶνες. *p* M. Antonium ut in argumento *q* Gallus reſp. *r* Supra, Ecloga 7. c. *ſ* Superſtitioſæ antiquitati in votis erat terra levis, ut molliter oſſa cubarent. *t* Amica, aut amaſius.

Seu quicunque [u] furor (quid tum, si fuscus Amyntas?
Et nigræ violæ sunt, & [x] vaccinia nigra)
Mecum inter salices lenta sub vite jaceret:
Serta mihi Phillis legeret, cantaret Amyntas.
Hic gelidi fontes, hic mollia prata Lycori:
Hic nemus: hic ipso tecum consumerer ævo.
Nunc insanus amor duri me Martis in armis
Tela inter media atque adversos detinet hostes.
Tu procul à patria (ne sit mihi credere) tantum,
Alpinas ah dura nives, & frigora Rheni
Me sine sola vides: ah te ne frigora lædant:
Ah tibi ne teneras glacies secet aspera plantas.
[y] Ibo, & [z] Chalcidico quæ sunt mihi condita versu,
Carmina [a] pastoris Siculi modulabor avena.
Certum est in sylvis, inter spelæa ferarum
Malle pati, teneriscque meos incidere amores
Arboribus: [b] crescent illæ, crescetis amores.
Interea mistis lustrabo Mænala nymphis:
Aut acres venabor apros: non me ulla vetabunt
Frigora [c] Parthenios canibus circundare saltus.
Jam mihi perrupes videor lucosque sonantes
Ire: libet Partho torquere [d] Cydonia [e] cornu
Spicula: tanquam hæc sit nostri medicina furoris.
Aut deus ille malis hominum mitescere discat.
[f] Jam neque [g] Hamadryades rursus, nec carmina nobis
Ipsa placent. ipsæ rursus concedite sylvæ.
Non illum vestri possunt mutare labores:
Nec si frigoribus mediis [h] Hebrumque bibamus,
Sithoniasque nives hyemis subeamus aquosæ:
Nec si, cum moriens alta liber aret in ulmo,
Æthiopum [i] versemus oves sub sydere Cancri.
Omnia vincit amor: & nos cedamus amori,
Hæc sat erit, [k] divæ, [l] vestrum cecinisse poëtam,
Dum sedet, & gracili fiscellam texit hibisco,
Pierides, [m] vos hæc facietis maxima Gallo:
Gallo, cujus amor tantum mihi crescit in horas,
[n] Quantum vere novo viridis se subjicit alnus.

[u] Amor, cura, deliciæ.
[x] Ecl. 2. *Vaccinia nigra legun tur.*
[y] Statuit sibi solatium & remedium quærere a carmine, sylvarum lustratione & venatu.
[z] Gallus latine reddiderat Euphorionis Chalcidensis carmina.
[a] Theocriti Sicula Musa.
[b] *Et quantum trunci, tantum mea nomina crescent: Crescite & in titulo surgite vite meos.* Ovid. Epist. Oen.
[c] Arcadios, a monte Parthenio, quem lustrant παρθένοι Dianæ comites.
[d] Cretensia. Cydon est e nobilibus Cretæ urbibus.
[e] Arcu Parthico.
[f] Æger animus mutat consilia.
[g] Nymphæ querquetulanæ. ἅμαι ταῖς δρυσὶ, natæ & denatæ. [h] Thraciæ fl.
[i] Ducamus ad nova pabula. ὀϊστωλοῦμεν. [k] O Musæ. [l] Me vatem vestrum, Virgilium lusisse humili, deducto & levidensi carmine. [m] Vestra gratia hæc urcunque parva faciet maxima. [n] Quantum crescit se attollens arbor occulto ævo.

Surga-

Surgamus: solet esse gravis o cantantibus umbra:
p Juniperi gravis umbra. nocent & frugibus umbræ.
Ite domum saturæ, venit Hesperus, ite capellæ.

o Cunctantibus legit Titius 10. l. locor. 1. c.
p Arboribus

primum aevus gravis umbra tributa est, usque adeo ea prius faciantur sæpe dolores, &c. Lucret. 6. l.

P. VIRG. MARONIS GEORGICORUM LIBER I.

ARGUMENTUM.

Propositio operis. invocatio Numinum. Aratio. Ejus præcognita; arandi tempora; soli natura & discrimina. novalis prærogativa. Sementis. Pestes Satorum. Agriculturæ origo. Instrumenta rustica. Operum rusticorum tempora: quæ a coli & siderum cognitione pendent. Tempestatum prognostica, a Sole & Luna. Prodigia quæ Jul. Cæs. cædem secuta, præsagierunt civile bellum contra Brutum & Cassium.

AD C. MECOENATEM.

1 QUid faciat lætas segetes: quo sidere terram
Vertere, Mecœnas, 2 ulmisque adjungere vites
Conveniat: 3 quæ cura boum, quis cultus habendo
Sit pecori: 4 atque apibus quanta experientia parcis:
Hinc canere incipiam. * Vos ô clarissima mundi
a Lumina, labentem cœlo quæ ducitis annum:
b Liber, & alma Ceres, vestro si munere tellus
c Chaoniam pingui glandem mutavit aristâ,
Poculaque inventis d Acheloia miscuit uvis:
Et vos agrestum e præsentia numina f Fauni.
Ferte simul f Faunique pedem, f Dryadesque puellæ,

1 Pulchra & plena Georgicorum & laborum & librorum propositio & divisio, ut argumentum sit libri 1.
1 Agriculturæ rationes & tempora.
2 Arborum plantatio atque insitio.

3 Pecoris cura. 4 Apum & mellificii ratio. * *Invocatio.* a Sol & Luna, anni duces. *quorum motu tempora observantur a serentibus ac condentibus*, inquit Varro 1. l. R. Rust. 1. c. cui hæreo eos distinguenti in invocatione sua a Libero & Cerere, quos alii eosdem hic esse volunt cum Sole & Luna. b Inventores vini & frugum. vestro siquidem beneficio gens humana a glandium & aquæ usu ad mitiorem frumenti & vini victum traducta est. c Κατ' ἐξοχὴν & Synecdochice ut qua Epiri querceta abundant pro omni glande. uti & ——— d ——— Acheloia pocula, pro qualibet aqua, respectu tamen habito ad hunc fluvium, qui primus omnium terra erupisse dicitur. e Propiora & in terris degentia: f Bacchi comites, numina rustica, rerum sylvestrium præsides. ad 2. l.

Munera vestra cano. g Tuque ô cui h prima fremen-
tem
Fudit equum magno tellus percussa tridenti,
Neptune: & i cultor nemorum, cui pinguia Cææ
Ter centum nivei tondent dumeta juvenci.
k Ipse nemus linquens patrium, saltusque Licæi,
Pan ovium custos, tua si tibi Mænala curæ,
Adsis O Tegeæe favens: oleæque Minerva
Inventrix: uncique l puer monstrator aratri:
Et teneram m ab radice ferens Sylvane cupressum:
Diique, deæque omnes, studium quibus arva tueri,
Quique novas alitis nonnullo semine fruges,
Quique satis largum cœlo demittitis imbrem.
n Tuque adeo, o quem mox quæ sint habitura deo-
rum
Concilia, incertum est, p urbisne invisere, Cæsar,
1 Terrarumque velis curam, & te maximus orbis
Authorem frugum, tempestatumque potentem
Accipiat, cingens q materna tempora myrto:
2 An deus immensi venias maris, ac tua nautæ
Numina sola colant: tibi serviat r ultima Thule,
Teque sibi generum Tethys s emat omnibus undis:
3 Anne novum t tardis sidus te mensibus addas,
u Qua locus Erigonem inter, Chelasque sequentes
Panditur: ipse tibi jam brachia contrahit ardens
Scorpius, & cœli justa plus parte relinquit.
Quicquid eris (4 nam te nec sperent x Tartara re-
gem,
Nec tibi regnandi veniat tam dira cupido:
Quamvis Elysios miretur Græcia campos,
Nec repetita sequi curet Proserpina matrem)
Da facilem cursum, atque audacibus annue cœptis;

g Neptune, cujus tridente percussa terra in certamine cum Pallade super Athenarum nomine, produxit equum ad 3. l.

h Generaliter, quæ Deorum parens fuerit cum cœlo, vel quæ prima emerserit ante omnia elementa. vel speciali respectu ad Atticam, contentionis Nept. cum Pallade locum, quæ primam se & antiquissimam terram gentemque prædicat.

i Aristæe, pecorum in Cæa inf. præses, ubi & reparasse apes diceris ad l. 4.

k Pan præses pastorum, relicta Arcadia, in qua Lycæus & Mænalus montes, Tegea oppidum, adsis. l Triptoleme, qui a Cerere edoctus in Attica primum, mox per orbem agri colendi rationes sparsit. Alii Osyrim Ægyptium intelligunt, vide Ja. Nicolai epiph. lib. 1. cap. 11. m Integram cupressum, radicitus evulsam. Nota ex fab. Cypariss. n Auguste Cæsar. Adulatoriam hanc invocationem imitatus est Lucanus ad Neronem. 1. lib. o Cujus sero tandem hinc ad Deos migrantis, in arbitrio est in quorum numero velis esse, Deorum 1 terrestrium, 2 marinorum, 3 cœlestium, aut 4 inferorum, quem tamen rejicit Poeta. p Pro urbes. Agell. 13. l. c. 19. q Veneri sacra, e cujus stirpe Octavius. r Ultima Romanis tum nota, nec vera tamen. s Allusum ad nuptias Rom. quæ fiebant farre, usu, vel coemptione. vid. I. CC. & Boeth. comm. ad primum Cic. Topicorum. t Æstivis, propter longissimos dies & horas civiles. u Inter Virginem, & Scorpium plus æquo sibi in Zodiaco occupantem, vacare ait Augusto locum. in Libra sc. sub quo signo natus est, & ad cujus justitiam imperavit. x Rejectam vult inferni regni optionem, utcunque inferni Elysium a Græcis efferatur laudibus. & a Proserpina supero cœlo prælatum fuerit.

Igna-

Ignaroſque viæ mecum miſeratus agreſtes,
Ingredere & votis *y* jam nunc aſſuefce vocari.
z Vere novo, gelidus canis cum montibus humor
Liquitur, & Zephyro putris ſe gleba reſolvit;
Depreſſo incipiat *a* jam tum mihi taurus aratro
Ingemere, & ſulco attritus ſplendeſcere vomer.
Illa ſeges demum votis reſpondet avari
Agricolæ, *b* bis quæ ſolem, bis frigora ſenſit:
Illius immenſæ ruperunt horrea meſſes.
c Ac prius, ignotum ferro quam ſcindimus *d* æquor,
e ventos, & varium *f* cœli prædiſcere morem
Cura ſit; ac patrios cultuſque habituſque locorum:
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet,
Hic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ:
Arborei fœtus alibi, atque *g* injuſſa vireſcunt
Gramina, nonne vides, croceos ut *h* Tmolus odores,
India mittit ebur, *i* molles ſua thura Sabæi?
At *k* Chalybes nudi ferrum, *l* viroſaque Pontus
l Caſtorea, *m* Eliadum *m* palmas Epeiros equarum?
n Continuo has leges, æternaque fœdera certis
Impoſuit natura locis, quo tempore primum
Deucalion vacuum lapides jactavit in orbem,
o Unde homines nati *o* durum genus. Ergo age, terræ
p Pingue ſolum primis extemplo à menſibus anni
Fortes invertant tauri, glebaſque jacentes
Pulverulenta coquat maturis ſolibus æſtas:
q At, ſi non fuerit tellus fœcunda, ſub ipſum
r Arcturum, tenui ſat erit ſuſpendere ſulco:
Illic, officiant lætis ne frugibus herbæ;
Hic, ſterilem exiguus ne deſerat humor arenam.

y In vivis. viventi enim divini honores habiti.
z Cujus ſigna ponit nives ſolutas & glebas putreſcentes ſpiritu genitabilis Favonii.
a Arandi inſtat tempus,
b Novalis ager qui alternis ceſſat, & vacante anno proſciſſus hyberno pateat imbri, æſtivo calori; ſequenti deinde anno ſatus utrumque itidem patitur: Florid. Sabin. l. 1. Succiſiv. c. 14. Jacob. vero Nicolaus Epiphyl. l. 8. c. 12. ex mente Plin. l. 18. c. 20. exiſtimantis Virgilium voluiſſe, *quarto ſeri ſulco*: putat novalem quater aratro inverti debere. τέτρωπολον. *c* Præcognita agricolæ ac prædiſcenda. *d* Campum, agrum planum. *e* Aeris & ſiderum qualitatem & aſpectum. *f* Cuique regioni peculiarem ac debitam colendi rationem. *g* Αὐτοφύη, ſponte ſua. *h* Mons Lydiæ, vitibus & croco nobilis. *i* Arabiæ felicis populi, cujus Saba metropolis eſt, propter rerum copiam vita delicati. *k* Aſiæ Minoris ad Pontum populi. σιδηροτέκτονες, unde nudi, ut 8. Æn. *& nudus memori Pyracmon.* *l* Caſtoris teſticulos magnæ in medicinis virtutis. *virus* autem ambiguæ ſignificationis eſt, ut Φάρμακον. *m* Epeirus producit equas palmis, & victoriis nobiles in certaminibus Olympicis juxta Elidem Achajæ urbem. *n* Quos habitus & ingenia alia aliis terris indidit rerum omnium parens natura ab ipſo Deucalionis diluvio & ipſa mundi origine. *o* *inde hominum durum genus, documenta damus qua ſimus origine nati.* Ovid. 1. Metaph. *p* Pinguis ager primo vere altius proſcindatur, glebæque inverſæ exponantur ſolibus æſtivis, quo tollantur herbæ noxiæ. *q* Macer leviter vomere ſtringatur ſub autumno, ne intereat penitus humor, qui exiguus erat in terra arenoſa. *r* Qui oritur Coſmice. 12. die Septembris.

ſ Alternis idem tonſas ceſſare novales,
Et ſegnem patiere ſitu dureſcere campum.
Aut ibi flava Ceres, mutato ſidere farra,
Unde prius lætum ſiliqua quaſſante legumen,
Aut tenues fœtus vicię, u triſtiſque lupini
Suſtuleris fragiles calamos, ſylvamque ſonantem.
Urit enim lini campum ſeges, urit avenæ,
Urunt x Lethæo perfuſa papavera ſomno.
Sed tamen alternis facilis labor. y arida tantum
Ne ſaturare fimo pingui pudeat ſola, neve
Effœtos cinerem immundum jactare per agros.
Sic quoque mutatis requieſcunt fœtibus arva,
Nec nulla interea eſt inaratæ gratia terræ.
Sæpe etiam ſteriles incendere profuit agros,
Atque levem ſtipulam crepitantibus z urere flammis.
1 Sive inde occultas vires & pabula terræ
Pinguia concipiant: 2 ſive illis omne per ignem
Excoquitur vitium, atque exſudat inutilis humor;
3 Seu plures calor ille vias, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat qua ſuccus in herbas;
4 Seu durat magis, & venas aſtringit hiantes:
Ne tenues pluviæ, rapidive potentia ſolis
Acrior, aut Boreæ a penetrabile frigus b adurat.
c Multum adeo, raſtris glebas qui frangit inertes,
Viminiaſque trahit crates juvat arva; neque illum
Flava Ceres alto nequicquam ſpectat Olympo.
Et qui, proſciſſo quæ ſuſcitat æquore d terga,
Rurſus in obliquum verſo perrumpit aratro,
e Exercetque frequens tellurem, atque imperat arvis.
f Humida ſolſtitia, atque hyemes optare ſerenas,
Agricolæ; hyberno lætiſſima pulvere farra,
Lætus ager; nullo tantum ſe Mœſia cultu
Jactat & ipſa ſuas mirantur g Gargara meſſes,

ſ Alternis ceſſare arva ſuadet Virgilius (inquit Plin. 18. l. 21. c.) & hoc ſi patiantur ruris ſpatia, utiliſſimum eſt. Quod ſi neget conditio, far ſerendum, unde lupinum aut vicia aut faba ſublata ſint, & quæ faciant terram lætiorem.

t Alia anni tempeſtate. Si admittatur lectio *mutato ſemine*, liquidum erit.

u Acris, amari, alluſum ad etymon lupini, ἀπὸ τῆς λύπης.

x Papavera ſomnum conciliantia, nec raro lethum. Lethe autem fl. eſt poeticus rerum oblivionem τὴν λήθην inducens. ut 6. Æneid.

y Exhauſta terra & effœta renovetur fiatque fœcundior, aut ſtercoratione idque fimo aut cinere, qui ſolvit & calefacit; aut ſtipularum in arvo incenſione: quin & ipſarum glebarum. z Adeoque terræ crematæ quatuor de cauſis remedia ſunt & fructus. Ignis quippe vi, 1 Frigida macies ſublevatur. 2 Uligo exſudatur. 3 Laxantur meatus ad ſuccum & genitalem aerem admittendum. 4 Adſtringuntur ad arcendas pluvias nimias, calorem & frigus. *a* Meatus enim & poros penetrat, inſinuatum mox ſtipat. Sic Lucr. *penetrabile frigus & manabile.* *b* Cum frigus calorem plantis innatum exſtinguat humoreque evocato ut inareſcant faciat, idem præſtat quod ignis; adeoque adurere dicatur, ſed vide Hieron. Magium 17. c. 1. l. Miſc. & quæ nos ad 4. l. Lucan. *Vrebant montana nives*, &c. p. 84. *c* Interpretatur hæc Plin. 18 l. 20. c. *A ratione per transverſum iterata, occatio ſequitur, ubi res poſcit, crate vel raſtro, & ſato ſemine itera io*, &c. *d* Superficiem, glebas inverſas. *e Philoſophatus cum terra.* Cato apud Cic. de Senectute: *Militiamque ſoli exercet.* ut habet Manil. 1. l. *f* Æſtiva, ſc. æſtates humidas, hiemes ſerenas. g Oppidum ad radicem Idæ montis in Myſia ut una eademque ſit regio. Macrob. 5. l. Sat. c. 20.

Quid

Quid dicam jacto qui ſemine cominus arva
Inſequitur, cumuloſque *h* ruit male pinguis arenæ ?
Deinde ſatis *i* fluvium inducit, rivoſque ſequentes ?
Et cum exuſtus ager morientibus æſtuat herbis,
Ecce *k* ſupercilio clivoſi tramitis undam
Elicit : illa cadens raucum per levia murmur
Saxa ciet, ſcatebriſque arentia temperat arva.
Quid, qui *l* ne gravidis procumbat culmus ariſtis,
Luxuriem ſegetum tenera depaſcit in herba,
Cum primum ſulcos æquant ſata ? *m* quique paludis
Collectum humorem bibula deducit arena ?
Præſertim *n* incertis ſi menſibus amnis abundans
Exit ; & obducto latè tenet omnia limo,
Unde cavæ tepido ſudant humore lacunæ.
o Nec tamen (hæc cum ſint hominumque boumque labores
Verſando terram experti) nihil *p* improbus anſer,
q Strymoniæque grues, & amaris *r* intuba fibris
Officiunt, aut *ſ* umbra nocet. *t* Pater ipſe colendi
Haud facilem eſſe viam voluit ; primuſque per artem
Movit agros, *u* *curis acuens mortalia corda* :
Nec torpere gravi paſſus ſua regna *x* veterno.
* Ante Jovem nulli ſubigebant arva coloni :
Nec ſignare quidem, aut partiri limite campum
Fas erat : *y* in medium quærebant ; ipſaque tellus
Omnia liberius, nullo poſcente, ferebat.
z Ille *a* malum virus ſerpentibus addidit atris ;
Prædarique lupos juſſit, pontumque moveri ;
Mellaque decuſſit foliis, *b* ignemque removit ;
Et paſſim rivis currentia vina repreſſit ;
Ut varias uſus meditando *c* extunderet artes
Paulatim, & ſulcis frumenti quæreret herbam ;
Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.

h Complanat agrum & ſulcos ut æque foveant ſemina per liration*em* cooperta.
i Ad irrigandos agros.
k Jugo, ex cumine.
l Ne in frondem luxurient ſata, ubertatem nimiam pecore immiſſo depaſcit, detondetque. quod Plinius, *peſtinari ſegetem in herba*, vocat.
m Qui ſulco ducto exſiccat arva, cavetque uliginem ſatis noxiam.
n Si qua inundatione, per menſes vernos & autumnales, quorum tempeſtates haud ita certæ ſunt, limo obducantur arva. *o* Atque ne deſit agricolæ novus ſubinde labor, qui magno illo defunctum exerceat, tamen arcendæ erunt aves voraces, exſtirpandæ noxiæ herbæ. *weedes*, & quæ novercali umbra premunt ſata arbores. *p* Avidus inſatiabilis. Plin. 10. lib. 95. cap. *q* A Strymone Thraciæ fl. advenæ. *r* Ηιπερὶς, κιχώριον, σέρις, erratici intybi ſpecies. *ſ* *Nocent & frugibus umbræ*. ult. Eclog. *t* Jovi prudenti humanamque ſolertiam excitaturo adſcribit, quod Heſiodus Jovi ſimplicem victum mortalibus invidenti, mox indignato ſibi ignem a Prometheo furto ſublatum imputaverat. Κρύψαντες γὰρ ἔχουσι θεοὶ βίον ἀνθρώποισι. *u* Parans ſc. γυιοβόρους μελεδῶνας ἀνδράσιν ἀλφηστῆσιν. *longa dies acuit mortalia corda*. Et *labor ingenium miſeris dedit*, &c. Manil. 1. lib. *x* Inerti ocio, tanquam ſegni lethargo. * Sub aureo Saturni ævo. *y* *In commune bonum commentum læta degere*. *z* Jupiter argenteum auſpicatus ſeculum. *a* Eſt enim in numero ambiguorum : uti φάρμακον, *valetudo*, &c. *b* Κρύψε δ' πῦρ. Heſiod. *c* Signate. quaſi fabricaret artes, Agriculturam, Nauticam, Aſtronomicam, Venationem, Piſcationem. Ferrariam.

d Tunc alnos primum fluvii ſenſere cavatas:
Navita tum ſtellis numeros, & nomina fecit,
e Pleiades, f Hyadas, clarumque Lycaonis g Arcton
Tum laqueis captare feras, & fallere viſco
Inventum & magnos canibus circundare ſaltus:
Atque alius latum h funda jam verberat amnem
Alta petens, pelagoque alius trahit humida i lina.
Tum ferri rigor, atque k argutæ lamina ſerræ,
(Nam primi cuneis ſcindebant fiſſile lignum)
Tum variæ venere artes. l *labor omnia vincit*
* *Improbus, & duris urgens in rebus egeſtas.*
Prima Ceres ferro mortales vertere terram
Inſtituit; m cum jam glandes atque arbuta ſacræ
Deficerent ſylvæ, & victum Dodona negaret.
n Mox & frumentis labor additus; ut mala culmos
o Eſſet rubigo, ſegniſque horreret in arvis
Carduus; intereunt ſegetes: p ſubit aſpera ſylva,
Lappæque, tribulique, interque nitentia culta
q Infelix lolium, & ſteriles dominantur avenæ.
Quod niſi & aſſiduis terram r inſectabere raſtris,
Et ſ ſonitu terrebis aves, & ruris opaci
Falce premes umbras, votiſque vocaveris imbrem;
t Heu, magnum alterius fruſtra ſpectabis acervum,
Concuſſaque u famem in ſylvis ſolabere quercu.
Dicendum & quæ ſint duris agreſtibus x arma,
Queis ſine nec potuere ſeri, nec ſurgere meſſes.
Vomis, & inflexi primum grave robur aratri,
Tardaque y Eleuſinæ matris volventia plauſtra,
Tribulaque, trabeæque, & iniquo pondere raſtri;
z Virgea præterea Celei, viliſque ſupellex,
Arbuteæ crates, & a myſtica vannus Jacchi:
Omnia quæ multò ante memor proviſa repones,

d *Tunc fera diverſis exercita frugibus arva; Et vagus in cæcum penetravit navita pontum, Fecit & ignotis itiner commercia terris.* Manil. 1. l.
e Septem ſtellas conglomeratas in dorſo Tauri.
f Septem ſtellas in fronte Tauri.
g Helicen. urſam majorem. Ex Lycaonis filia Caliſto Jovis pellice ſidus relatum in Septentrionem. Fab. nota ex Ovidio & Mythologis.
h Retis genere, quod ἀμφίβληστρον.
i Retia e lino.
k Stridulæ.

l Durum neceſſitatis telum artes excudit. *Omnia conando docilis ſolertia vincit.* Manil. 1. l. Ἀπενία μόνα τὰς τέχνας ἐγείρει. Αὐτὰ τοῦ μόχθοιο διδάσκαλος. Theocr. 5. Idyll. * Immanis, vehemens. Πονηρὸς πόνος, etiam in pericula & mala impellens. m Cum arbutei fœtus & glandes, quibus abundat nemus Dodoneum in Epeiro, jam deficerent, quo tantum cibo primi mortales veſcebantur. n Mox & peſtes aliæ ſegetes novis vitiis, agricolas novis laboribus vexabant. o Ederet, conſumeret. p Impediens ſatorum incrementum. q Idem verſus habetur Ecl. 5. r Sarrieris, occaveris. ſ Πόνον ὀρνίθεσσι τιθείς. Heſiod. l. 2. ἔργ. t Μήπως τὰ μεταξὺ χατίζων Πτώσης ἀλλοτρίους οἴκους, καὶ μηδὲν ἀνύσῃς ibid. u Farris inops, glande famem inertem expiabis. x Enumerat autem ad arationem quatuor, ad meſſem totidem. y Cereris, ab Eleuſi urbe Atticæ, ubi Ceres a Celeo rege hoſpitio excepta filium ejus Triptolemum agriculturam docuit. z Vaſa ex arbuto, vimine, virgis, ſc. crates, vanni, &c. quorum texturam & uſum Celeus a Cerere accepit. a Ad purgandam quidem frugem: ſed quorum uſus in myſticis Bacchi ſacris ſolennis & frequens. Vocem Jacchi myſticam ſibi ab Eleuſiniis ſacris auditam refert Dicæus Demarato in Herodoti Urania.

Si

Si te digna manet divini gloria ruris.
b Continuo in sylvis magna vi *c* flexa domatur
In *d* burim, & curvi formam accipit ulmus aratri.
Huic à stirpe pedes temo protentus in octo:
Binæ aures, duplici aptantur dentalia dorso;
Cæditur & tilia ante jugo levis, altaque fagus;
Stivaque, quæ currus à tergo torqueat imos,
Et *e* suspensa focis explorat robora fumus.
Possum multa tibi veterum præcepta referre,
Ni refugis, tenuesque piget cognoscere curas.
f Area *g* cum primis ingenti æquanda cylindro,
Et vertenda manu, & creta solidanda tenaci:
Ne subeant herbæ, neu pulvere victa fatiscat:
Tum variæ illudant pestes: sæpe exiguus mus,
Sub terris posuitque domus atque horrea fecit:
Aut *h* oculis capti fodére cubilia talpæ,
Inventusque cavis bufo; & quæ plurima terræ
Monstra ferunt: populatque ingentem farris acervum
Gurgulio: atque inopi metuens formica senectæ.
Contemplator item, cum se *i* nux plurima sylvis
Induet in florem, & ramos curvabit olentes:
Si superant fœtus, pariter frumenta sequentur,
Magnaque cum magno veniet tritura calore.
At si luxuria foliorum exuberat umbra,
k Nequicquam pingues paleæ teret area culmos.
l Semina vidi equidem multos medicare serentes,
Et nitro prius, & nigra perfundere amurca
Grandior ut fœtus siliquis *m* fallacibus esset:
n Et quamvis igni exiguo properata maderent.
Vidi lecta diu, & multo spectata labore
Degenerare tamen, ni vis humana quotannis
Maxima quæque manu legeret. *o sic omnia fatis*

b Ὑλλοτομεῖν μεμνημένος ὥριον οὔργον. Hesiod. 2. l.
c Incurvatur in buris usum. Πολλ' ἐπὶ καμπύλα κάλα, &c. ibid.
d Partes aratri, e quo ligno, in quam formam paranda sint, docet.
e Πηδάλιον μὲν ὑπὲρ καπνοῦ καταθεῖο. Hesiod. lib. 1. & l. 2. Πηδάλιον δ' εὐεργὲς ὑπὲρ καπνοῦ κρεμάσασθαι.
f De area paranda vide sis Rei rusticæ autores. Catonem. 91. & 129. cc. Varronem 51. c. Columellam 20. c. Palladium tit. 36. lib. 1. & lib 7. tit. 1. Atque ut semel dictum sit; De cæteris Rei rust. operibus consulenda sunt Georgica illa eadem oracula; quibus adjice Theophrastum, Plinium, &c. *g* Super omnia, Præcipue. Nam primum versanda erit manu, dein creta tenaci firmanda, postremo cylindro æquanda. ὕστερον πρότερον. *h* Organa habentes, sed non usum. Talpis quippe oculorum effigies inest, si quis prætentam detrahat membranulam. Plin. 11. l. c. 37. & Aristot. 3. de Anim. cap. 1. *i* Amygdalus, cujus germina & flores si foliorum numerum superent, prognosticum uberrimæ messis habes, & e contra. *k* Non pingues. i. e. plus habentes paleæ quam grani. *l* Fabas inquiunt interprete Plinio lib. 18. cap. 17. Virgilius nitro & amurca perfundi jubet fabam: sic etiam grandescere promittit. & Columella l. 2. cap. 10. Sed & de omni semine præcipitur lib. 3. cap. 10. *m* Alias fallacibus futuris. *n* Quamvis igni lento macerata concoquerentur, ut inde properarent proventum. *o Damnosa quid non imminuit dies? Ætas parentum, &c.* Horat. 3 lib. Od. 6. natura pessum ruente.

In pejus ruere, & retro sublapsa referri :
p Non aliter, quam qui adverso vix flumine lembum
Remigiis subigit, si brachia forte remisit,
q Atque illum in præceps prono rapit alveus amne.
r Præterea tam sunt *s* Arcturi sidera nobis,
t Hœdorumque dies servandi, & lucidus *u* Anguis:
Quam quibus in patriam ventosa per æquora vectis
x Pontus, & ostriferi *y* fauces tentantur Abydi.
z Libra *a* die somnique pares ubi fecerit horas,
Et medium luci atque umbris jam dividet orbem:
Exercete viri tauros, serite hordea campis,
Usque sub extremum brumæ intractabilis imbrem.
Necnon & lini segetem, & *b* Cereale papaver
Tempus humo tegere, & jamdudum incumbere aratris
Dum sicca tellure licet, dum nubila pendent.
Vere fabis satio, tunc te quoque, *c* medica, putres
Accipiunt sulci, & milio venit annua cura:
d Candidus auratis aperit cum cornibus annum
Taurus, & adverso cedens Canis *e* occidit astro.
At si triticiam in messem, robustaque farra
Exercebis humum, solisque instabis *f* aristis:
Ante tibi Eoæ *g* Atlantides abscondantur,
h Gnosiaque ardentis *i* decedat *k* stella coronæ,
Debita quam sulcis committas semina, quamque
l Invitæ properes anni spem credere terræ.
Multi ante occasum *m* Majæ cœpere: sed illos
Expectata seges vanis elusit avenis.
Si vero viciamque seres, vilemque faselum,
Nec *n* Pelusiacæ curam aspernabere *o* lentis;
Haud obscura *p* cadens mittet tibi signa Bootes.

p Sic cum gravidam navita adversa ratem Propellit unda, cedit in vanum labor. Et victa prono puppis auferitur vado. Sene. Hip.
q Statim. exponente Agellio. lib. 10. cap. 29.
r Virgilio jubente, inquit Plin. lib. 18. c. 24. prædisci ventos ante omnia, ac siderum mores; neque aliter quam navigantibus, servari.
s Stellæ lucidæ, primæ magnitudinis inter crura Bootæ.
t Stellarum duarum obscurarum in sinistra Erichtonii parte, sub capra stellæ primæ magnit.
u Qui insinuatus circumvolvitur. duas Arctos.
x Euxinus, sese a Mæotide palude ad Bosphorum Thracium extendens.
y Hellespontus interfluens Sestos & Abydos ostreis nobilem.
z Æquinoctio autumnali.
a Antiquo more dictum pro *diei*. Agellius tamen lib. 9. cap. 14. legi vult *dies* in genitivo.
b Omissis conjecturis aliorum & fabulis Cerealibus, idem esse credo quod *vescum papaver*. lib. 4. Georg.
c Herba equos pascens a Media ubi abundat nomen habens. Plin. l. 18. c. 16. & Columel. lib. 11. contra quam sentit Jo. Bapt. Pius. cap. 32. posterior: *melica* legens, quem castigat Floridus Sabinus lib. 2. Succisivorum cap. 19. quæ ex unica semente ducat annos 10. cum minimum annuam postulet curam.
d Cum Sol Taurum ingressus, Aprili medio, annum aperit.
e Heliace, a XV. Cal. ad ipsas Calendas Majas, & oppositæ.
f Tritici & farreis.
g Cosmico & matutino occasu Virgiliarum seu Pleiadum, h. e. die 28 Octobris.
h Corona Ariadnes filiæ Minois regis Cretæ, cujus Gnosos oppidum.
i Recedat a Sole. i. e. oriatur Heliace medio Octobri.
k Lucidissima, præ cæteris. nam *stella vinciur una Circulus in medio radians*, &c. Manilius lib. 1.
l Coactæ imperiis agricolarum: non sponte sua.
m Plejadum, quarum Maja est una.
n Pelusium in Ægypto, unum est e septem ostiis Nili, ubi lens provenit optima.
o Lens
p Cosmice. Nam quarto Non. Octobr. Auriga occidit mane. Colum 11. lib. 2. c.

Incipe

Incipe, & ad *q* medias sementem extende *q* pruinas.
Idcirco certis dimensum partibus orbem
Per *r* duodena regit mundi sol aureus *r* astra.
s Quinque tenent cœlum zonæ: quarum una corusco
Semper sole rubens, & torrida semper ab igni:
Quam circum extremæ dextra, lævaque trahuntur
Cærulea glacie concretæ, atque imbribus atris.
Has inter mediamque, duæ *t* mortalibus ægris
Munere concessæ divum; & via secta *u* per ambas,
Obliquus qua se signorum verteret ordo.
Mundus ut ad Scythiam, Rhiphæasque arduus arces
Consurgit, premitur Libyæ devexus in Austros.
Hic vertex nobis semper *x* sublimis: at illum
Sub pedibus Styx atra videt, manesque profundi.
Maximus hic flexu sinuoso elabitur *y* anguis
Circum, perque duas in morem fluminis Arctos,
Arctos Oceani *z* metuentes æquore tingi.
a Illic (ut perhibent) aut intempesta silet nox
Semper & obtenta densantur nocte tenebræ:
Aut redit à nobis aurora, diemque reducit.
Nosque ubi primus equis oriens afflavit *b* anhelis,
Illic sera rubens accendit lumina vesper.
c Hinc tempestates dubio prædiscere cœlo
Possumus: hinc *d* messisque diem, tempusque serendi:
Et quando infidum remis impellere marmor
Conveniat, quando *e* armatas deducere classes,
Aut *f* tempestivam sylvis evertere pinum.
Nec frustra signorum obitus speculamur, & ortus,
Temporibusque parem diversis quatuor annum.
Frigidus agricolam si quando *g* continet imber,
h Multa forent, quæ mox cœlo properanda sereno,

q Ad mediam hiemem.
r Signa Zodiaci; quæ sol cursu suo emensus anni tempestates variat.
s Dividitur cœlum, ut & terra subjacens, in quinque partes, quas Zonas vocant Media inter Tropicos Sole verticali calet, inde *Torrida* dicta. Duæ hinc inde extremæ polo alterutrique subjiciuntur; hæc, dextra, *Arctica* glacie torpet; illa, sinistra, *Antarctica* imbribus madet. Inter mediam utraque ex parte & extremas illas jacent duæ aliæ temperatæ & habitabiles. *Neque enim mediam duasque extremas habitari credebant Veteres.* Hanc descr. ex Eratosthene sumpsisse nostrum scribit Hadr. Junius lib. 3. Animadver. 5. c. *t* Δειλοῖσι βροτοῖσι. *u* Inter ambas, ab utroque Tropico per Æquatorem signat obliquam Solis orbitam per Zodiacum. *x* Nobis Septentrionalibus elevatur polus Arcticus, quantum sub Horizonte nostro premitur Antarcticus ad Αντίχθονας. quorum sedem ignara vetustas Manibus & Tartaro designavit. *y* Τὰς δ' διάμφοτέρας, ὅτι ποταμοῖο ἀπορρῶξ Εἰλεῖται (μέγα θαῦμα) δράκων περὶ τ' ἀμφὶ τ' ἐαγὼς Μυρίος. Arat. Phænom. v. 45. *z* Caventes tingi, ut quæ numquam tinguntur, quia vicinæ polo elevato. Nota est Junonis imprecatio, *Ne puro tingatur in æquore pellex.* Ov. 2. Met. *Sic penna metuente solvi*, Hor. 2. l. 2. Ode. quæ nunquam solveretur. *a* Ibi autem in altero hemisphærio apud Antipodes aut perpetua caligat nox, aut si quam habent lucem, a nobis ad illos per vices demeat, ita ut illorum vesperum nostra excipiat aurora. *b* In ascensu arduæ viæ, *qua vix mane recentes Enituntur equi.* *c.* Ab Astrorum observatione. *d* Al. *mensisque dies.* *e* Instructas velis, remis, rudentibus. Sic. 4. Æn. *Armari classem, cursumque parari. Trimmed and rigged.* *f* Tempestive arbores incidere, ne ligna termites exedant. *g* Domi, ne possit exire ad agriculturam. *h* Plurima, quæ alias occupato agricolæ per serenum fuerant properanda, jam per ocium pluviale mature conficere licebit. vide Agel. 10. l. 11. c. & Macrob. 7. l. 8. c.

Matu-

Maturare datur: durum procudit arator.
Vomeris obtusi dentem *i* cavat arbore lintres:
Aut pecori signum, aut *k* numeros impressit acervis.
Exacuunt alii *l* vallos furcasque bicornes,
Atque *m* Amerina parant lentæ retinacula viti.
Nunc facilis *n* Rubea texatur fiscina virga:
Nunc *o* torrete igni fruges, nunc frangite saxo.
Quippe etiam festis quædam exercere diebus
p Fas & jura sinunt. rivos *q* deducere nulla
Religio vetuit segeti prætendere sepem:
Insidias avibus moliri: incendere vepres:
Balantumque gregem fluvio *r* mersare salubri.
Sæpe oleo tardi costas agitator asselli,
Vilibus aut onerat pomis, *s* lapidemque revertens
Incusum, aut atræ massam *t* picis urbe reportat.
Ipsa dies alios alio dedit ordine luna
Felices operum: *u* quintam fuge: pallidus Orcus,
Eumenidesque satæ: tum partu terra nefando
x Cœumque *x* Japetumque creat, sævumque *x* Typhœa,
Et conjuratos cœlum rescindere *y* fratres.
Ter sunt *z* conati imponere Pelio Ossam,
Scilicet atque Ossæ frondosum involvere Olympum:
Ter pater extructos disjecit fulmine montes.
a Septima post decimam felix, & ponere vites,
Et prensos domitare boves, & *b* licia telæ
Addere: nona *c* fugæ melior, contraria furtis.
Multa adeo gelida melius se nocte dedêre:
Aut cum sole novo terras irrorat *d* Eous,
Nocte leves stipulæ melius, nocte arida prata
e Tondentur, noctis lentus non deficit humor.
Et quidam seros hiberni ad luminis ignes
Pervigilat, ferroque faces *f* inspicat acuto.

i Arbores cavabit in scaphas. *canoas.*
k Frumenti in horreis reconditi.
l Palos & sudes, pedamenta futura vitium & arborum. infra l. 2. *Quadrifidasque sudes & acuto robore vallos.*
m Ex Ameria Umbriæ opp. saligna vimina.
n A Rubis Italiæ opp. vel e rubo frutice vitibus apto.
o Al. *Torrere igni fruges nunc frangere saxo.* h. e. siccare & molere.
p Fas ad Deos & religionem spectat, jura ad homines.
q Festis diebus rivos veteres detergere licet, novos fodere non licet. Macrob. 3. l. c. 3. & Columella l. 2. c. 22. Cato. 3. c.
r Ut curetur scabies: non ut purgetur lana. ibid.
s Molarem, cudendo asperatam.
t Cujus maximus agricolis usus ad vasa condienda, picanda, &c.
u Πέμπτας δ' ἐξαλέασθαι, ἐπὴ χαλεπαί τε καὶ αἰναί. Ἐν πέμπτῃ γὰρ φασίν. Ἐριννύας ἀμφιπολεύειν Ὅρκον τιννυμμένας, &c. Hesi. ἡμέρας, sed a coitu in Cancro quæ domus est Lunæ usque ad Leonem sunt quinque dies; Leo autem signum triste & infelix.
x Gigantes γιγαντομάχους, *magnum manibus rescindere cœlum Conjuratos.* 6. Æneid.
y Terræ filios, γηγενεῖς, in genere *vel* Othon & Ephialtum.
z Οσσαν ἐπ' Ολύμπῳ, μίμασαν δ' ἤμβα, αὐτὰρ ἐπ' Οσσῃ Πήλιον εἰνοσίφυλλον ἐν' οὐρανὸς ἄμβατος εἴη. Hom. 1. Odyss.
a Decima quarta. vide rationem Cœlii Rhod. lib. 20. c. 8. vel utraque dies, decima & septima: sed septima proxime decimam, namque hæc felicior. καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ. Et, Εσθλὴ δ' ἀντιόωσα δεκάτη. Hes.
b Telam ordiri.
c Fugientibus e captivitate, bello, ab hoste, &c. bene cedens; non ita furibus, qui tum deprehendi observari sunt.
d Solis equus. Synec. vel, Lucifer diei prænuncius.
e Metuntur.
f In formam spicarum faculas cultro incidit acuitque.

Inter-

Interea longum cantu ſolata laborem,
Arguto conjux percurrit pectine telas:
Aut dulcis muſti Vulcano *g* decoquit humorem,
Et foliis undam tepidi deſpumat aheni.
At rubicunda *h* Ceres medio ſucciditur æſtu;
Et medio toſtas æſtu terit area fruges.
i Nudus ara, ſere nudus: hyems ignava colono.
k Frigoribus parto agricolæ plerumque fruuntur,
Mutuaque inter ſe læti convivia curant.
Invitat genialis hyems, curaſque reſolvit,
☞ *l* Ceu preſſæ cum jam portum tetigêre carinæ,
Puppibus & læti nautæ impoſuêre coronas.
m Sed tamen & quernas glandes tunc ſtringere tempus
Et lauri baccas, oleamque, * cruentaque myrta.
Tunc gruibus pedicas, & retia ponere cervis,
Auritoſque ſequi lepores, tum figere damas,
Stuppea torquentem *n* Balearis verbera fundæ,
Cum nix alta jacet, *o* glaciem cum flumina *o* trudunt.
p Quid tempeſtates 1 autumni, & ſydera dicam?
Atque ubi jam breviorque dies & mollior æſtas,
Quæ *q* vigilanda viris? vel 2 cum *r* ruit imbriferum ver:
Spicea jam campis cum meſſis inhorruit, & cum
Frumenta in viridi ſtipula lactentia turgent?
1 Sæpe ego, cum flavis meſſorem induceret arvis
ſ Agricola, & fragili jam *t* ſtringeret hordea culmo,
Omnia ventorum concurrere prælia vidi:
Quæ gravidam late ſegetem ab radicibus imis
Sublime expulſam eruerent: ita turbine nigro
Ferret *u* hyems, culmumque levem, ſtipulaſque volantes.
2 Sæpe etiam immenſum cœlo venit agmen aquarum,
Et fœdam glomerant tempeſtatem imbribus atris
Collectæ ex alto nubes: ruit arduus æther,
Et pluvia ingenti ſata læta, boumque labores
Diluit: implentur foſſæ, & cava flumina creſcunt
Cum ſonitu. *x* fervetque fretis ſpirantibus æquor.

g Siræum, ſapam, aut defrutum coquit.
h Cereales fruges medio die & æſtu metendæ, torrendæ atque in area terendæ.
i Γυμνὸν σπείρειν, γυμνὸν δ' βοωτεῖν Γυμνὸν δ' ἁμᾶσθαι præcipit Heſiodus ſc. ante hybernum frigus, quo torpet agricola.
k Per mediam vero hiemem, fruatur partis: convivationibus & Genio libere indulgeat.
l Non ſecus ac nautæ, ubi portum appulerint, naves precioſa onuſtas merce læti coronant. Quod ſe a portu ſolventibus factitatum probat idem hic verſus repetitus 4. l. Æn. *m* Quin & hiems ipſa ſua habet opera, ſtudia, & præmia, dum ſtringendis baccis glandique, aucupio & venationi intenti ſunt agricolæ. * Matura, rubra. *n* Baleares inſulæ duæ ſunt in mari Mediterraneo, quarum incolæ funditores erant peritiſſimi: ut quibus id unum ab infantia ſtudium. *o* Cum flumina glaciei cruſtas ſupernatantes impellunt ac protrudunt. *p* Duas autem maxime, ſtatas ſc. certis anni temporibus. 1 Ineunte autumno alteram: 2 Exitu veris alteram, eaſque ventorum, pluviarum, fulminum. *q* Obſervanda agricolis. *r* Declinat. *ſ* Qui facem inferret. *t* Secaturus ſc. *u* Tempeſtas hæc autumnalis, procella. *x* Alluſum ad Etymologiam freti.

Ipſe

Ipse [a] pater, media nimborum in nocte, coruſca
Fulmina molitur dextra: quo maxima motu
Terra tremit: fugêre feræ, & mortalia corda
Per gentes humilis ſtravit pavor: ille flagranti
Aut [b] Atho aut [c] Rhodopen, aut alta [d] Ceraunia telo
Dejicit: ingeminant auſtri, & denſiſſimus imber:
Nunc nemora ingenti vento, nunc littora [e] plangun:,
[f] Hoc metuens, cœli menſes, & ſidera ſerva:
Frigida Saturni ſeſe quo ſtella receptet:
Quos ignis cœli [g] Cyllenius erret in orbes.
[h] *Imprimis venerare Deos*, atque annua magnæ
Sacra refer Cereri, lætis [i] operatus in herbis,
Extremæ ſub caſum hiemis jam vere ſereno.
Tunc agni pingues, & tunc molliſſima vina,
Tunc ſomni dulces, denſæque in montibus umbræ.
[k] Cuncta tibi Cererem pubes agreſtis adoret,
Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho,
Terque novas circum felix eat [l] hoſtia fruges,
Omnis quam Chorus, & ſocii comitentur ovantes,
Et Cererem clamore [m] vocent in tecta: neque ante
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quam Cereri, torta redimitus tempora [n] quercu
Det motus [o] incompoſitos, & [p] carmina dicat.
Atque hæc ut certis poſſimus diſcere ſignis,
Æſtuſque, pluvioſque, & agentes frigora ventos:
[q] Ipſe pater ſtatuit, quid menſtrua luna moneret:
[r] Quo ſigno caderent Auſtri: quid ſæpe videntes
Agricolæ propius ſtabulis armenta tenerent.
[ſ] Continuo, ventis ſurgentibus, aut freta ponti
Incipiunt agitata 1 tumeſcere; 2 & [t] aridus altis
Montibus audiri fragor; aut 3 reſonantia longe
Littora miſceri; & 4 nemorum increbeſcere murmur.
Jam ſibi tum curvis male temperat unda carinis,

[a] Jupiter.
[b] Al. *leg. Athon*, ſed exprimere voluit illud Theocriti; Ἦ Ἄθω, ἢ Ῥοδόπαν ἢ Καύκασον ἰσχαλόωντα montẽ Macedoniæ.
[c] Montem Thraciæ.
[d] Acroceraunia, promontorium Epiri.
[e] Rauco fragore reſonant.
[f] *Ideo Virgilius erraticum quoque ſiderum retinem ediſcendam præcipit, admonens obſervandum frigida Saturni ſtellæ tranſitum.* Plin. 18. l. 25. c.
[g] Stella Mercurii nati in Cyllene monte Arcadiæ.
[h] Εὔχεσθαι δ' Διὶ χθονίῳ Δημήτερί θ' ἁγνῇ Ἐκ τέλεα βρίθειν, &c. Heſiod. 2. l.
[i] Sacris re divina facta; lacte, melle, vino.
[k] Pulchra deſcriptio ritus ſacri Ambarvalis pro frugibus facti.
[l] Porca, eaque gravida.
[m] Carmine orent ut ſalva domum veniat meſſis & abunda.
[n] In memoriam glandis qua veſcebantur mortales ante Cereris beneficium.
[o] Rudes & ſine arte ſaltationes.
[p] Hymnos.
[q] Ipſe Deus ſtatuit tempeſtatum prognoſtica, ex novæ lunæ facie, ſingulis menſibus, nec minus ——— [r] ———
Exortu & obitu ſignorum & ſiderum, quæ vel tollere vel ponere ventos ſolent. Hic autem *caderent* ſignificat ruerent, incumberent ad ciendas tempeſtates, potius quam ceſſarent, ponerentque, quo ſenſu ſæpius uſurpatur.
[ſ] Neque aſtra obſervata ſolum, ſed & uſus & experientia.
[t] Tumor maris dabit certa prognoſtica. 1 Fragor e montibus. 3 Mugitus fluctuum a litore. 4 Murmur nemorum.

§ Cum

5 Cum medio celeres revolant ex æquore mergi,
Clamoremque ferunt ad littora: cumque 6 marinæ
In ſicco ludunt fulicæ: 7 notaſque paludes
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem.
8 Sæpe etiam ſtellas, vento impendente, videbis
u Præcipites cœlo labi, noctiſque per umbras
Flammarum longos à tergo albeſcere tractus.
9 Sæpe levem paleam, & frondes volitare caducas:
10 Aut ſumma nantes in aqua colludere plumas.
x At Boreæ de parte trucis cum fulminat: & cum
x Eurique Zephyrique tonat domus; omnia plenis
Rura natant foſſis, atque omnis navita ponto
Humida vela legit. nunquam y imprudentibus imber
Obfuit, 3 aut illum ſurgentem vallibus imis
Aëriæ fugere grues; 4 aut bucula cœlum
Suſpiciens, patulis captavit naribus auras;
5 Aut arguta lacus circum volitavit hirundo;
6 Et z veterem in limo ranæ cecinere querelam.
y Sæpius & tectis penetralibus extulit ova
Anguſtum formica terens iter: 8 & a bibit ingens
Arcus: 9 & è paſtu decedens agmine magno
Corvorum increpuit denſis exercitus alis;
10 Jam varias pelagi volucres, & quæ b Aſia circum
Dulcibus in ſtagnis rimantur prata c Cayſtri,
Certatim largos humeris infundere rores;
Nunc caput objectare fretis, nunc currere in undas,
Et ſtudio d incaſſum videas geſtire lavandi:
11 Tum cornix plena pluviam vocat improba voce,
Et e ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena.
12 Nec nocturna quidem carpentes penſa puellæ
Neſcivere f hyemem, 8 teſta cum ardente viderent

5 Mergorum ad litora frequens volatus.
6 Fulicarum in terra luſus.
7 Ardearum ſubvolatus.
8 Tractus ſtellarum cadere viſarum.
9 Paleæ & frondium volatus.
10 Plumarum in aquis luſus. De quibus vide Arati Phænomena, & quæ nos ad 5. l. Lucani. & Plin. 18. l. 35. c.
t Ξηρὸς ἦχος, & αὖον αὔσεν. Homer. 14. Il. *Aridus unde aures terget ſonus.* Lucret. 6.
u *De cœlo ſtella ſereno, Et ſi non cecidit, potuit cecidiſſe videri.* Ovid. 2. Metam.
x A prognoſticis ventorum tranſit ad prognoſtica pluviarum, quæ ex Arato & Varrone Atacino numerat duodecim. 1. 2. 3. &c. infra, *nunquam te craſtina fallet Hora, nec inſidiis*, &c. y Tam multa, tam certa & manifeſta ſunt pluviæ, & tempeſtatum prognoſtica, ut neminem non clare & abunde præmonitum, ut neminem niſi improvidum deprehendant. z Alluſum aut ad fab. Æſopi de ranis conqueſtis de Jove, qui ciconiam iis in regem dederat: aut ad Lyciorum a Latona in ranas mutatorum querelam. 6. Metamor. Ovid. a Hoc ex opinione & errore vulgi recepto, haurire ſc. Irim aquam cornibus ſuis & ea nutriri; cum illa fiat ex reflexu radiorum ſolis ad nubem reſolutam Solique in adſpectu noſtro oppoſitam. b Prima producta, ut volunt, eſt palus Myſiæ vel *limoſa* ab ἄσις. exprimere autem voluit, Ἀσίῳ ἐν λειμῶνι Καυστρίου ἀμφὶ ῥέεθρα. Hom. Iliad. β. c fl. Aſiæ. d Neque enim admittunt aquam plumæ cygneæ. e Sigmatiſmos, Alliteratio τοῦ ſ. f Pluviam, ab ὕω. g Lucerna fictili lampade teſtacea.

Scin-

Scintillare oleum, & putres concrescere *h* fungos,
Nec minus *i* ex imbri soles, & aperta serena
Prospicere, & certis poteris cognoscere signis.
Nam neque tum stellis acies obtusa videtur;
Nec *k* fratris radiis obnoxia surgere Luna;
Tenuia nec *l* lanæ per cœlum vellera ferri.
Non tepidum ad solem pennas in littore pandunt
m Dilectæ Thetidi Halcyones: non ore solutos
Immundi meminere *n* sues jactare maniplos:
At nebulæ magis ima petunt, campoque recumbunt:
Solis & occasum servans, de culmine summo
Nequicquam seros exercet noctua cantus:
Apparet liquido sublimis in aëre *p* Nisus,
Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo,
Quacunque illa levem fugiens secat æthera pennis,
Ecce inimicus atrox magno *q* stridore per auras
Insequitur Nisus, qua se fert Nisus ad auras,
Illa levem fugiens raptim secat æthera pennis.
Tum liquidas corvi presso ter gutture voces,
Aut quater ingeminant, & sæpe *r* cubilibus altis,
Nescio qua præter solitum dulcedine læti
Inter se foliis strepitant: juvat imbribus actis
Progeniem parvam, dulcesque revisere nidos.
s Haud equidem credo, quia sit divinitus illis
Ingenium, aut rerum *fato prudentia major*.
Verum ubi tempestas, & cœli mobilis humor
Mutavere vias, & *t* Jupiter humidus austris
Densat, erant quæ rara modo, & quæ densa, relaxat;
Vertuntur species animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios dum nubila ventus agebat,
Concipiunt: hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & *u* ovantes gutture corvi.
Si vero solem ad rapidum, lunasque sequentes
Ordine respicies, nunquam te crastina fallet
x Hora, neque *y* insidiis noctis capiêre serenæ.
z Luna revertentes cum primum colligit ignes,
Si nigrum obscuro comprenderit aëra cornu;

h Αὐχνοῖο μύκησας περὶ μύξαν. Arat. excrementa circa funem ceu ellychnium candelæ & lampadis.
i A pluviis, post pluvias serenitatis futuræ adducit indicia novem. 1, 2, 3, &c.
k Lumine mutato a fratre Sole. Latonæ quippe e Jove liberi, vel Theæ & Hyperionis.
l Neque tenues nubeculæ tanquam vellera lanæ. νέφεα πόκοισιν ἐοικότα. Aratus.
m Quibus nidificantibus & fœtum excludentibus Dii maris tranquillum præstant mare. unde Halcedonia dicta.
n Straminis in hara cubilia parantes; vel pabulum rimati. οὐδὲ σύες φορυτῷ ἐπιμαργαίνεται: Arat. *o* Non. *p* Haliæetus subvolans & Cirin avem persecutus. Fab. Nisi & Scyllæ nota est ex Virgilii Ciri, & Ovid. 8. Metam.
q Alarum plausu. *r* Ἠῶθεν κοίτοιο μέδοντας φωνῆς ἔμπλεοι, &c. Aratus.
s Neque ista brutis alitibusque præsagia a prudentia, sed a naturali aereæ affectionis subinde mutatæ sensu. *t* Aer. *u* Læte crocitantes. *x* Dies. *y* Quæ pluvio exitu claudunt noctem initio serenam. *z* Nova, renascens. *a* *Pallida luna pluit.*

Maxi-

Maximus agricolis, pelagoque parabitur imber.
2 At si virgineum suffuderit ore ruborem;
Ventus erit: vento semper rubet aurea Phœbe.
Sin *b* ortu in quarto (namque is certissimus author)
3 Pura, nec obtusis per cœlum cornibus ibit;
Totus & ille dies, & qui nascentur ab illo,
Exactum ad mensem, pluvia ventisque carebunt:
Votaque servati *c* solvent in littore nautæ
d Glauco, & *e* Panopeæ & *f* Inoo Melicertæ.
Sol quoque & exoriens, & cum se condet in undas,
Signa dabit; solem certissima signa sequentur,
Et quæ manè refert, & quæ *g* surgentibus astris.
h Ille ubi nascentem maculis variaverit ortum
2 Conditus in nubem, 3 medioque refugerit orbe;
Suspecti tibi sint imbres: namque urget ab alto
Arboribusque, satisque notus, pecorique siniſter;
i Aut ubi sub lucem densa inter nubila sese
Diversi erumpunt radii, aut ubi pallida surget
Tithoni croceum linquens Aurora cubile;
Heu male tum mites defendet pampinus uvas:
Tam multa in tectis crepitans salit horrida grando,
Hoc etiam, *k* emenso cum jam decedet olympo,
Profuerit meminisse magis: nam sæpe videmus
Ipsius in vultu varios errare colores:
Cœruleus pluviam denuntiat, igneus Euros,
Sin maculæ incipient rutilo immiscerier igni,
Omnia tunc pariter vento, nimbisque videbis
Fervere: non illa quisquam me nocte per altum
Ire, neque à terra moneat convellere funem
At si, cum referetque diem, condetque relatum,
Lucidus orbis erit; frustra terrebere nimbis,
Et *l* claro sylvas cernes Aquilone moveri.
Denique *m* quid vesper serus vehat, unde *n* serenas
Ventus agat nubes, quid cogitet humidus Auster,
Sol tibi signa dabit. *o solem quis dicere falsum,*
Audeat? ille etiam cœcos instare tumultus

2 *Rubicunda fiat.*
3 *Alba serenat.*
b Die quarto; qui certissimus est reliqui mensis index, quod tamen negant autores alii.
c Diis marinis Γλαύκῳ καὶ Νηρεῖ καὶ Ἰνοῖ Μελικέρτῃ. habuit Parthenius, unde sumpsit Virgilius. Εἰναλίῳ Μελικέρτῃ. A. Gel. 13. l. 25. c.
d E piscatore facto deo maris, herba degustata. 13. Met. Ovid.
e Doridis filiæ, nymphæ maris.
f Palæmoni, Portumno filio Inus. Ov. Metam. 4.
g Superveniente nocte.
h Sol oriens, maculosus.
2 Nubilus, aut. 3 Ex parte occultatus, pluviæ præsagium habet. *i* Aut si in ortu sub nube latens in diversas partes spargat radios. aut si Aurora ante ortum solem palleat, grandinem time, usque adeo vites verberantem, ut nec tectis parcat. *k* Decurso, confecto diei spatio, ubi occidet Sol. *l* Detergente nubes, serenitatem inducente. *m* Macrob. 1. Sat. citat Menippæam Varronis Satyram, cui titulus: *Nescis quid serus vesper vehat.* *n* Aridas, siccas. *o* Quis autem mortalium tam perditæ est audaciæ, ut Solem mundi oculum vanitatis arguat? testem atque inspectorem omnium naturalia ementitum esse signa; quando & in prodigiosis vera ediderit præsagia? ille enim deficiens prædixit bella civilia, &c.

Sæpe

Sæpe monet, fraudemque, & operta tumescere bella.
Ille etiam extincto miseratus *p* Cæsare Romam,
Cum caput obscura nitidum *q* ferrugine texit,
Impiaque *r* æternam timuerunt secula *r* noctem.
ſ Tempore quenquam illo tellus quoque, & æquora ponti,
Obscœnique canes, importunæque volucres
Signa dabant, quoties *t* Cyclopum effervere in agros
Vidimus undantem ruptis fornacibus Ætnam,
Flammarumque globos, liquefactaque volvere saxa?
Armorum sonitum toto Germania cœlo
Audiit: insolitis tremuerunt motibus Alpes.
Vox quoque per lucos vulgo exaudita silentes
Ingens: & *u* simulacra modis pallentia miris
Visa sub obscurum noctis: pecudesque loquutæ
Infandum. sistunt amnes, terræque dehiscunt:
Et mœstum illacrymat templis *x* ebur: æraque sudant.
Proluit insano *y* contorquens vortice sylvas
Fluviorum rex Eridanus: camposque per omnes
Cum stabulis armenta tulit. nec tempore eodem
Tristibus aut extis fibræ apparere minaces,
Aut puteis manare cruor cessavit, & alte
Per noctem resonare lupis ululantibus urbes.
z Non alias cœlo ceciderunt plura sereno
Fulgura: nec diri toties arsêre cometæ.
a Ergo inter sese *b* paribus concurrere telis
Romanas acies iterum videre *c* Philippi.
Nec fuit indignum superis bis sanguine nostro
d Emathiam, & latos *e* Æmi pinguescere campos.
Scilicet & tempus veniet, cum finibus illis
Agricola, incurvo terram molitus aratro,
Exesa inveniet scabra rubigine pila:
Aut gravibus rastris galeas pulsabit inanes,
f Grandiaque effossis mirabitur ossa sepulchris.

p A conjuratis, in Senatu, interfecto.
q Defectu, eclipsi pallatus luxit.
r Rerum omnium exitum, mundi dissolutionem. Quanquam testantur autores, Solis globum per totum illum annum palluisse.
ſ Prodigia hæc, aliaque habes apud Plutarchum in vita Cæsaris, Appianum in bellis civilibus, Ovidium 15. Met. Lucanum l. 1. &c. ad quem vide quæ & nos.
t In fines Siculos, ubi Cyclopes e familia Polyphemi, & officina Vulcani.
u Umbræ.
x Eburnea Deorum simulacra; & ærea. Θεῶν γ' ἐξίστασθαι δάκρυα. Calaber. 12. l.
y Inundans.
z Quod infausti est ominis. *per purum tonantes egit equos.* Horat. 1. lib. 34. Ode.
a Quæ omnia prodigia prædixerunt & alia futura bella civilia, Octavii sc. & Antonii contra Brutum & Cassium.
b *Infestis obvia signis Signa, pares aquilas, & pila minantia pilis.* Lucan. 1. lib.
c Excusandus est noster, qui Pharsalum Thessaliæ, ubi depugnatum est inter Cæsarem & Pompejum, confundit cum Philippis Macedoniæ, ubi Octavius & Antonius ulturi percussores Cæsaris devicerunt Brutum & Cassium. vide quæ nos ad Lucanum sub fine lib. 1. qui in eodem errore est, ut & Ovidius 15. Metamor. & alii.
d Macedoniam. quam pro Thessalia promiscue usurpat passim Lucanus.
e Montis Thraciæ.
f Magnorum & nobilium virorum.

g Dii patrii, h Indigetes, & Romule, i Vestaque mater
Quæ Thuscum Tiberim, & Romana palatia servas,
k Hunc saltem everso juvenem succurrere seclo
Ne prohibete satis jam pridem sanguine nostro
l Laomedonteæ luimus perjuria Trojæ.
Jampridem m nobis cœli te regia, Cæsar,
Invidet, atque hominum queritur curare triumphos.
n Quippe ubi fas versum atque nefas, tot bella per orbem;
Tam multæ scelerum facies; non ullus aratro
Dignus honos; squallent abductis arva colonis;
Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.
o Hinc movet p Euphrates, illinc Germania bellum:
Vicinæ ruptis inter se legibus urbes
Arma ferunt: q sævit toto Mars impius orbe.
Ut cum carceribus sese effudere quadrigæ,
Addunt se in spatia: & frustra retinacula tendens
Fertur equis auriga, neque r audit currus habenas.

g Romani Imperii Præsides, Tutelares Dii, Jupiter Capitoline, Mars pater, Phrygii penates.
h Indigenæ, inde nati, & in Deos relati, Æneas, Quirine.
i Cujus æterni ignis religione æternum constat imperium.
k Augustum.
l Luimus perjuria Laomedontis regis Trojæ qui Apollinem & Neptunum pacta condendorum Trojæ mœniorum mercede fraudavit. m *Nostris vitiis iniquum* invidet, indignata *te hic potius amare triumphos.* Hor. 2. Ode. 1. 1. n Ita scelere permista sunt jura divina & humana omnia, adeoque per armorum fremitum silent pacis jura. *multos inarata per annos Hesperia est, desuntque manus poscentibus arvis.* Luc. o Nec longinqua tantum hinc inde moventur bella, sed & a vicinis. p Flu. Mesopotamiæ. innuit autem Orientis populos, Parthos. q Quinimo per orbem totum longe lateque grassatur furor Martius. Mortales omnes *in facinus jurasse putes.* præcipites adeo in scelesta ruunt arma. non secus ac feroces equi carceribus emissi, quibus ubi jam cursu in spaciis incaluere animi, effrenes se proripiunt, non habenis coercendi, non sufflamine remorandi. r *Equi auris in ore est.* Horat.

GEORGICORUM LIB. II.

ARGUMENTUM.

ARborum procreandarum ratio, eaque vel Naturalis; sponte, semine, radice: vel artificialis, avulsione, infossione propagatione, transpositione, surculo, insitione, & inoculatione Species arborum; steriles & fructificæ. Quibus quæ sola conveniant. Italia aliis terris prælata. Terræ qualitas ut discerni possit. Vites & earum cura. Et Olearum. Laus rusticæ vitæ cum aliis collatæ.

HActenus arvorum cultus, & sydera cœli:
Nunc a te, Bacche, canam: nec non sylvestria tecum
b Virgulta, & prolem c tarde crescentis olivæ.

a Tua, Bacche, munera vites. quarum tamen alii Alpheo. Osiridi alii, alii Thebanis inventionem ferunt acceptam. b Arbores quibus maritantur vites, nec non alias. c Hesiodus negavit oleæ satorem, fructum ex ea percepisse. Plin. 15. l. 1. c.

Huc

Huc pater ô *d* Lenæe (tuis hic omnia plena
Muneribus: tibi pampineo gravidus autumno
Floret ager: ſpumat plenis vindemia *e* labris)
Huc pater ô Lenæe veni, nudataque muſto
Tinge novo mecum direptis crura cothurnis.
f Principio arboribus varia eſt natura creandis;
g Namque aliæ nullis hominum cogentibus, ipſæ
1 Sponte ſua veniunt, campoſque, & flumina late
Curva tenent: ut molle ſiler, lentæque geniſtæ,
Populus, & glauca *h* canentia fronde ſalicta.
2 Pars autem poſito ſurgunt de ſemine: ut altæ
Caſtaneæ, nemorumque Jovi quæ maxima frondet
Æſculus, atque habitæ Grajis *i* oracula quercus.
3 Pullulat ab radice aliis denſiſſima ſylva:
Ut ceraſis, ulmiſque etiam *k* Parnaſſia laurus
Parva ſub ingenti matris ſe *l* ſubjicit umbra.
Hos natura modos primum dedit: his genus omne
Sylvarum, fruticumque viret, nemorumque ſacrorum.
m Sunt alii, quos ipſe via ſibi repperit uſus.
1 Hic plantas tenero abſcindens de corpore matrum
Depoſuit ſulcis: 2 hic ſtirpes obruit arvo,
Quadrifidaſque ſudes, & acuto robore vallos.
3 Sylvarumque aliæ preſſos propaginis arcus
Exſpectant: & viva ſua plantaria terra.
4 Nil radicis egent aliæ, ſummumque putator
Haud dubitat terræ referens mandare cacumen.
5 Quin & caudicibus ſectis (mirabile dictu)
Truditur è ſicco radix oleagina ligno:
6 Et ſæpe alterius ramos impune videmus
Vertere in alterius, mutatamque inſita mala
Ferre pyrum, & prunis lapidoſa rubeſcere corna.
Quare agite ô proprios generatim diſcite cultus

d Ἀπὸ λήνου, lacus, torcular, ad quod invitat Bacchum cothurnis exutum calcandis in lacu uvis, hoc eſt, mihi adſis, O Bacche, de muneribus tuis dicturo, eadem benignitate, qua faves vitiſatoribus.
e Vaſis quæ vinum e torculari excipiunt, cupis, lacubus.
f *Prima pars libri continet rationem procreandi arborum, idque vel Natura, vel Arte.*
g Natura profert arbores tribus modis.
1 Sponte,
2 Semine,
3 Radice.
h Ab inferiore parte canent ſalices, a ſuperiore virent.
i Dodonæam ſylvam fabulati ſunt Græci reddidiſſe reſponſa per columbas duas ſeu virgines, vel lebetes, unam autem quercum vocalem fuiſſe, unde carina Argus facta. Et ipſa erat fatidica. *k* Quæ multa naſcitur in Parnaſſo Phocidos monte. *l* Succreſcit. *m* Ars autem, cura, caſus etiam & uſus adinvenit alios modos ſerendi arborum; præcipue vero ſex ſunt. 1, 2, 3. &c. 1 Avulſio ſtolonum cum fimbriis a ſtirpe, hos ſcrobibus mandant. 2 Ubi ſtirpes ipſæ, vel taleæ ſudeſve ab illa parte, qua infiguntur terræ transverſum fiſſæ, aut etiam valli ſpicati infodiuntur. 3 Propagatio, cum ramus arcuatus in ſcrobem depreſſus radicem agit. 4 Surculi, ramulive abſciſſi ſatio. 5 Ubi ex caudice olivæ quaſi intermortuo, ſecto tamen & infoſſo nova pullulaſcit planta, vide Floridi Sabini 2 l. Subciſ. c. 16. 6 Inſitio. ubi citra damnum ſtirpi immittitur ſurculus e feliciore arbore & fructus mollioris ſic, &c.

Agricolæ, fructuſque feros mollite colendo:
Neu ſegnes jaceant terræ. *n* juvat Iſmara Baccho
Conſerere, atque olea magnum veſtire *o* Taburnum.
p Tuque ades, inceptumque una decurre laborem
O decus, ô famæ merito pars maxima noſtræ,
Mecœnas, *q* pelagoque volans da vela patenti.
Non ego cuncta meis amplecti verſibus opto,
Non, mihi ſi linguæ centum ſint, oraque centum,
Ferrea vox: ades, & primi lege littoris oram.
In manibus terræ; *r* non hic te carmine ficto,
Atque per ambages, & longa exorſa tenebo.
ſ Sponte ſua quæ ſe tollunt in luminis *a* auras,
Infœcunda quidem, ſed læta, & fortia ſurgunt:
b Quippe ſolo natura ſubeſt, tamen hæc quoque ſi quis
Inſerat, aut ſcrobibus mandat mutara ſubactis,
Exuerint ſylveſtrem *c* animum; cultuque frequenti
In quaſcunque voces artes, haud tarda ſequentur,
d Nec non & ſterilis, quæ ſtirpibus exit ab imis,
e Hoc faciet, vacuos ſi ſit digeſta per agros.
f Nunc altæ frondes, & rami matris opacant,
Creſcentique adimunt fœtus, *g* uruntque ferentem.
h Nam, quæ ſeminibus jactis ſe ſuſtulit arbos,
Tarda venit, ſeris factura nepotibus umbram.
Pomaque degenerant ſuccos oblita priores,
Et turpes avibus prædam fert *i* uva racemos.
Scilicet k omnibus eſt labor impendendus, & omnes
Cogendæ in ſulcum, ac multa *l* mercede domandæ.
m Sed truncis oleæ melius, propagine vites
Reſpondent, ſolido *n* Paphiæ de robore myrtus,
Plantis & duræ coryli naſcuntur, & ingens

n Cura & induſtria etiam naturam evincent. ita ut vel montes Thracii vites ferant, inculti Samnitum colles oleas.
o Samnii mon. Cluverius. 1. l. 7. c. Italiæ antiquæ,
p Tuque Mecœnas præſens benigna aura adſpira velis meis, naviculæ meæ; quæ in altum materiæ tam arduæ & immenſæ mare provehi per ſe timet.
Neque enim tanto operi ſuffecero; non ſi mihi linguæ C. ſint, oraque C. ferrea vox.
q — Proinde da veniam legenti littus, nec procul a terra portuve ipſo diſcedere audenti. *Sic enim hæc concipere ſubit*, deſerere interpretes & ſequi Senecam: qui ultimo libro de Benefic. exordium præmittit, legitque, *In manibus terræ. Non hic te carmine longo, Atque per ambages & longa exorſa tenebo.* Ubi Lipſius, A navigantibus ſumptum, *jam portumque terramque tangimus.* *r* Omittam itaque ambages & longa exordia; *& ſumma ſequar faſtigia rerum.* Virgilius, inquit Plinius prologo l. 14. flores modo rerum decerpit. *ſ Redit Poeta ad naturam & culturam trium generum, quæ ſupra memineraf, naturalium arborum & primo earum quæ ſponte naſcuntur.* *a* Al. *oras.* *b* His quippe terra mater eſt. *c* Naturam. *d* Secundo, quæ ex radice matris pullulant. *e* Cultu miteſcit liberum indepta campum & aera. *f* Quandiu ſuccreſcunt. *g* Enecant. *h* Tertia ſpecies naturalium arborum; quæ ex ſemine. *i* Vitis. *k* Quæ ſponte, radice, & ſemine. *l* Opera, ſumptu. Al. *ac mutata ſede domandæ.* *m* Ex iis autem arboribus, quas arte & uſu natas dixi, aliæ aliis modis naſcuntur melius: oleæ ex truncis, Vites propagine &c. *n* Veneri Paphiæ ſacræ.

Fraxinus, *o* Herculeæque arbos umbrosa coronæ,
p Chaoniique patris glandes: etiam ardua palma
Nascitur, & casus abies *q* visura marinos.
Inseritur vero ex fœtu nucis arbutus horrida:
Et steriles platani malos gessere valentes,
Castaneas fagûs, *r* ornusque incanuit albo
Flore pyri; glandemque sues *f* fregere sub ulmis.
Nec *t* modus inserere, atque oculos imponere, *t* simplex:
u Nam qua se medio trudunt de cortice gemmæ,
Et tenues rumpunt tunicas, angustus in ipso
Fit nodo sinus: huc aliena ex arbore germen
Includunt, udoque docent *x* inolescere libro.
y Aut rursum enodes trunci resecantur, & alte
Finditur in solidum cuneis via, deinde *a* feraces
Plantæ immittuntur: nec longum tempus, & ingens
Exiit ad cœlum ramis felicibus arbos,
Miraturque novas frondes, & non sua poma.
b Præterea genus haud unum, nec fortibus ulmis,
Nec salici, lotoque, nec *c* Idæis cyparissis.
Nec pingues unam in faciem nascuntur olivæ,
d Orchades, & *e* radii, & amara *f* pausia bacca
g Pomaque, & *g* Alcinoi sylvæ: nec surculus idem
h Crustumiis, *i* Syriisque pyris, *k* gravibusque volemis,
Non eadem arboribus pendet vindemia nostris
Quam *l* Methymnæo carpit de palmite Lesbos.
Sunt *m* Thasiæ vites, sunt & *n* Mareotides albæ:
Pinguibus hæ terris habiles, levioribus illæ:
Et passo *o* Psythia utilior, tenuisque *p* Lageos

o Herculi sacra est alba populus, ut qua coronatus descendit ad inferos. *p* Jovis, cui Dodoneum nemus sacrum. *q* Navis futura, ut quæ malis & antennis propter levitatem apta. *r* Lectio convenientior præcedentibus, quam *Castaneæ fagos*, ut fagus sit pluralis rectus quartæ inflexionis. *f* Legere habet Florid. Sabinus 1. Subcis. c. 12. *t* Nec una tantum ratio est inserendi atque inoculandi. *x* Inoculandi ratio. ecta fissaque. *y* Insitionis ratio stirpe resec-

x *Incorporari.* Plin. 17. l. 14. c. *a* Feliciores surculi inseruntur. *b* *Secunda pars libri: de speciebus arborum.* 3. *holearum.* totidem *pyrorum.* 15. *Uvarum*, *quarum Plin.* l. 15. c. 15. *numerat.* 35. *c* Cupressis nobilis est Ida Cretica. Ἐν Κρήτῃ ἐν τοῖς Ἰδαίοις ὄρεσι κυπαρίττινον εἶναι, Theophrast. 4. hist. *d* Al. *Orchites*, a similitudine & rotunditate. *e* Olivæ longæ. *f* A paviendo. Servius. Dicitur & *posia* & *pusia*. Columel. 5. l. 8. c. & Cato 7. c. sed de his omnibus vide Rei Rusticæ autores. immensi enim operis foret, omnia adferre. *g* Pomaria, & poma, quo nomine concluduntur pyra & alii omnes fructus. celebrantur autem horti Alcinoi regis Phæacum Hom. Odyss. 7. *h* Pyris a Crustumio opp. Italiæ. *i* Tarentinis, e Syria translatis. *k* Quæ volam implent. *l* Methymna urbs in Lesbo insula vino nobilissimo laudata. *m* Huc ex Thaso insula Ægæi maris translatæ. *n* Ex Mareotide Ægyptia translatæ. *o* Græcula (Columel. 2. c. l. 3. vel a ψύθα mustum) vitis aliis utilior ad passum conficiendum, vinum sc. ex uvis ad Solem pansis & passis, quomodo fiat, vide Columel. 12. l. c. 3. & Pallad. 11. l. 19. tit. *p* A colore leporario, ut & aliæ uvæ, vide Brodæi Misc. lib. 4. cap. 25.

Ten-

Tentatura q pedes olim, vincturaque linguam :
r Purpureæ, ſ Preciæque ; & quo te carmine dicam
t Rhetica ? nec cellis ideo contende Falernis.
Sunt etiam u Amineæ vites, firmiſſima vina ;
* Tmolus & aſſurgit quibus, & rex ipſe Phanæus,
x Argitiſque minor ; cui non certaverit ulla ;
Aut tantum fluere, aut totidem durare per annos.
Non ego te y menſis & y diis accepta ſecundis,
Tranſierim, Rhodia, & tumidis z Bumaſte racemis.
1 Sed neque quam multæ ſpecies, nec nomina quæ ſint,
Eſt numerus : neque enim numero comprendere refert :
Quem qui ſciré velit, Libyci velit æquoris idem
Diſcere, quam multæ Zephyro turbentur arenæ :
Aut, ubi navigiis violentior incidit Eurus,
Noſſe, quot Jonii veniant ad littora fluctus.
2 Nec vero terræ ferre omnes omnia poſſunt.
Fluminibus ſalices, craſſiſque paludibus alni
Naſcuntur ; ſteriles ſaxoſis montibus orni :
Littora myrtetis lætiſſima : denique apertos
Bacchus amat colles : Aquilonem, & frigora taxi.
Aſpice & extremis 3 domitum cultoribus orbem,
Eoaſque domos Arabum, a pictoſque Gelonos ;
b Diviſæ arboribus patriæ. ſola India nigrum
Fert ebenum : c ſolis eſt thurea virga Sabæis.
Quid tibi odorato referam d ſudantia ligno
Balſamaque, & baccas ſemper frondentis e acanthi ?
Quid nemora Æthiopum molli canentia f lana ?

q Pedes capiat primum, inciator doloſus eſt. Inebrians ſe & percutiens caput & pedes flore Liberi.
r A colore itidem.
ſ Quaſi præcoquæ, Colum. l. 3. c. 2. & Plin. 14. l. c. 2.
t Quo vino delectatus eſt Auguſtus. Suet. c. 77. hæret itaque Poeta in laude ejus : præfert tamen Falernum. Rhetia autem Veronam complectitur. Plin. lib. 14. cap. 6.
u Ab Aminea regione, ubi nunc Falernum eſt. Macrob. Saturn. 2. lib. cap. 16. vide Cluverium lib. 4. c. 5. Ital. * Quibus cedant (ut eclog. 6. *utque viro Phœbi chorus aſſurrexerit omnis*) & vites Tmoli Lydiæ unonis, & ipſæ principatum obtinentes vites Phanæi, qui promontorium eſt Chii inſ. x Ab Argis traducta primum. vel a candore ἀργὸς. y Uvæ penſiles ſecundarum menſarum τραγήμασι, c Rhodo trad. aut vina in ſacris Deorum : vel propinata in honorem heroum in ſecundis menſis. v. Luiſin. par. l. 1. c. 7. z Tument mammarum modo bumaſti, Plin. 14. c. 1. unde & bumamma dicta Vaccio, apud Varrorem R. R. lib. 2. c. 5. 1 Adeo infinita ſunt vitium genera Hyperbolice. 2 *Tertia libri pars. Quæ loca conveniant naturali ſympathia quibus arboribus. Deinde quæ arbores ſint peculiares quibuſdam regionibus.* 3 Domitum cum cultoribus extremis. in gratiam Auguſti dictum. a Stigmatis inuſtos. *Membraque qui ferro gaudet pinxiſſe Gelonus.* Claudian. in Ruſinum. Quin potius, *pictos* ut habet Marcellinus 13. lib. cæruleo colore interſtincti corpora & crines. & Mela. l. 2. Sic *picti Agathyrſi*, Scythiæ itidem pop. Æn. 4. & *Britanni olim picti & cærulei.* vide quæ nos ad Martialem lib. 11. ep. 54. vidi tamen apud Indos, non paucos diſtinctos in ornamentum, ſtigmatis ad formam monilium, torquium, &c. b Proprias & peculiares habent arbores ſuas certæ regiones. c Thuriferam arborem ſoli habent Sabæi Arabiæ felicis populi. d Arbores Judææ balſamum ſudantes. e Acanthion, arbor ſpinea, foliis araneoſa lanugine obductis, e qua collecta veſtes bombycinis ſimiles ſunt in Oriente, Plin. 24. lib. 12. cap. f Goſſipio ἐριοξύλῳ, Plin. 12. lib. 10. c. & 11.

Velleraque ut foliis g depectant tenuia g Seres ?
Aut quos Oceano propior gerit India lucos,
Extremi sinus orbis ? ubi aëra vincere summum
Arboris haud ullæ jactu potuere sagittæ,
Et h gens illa quidem sumptis non tarda pharetris.
i Media fert k tristes succos, tardumque saporem
Felicis mali : quo non præsentius ullum,
Pocula si quando sævæ infecêre novercæ,
Miscuerintque herbas, & l non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.
Ipsa ingens arbos, faciemque simillima lauro :
Et, si non altum late jactaret odorem,
Laurus m erat : folia haud ullis labentia ventis,
Flos n apprima tenax : o animas & olentia Medi
Ora fovent illo, & p senibus medicantur anhelis.
q Sed neque Medorum sylvæ, ditissima terra,
Nec pulcher r Ganges, atque auro turbidus r Hermus,
Laudibus Italiæ certent non ; s Bactra, neque Indi,
Totaque thuriferis t Panchaia pinguis arenis.
u Hæc loca non tauri spirantes naribus ignem
Invertêre, satis immanis dentibus Hydri :
Nec galeis, densisque virûm seges horruit hastis :
Sed gravidæ fruges, & Bacchi Massicus humor
Implevere : tenent oleæque, armentaque læta.
Hinc bellator equus campo sese arduus infert :
Hinc albi, * Clitumne, greges, & maxima taurus

g Nostro ad stipulatur Plin. l. 6. c. 17. Seres lanificio sylvarum nobiles, perfusam aqua depectentes frondium canitiem, Solinus, Strabo, alii. Quos tamen contrarendunt autores, autoritatis æque gravis, Pausanias, Pollux, Heliodorus ; ali arboribus apud Seras vermem aranei similem, cujus e visceribus prodit volumen staminis serici. Bombycinum itaque idem cum Serico esse volunt. lege epistolam Marsilii Cognati II. lib. 4. ad Aloysium Rodulphum, necnon Pancirol. de nove repertis tit. 24. & ad eum H. Salmuth. & Sannazarii bombyces *silke wormes*. h Gens utut sagittis mittendis strenua. De arboribus Plin. l. 7. c. 2. i Habet & Media arborem suam virtute atque usu mirabilem. Ex notis autem citrea esse creditur, quæ & Medica dicitur. Alibi jam olim nascitur. k Malum acerbi succi. Hypallage. l Magica, malefica carmina. m Esset, esse videretur. n Hellenissimus. τὰ πρῶτα. Alii, *apprime*. o Olentibus vino nimio animis succurrunt Medi proceres grano Assyrii mali. Plin. II. l. 53. c. Rhododendron hanc dici vult Bapt. Pius 4. c. Priorum. p Spiritus angustia laborantibus, δυσπνόοις καὶ ἀσθματικοῖς. q Occasione sumpta digreditur in Italiæ laudes, quam aliis omnibus terris præfert, tum propter mala, quibus caret, serpentes, venena, &c. tum propter bona quibus uberrime affluit, eminetque : uber soli, fruges, vinum, oleum, armenta, greges, aeris temperiem, atque inde fœcunditatem & proventus amplissimos, urbes, ædificia, flumina, maria, lacus, metallorum fodinas, populos, viros denique bello claros, atque in his præcipue Augustum. r Non India Gange, non Lydia Hermo fl. aureis celebres cum Italia sunt conferendæ. s Bactrianæ regia, quæ est in Persia h. *Corasan*. t Arabiæ Felicis pars, thuris & aromatum feracissima, unde addit *arenis*. u Multo minus Italiæ conferri poterunt Colchi aurei velleris, flammiferorum taurorum, serpentigenarum fabula famosi. * Flu. in Falisci, cujus aqua pota boves candidos facit.

Victi-

Victima, sæpe tuo perfusi flumine [x] sacro
Romanos ad templa deûm [y] duxere triumphos.
Hic ver assiduum, atque [z] alienis mensibus æstas;
[1] Bis gravidæ pecudes, bis pomis utilis arbos.
At rapidæ tigres absunt: & sæva [2] leonum
Semina; [a] nec miseros fallunt aconita legentes.
Nec rapit immensos orbes per humum, neque tanto
Squammeus in spiram tractu se colligit anguis.
Adde tot egregias urbes, operumque laborem,
Tot congesta manu præruptis oppida saxis,
Fluminaque antiquos [b] subter labentia muros.
An mare, quod [c] supra memorem, quodque alluit [d] infra?
Anne lacus tantos? te [e] Lari [f] maxime, teque
Fluctibus & fremitu assurgens [g] Benace marino?
An memorem [h] portus, [k] Lucrinoque addita claustra?
Atque [i] indignatum magnis stridoribus æquor?
[k] Julia qua ponte longe sonat unda refuso?
Tyrrhenusque fretis immittitur æstus Avernis?
Hæc eadem argenti rivos, æriscque metalla
Ostendit venis, atque auro plurima fluxit.
Hæc genus acre virûm, Marsos, pubemque Sabellam,
Assuetumque [l] malo Ligurem, Volscosque [m] verutos
Extulit: hæc [n] Decios, [n] Marios, magnosque [n] Camillos,
Scipiadas duros bello, & te, maxime Cæsar,
Qui nunc extremis Asiæ jam victor in oris
Imbellem [o] avertis Romanis arcibus Indum.
Salve magna parens frugum, [p] Saturnia tellus,
Magna virûm: [q] tibi res antiquæ laudis & artis
Ingredior, sanctos ausus recludere fontes:
Asceræumque cano Romana per oppida carmen.

[x] Jovi, qui hinc & Clitumnus dictus. licet omnes fluvii sacri habentur.
[y] Præibant in sacris & triumphis victimæ coronatæ, ducebantque pompam.
[z] Non statis, ut alibi. sed etiam per autumnum, ipsamque hyemem.
[1] Ut in agro Consentino. Plin. 16. lib. 27. cap.
[2] Neque leones hic nati.
[a] Neque enim hic nascuntur venenatæ herbæ, aconitum fingant ex Cerberi spuma genitum in ἀκόνιτις. Alii ab Acone portu ponti.
[b] Cingentia, vel alluentia, aut etiam interfluentia, forte aquæductus. [c] Superum mare, Adriaticum. h. Venetum. *golfo di Venetia.* [d] Inferum mare, Tyrrh. [e] Prope Comum. *Lago di Como.* [f] Qui distinguunt & per *maxime* intelligi Verbanum lacum volunt, quia h. dicitur *lago maggiore*, exploduntur a Cluverio l. 2. It. antiq. c. 36. [g] Lacus in agro Veronensi. [h] Ante omnes Julium portum a Julio inceptum, ab Augusto perfectum, ubi mare Tyrrhenum a Lucrino molibus seclusum. Hor. epist. ad Pisones: *sive receptus Terra Neptunus classes Aquilonibus arcet.* [i] Se excludi, arcerique. [k] Portum Julium apud Bajas, immisso in Lucrinum & Avernum lacum mari, effecit, Sueton. in Augusto. [l] Labori & rerum inopiæ. ubi *mare senza pesci, montagni senza alberi.* [m] Gladiis punctim cædentibus, veruum instar, usos. Imperatores, qui se pro legionibus devoverunt, patriæ assertores, & belli fulmina. [o] Imminentes Latio Parthos alioqui Asiæ pop. tuis legionibus impares armis coerces. [p] Saturno quondam regnata. 8. Æneid. [q] In tuum usum laudatas olim Rei Rusticæ artes canere aggrediox, Hesiodi Ascræi præceptis insistens.

r Nunc locus arvorum ingeniis, quæ robora cuique,
Quis color, & quæ sit rebus natura ferendis.
1 Difficiles primum terræ, collesque maligni,
Tenuis ubi argilla, & dumosis calculus arvis,
Palladia gaudet sylva *s* vivacis olivæ.
t Indicio est tractu surgens oleaster eodem
Plurimus, & strati baccis sylvestribus agri.
2 At, quæ *u* pinguis humus, dulcique uligine læta,
Quique frequens herbis, & fertilis ubere campus,
Qualem sæpe cava montis convalle solemus
Despicere: huc summis liquuntur rupibus amnes,
Felicemque trahunt limum; quique editus Austro,
Et filicem curvis invisam pascit aratris:
Hic tibi prævalidas olim, multoque fluentes
Sufficiet Baccho vites; hic fertilis uvæ,
a Hic laticis, qualem pateris libamus & auro,
Inflavit cum pinguis ebur Tyrrhenus ad aras,
Lancibus & pandis fumantia reddimus exta.
3 Sin armenta magis studium, vitulosque tueri,
Aut fœtus ovium, aut *b* urentes culta capellas:
Saltus, & *c* saturi petito longinqua Tarenti,
Et qualem infelix amisit Mantua campum,
Pascentem niveos herboso flumine cygnos.
Non liquidi gregibus fontes, non gramina desunt:
d Et quantum longis carpent armenta diebus,
Exigua tantum gelidus ros nocte reponet.
4 Nigra fere, & presso pinguis sub vomere terra,
Et cui putre solum (*e* namque hoc imitamur arando)
Optima frumentis: non ullo ex æquore cernes
Plura domum tardis decedere *f* plaustra juvencis:
* Aut unde *g* iratus sylvam devexit arator,
Et nemora evertit multos *h* ignava per annos,
Antiquasque domos avium cum stirpibus imis
Eruit. Illæ altum nidis petiere relictis:

r Quatra libri hujus pars distinguit naturas, vires, qualitates, notas, indicia terræ: quæ sc. conveniant aleis, quæ 2 vitibus, 3 pascuis, 4 & frugibus, Varro 1. l. 9. c. Columel. 2. l. 11. c. Palladius l. 1. tit. 5. & 7. Theophrast. lib. 2
s Tarde crescentis. supra, & diu durantis, Plin. 10. l. 12. c. & 16 l. 44. c.
t Natura hoc indicante, cum hujusmodi solo nascantur sponte oleæ.
u Ad radicem montium, declivi tamen planitie Meridiem spectante, uliginosus, læto & uberi proximus, filicis impeditus.
a Quæ quant precioso vino dignoque quod libetur aureis pateris in Deorum sacris, ubi pinguis minister ex Etruria tibiis canit eburneis, & exta aris superponuntur patulis lancibus. *b Morsus capræ arbori exitialis*, &c. Plin. 8. lib. 50. c. Varro 1. lib. 2. c. *c* Qualia sunt pascua circa Tarentum, aut Mantuam, cujus agri divisi erant veteranis post prælium Philippense. 6. eclog. *d* De Rosææ campis, quos Vopiscus *fumen Italiæ* dixit, in quibus relicta pertica postridie non appareret. vide Varr. 1. l. 7. c. Plin. 4. l. 7. c. *e* Neque enim aliud est *colere*, quam resolvere & fermentare. Colum. 2. lib. 2. cap. *f* Messe onusta, ut gemant boves, crepent horrea. * Illud etiam solum bonum est, quod e sylvestri in culturam domatur. *g* Obfuisse suo commodo sylvas. vel, vehemens & attentus succidendis arboribus. *h* Infrugifera.

At *i* rudis enituit impulso vomere campus.
Nam jejuna quidem clivosi *k* glarea ruris
Vix humiles apibus casias, roremque ministrat:
Et *l* tophus scaber, & nigris *m* exesa chelydris
Creta negant alios æque serpentibus agros
Dulcem ferre cibum, & curvas præbere latebras.
n Quæ tenuem exhalat *o* nebulam, *o* fumosque volucres;
Et bibit humorem, & cum vult ex se ipsa remittit;
Quæque suo viridi semper se gramine vestit;
Nec scabie, & *p* salsa lædit rubigine ferrum:
Illa tibi lætis intexit vitibus ulmos;
Illa ferax oleæ est, illam experiere colendo
Et facilem pecori & patientem vomeris unci.
Talem dives arat *a* Capua, & vicina *b* Vesevo
c Ora jugo, & vacuis Clanius non æquus *d* Acerris.
e Nunc quo quamque modo possis cognoscere, dicam.
1 Rara sit, an supra morem si densa, requiras:
(Altera frumentis quoniam favet, altera Baccho;
2 Densa magis Cereri, rariſſima quæque Lyæo)
Ante locum *f* capies oculis, alteque jubebis
g In solido *h* puteum demitti, omnemque repones
Rursus humum, & *i* pedibus summas æquabis arenas
Si deerunt, rarum; pecorique & vitibus almis
Aptius uber erit: sin in sua posse negabunt
Ire loca, & *k* scrobibus superabit terra repletis;
l Spissus ager: glebas cunctantes, crassaque terga
Exspecta, & validis terram proscinde juvencis.
3 Salsa autem tellus, & quæ perhibetur amara,
Frugibus infelix (ea *m* nec mansuescit arando,
n Nec Baccho genus, aut pomis sua nomina servat)
Tale dabit specimen. tu spisso vimine *o* qualos
Colaque prælorum fumosis deripe *p* tectis.
Huc *q* ager ille malus, dulcesque à fontibus undæ
Ad plenum *r* calcentur: aqua *s* eluctabitur omnis

i Horridus ante sylvis nunc cultura nitescit.
k Glareosa contra terra est sicca & proinde sterilis vix casiam educat apibus, vix rorem, forte marinum.
l Tophacea est scabra.
m Cretacea alit serpentes.
n Humida vero terra, irrigua, herbosa, dulcis, erit omni usui apta, oleis, vitibus, pascuis, frugibus.
o Humoris indices.
p Quod salsuginis indicium est. infra, *salsa tellus frugibus infelix.*
a Campaniæ metropolis.
b Campaniæ monti crebris incendiis infami. Cluver. 4. 1. 5. c.
c De ora in locum tou

Nola, vide Agel. 7. lib. 20. c. *d* Camp. item oppido Clanii fl. inundationibus infestato & incolis exhausto, proinde *vacuo*. Cluv. 4. lib. 5. cap. *e* *Docet quibus modis explorandæ sint terræ qualitates ac discernendæ: utrum sit*, 1 *rara*, *an* 2 *densa*, 3 *salsa*, 4 *pinguis*, 5 *humida*, 6 *gravis*, 7 *levis*, 8 *nigra*, 9 *frigida*. *f* Locum aliquem lustrabis eligesque. *g* Ubi terra solida maxime est, non cava. *h* Scrobem. *i* Calcibus preme terram ingestam. *k* Si scrobs terram egestam recipere non possit. *l* Pro certo habe terram illam esse gravem, solidam & spissam. *m* non ponit salsam amaritudinem, dulcisque fit. *n* Quin & vites & poma in ea degenerant. *o* Sume vimineos qualos & cola quæ vinum e prælis recipiunt. *p* Ubi reponebantur ab injuria pluviæ secura. *q* Terra ex agro quem explorare vis. *r* Fontana, aqua dulci imple *s* Viam sibi faciet, transibitque.

Scilicet, & grandes ibunt per vimina guttæ.
At ſapor indicium faciet manifeſtus, & ora
Triſtia tentantum ſenſu [t] torquebit amaror.
4 Pinguis item quæ ſit tellus, hoc denique pacto
Diſcimus: [u] haud unquam manibus jactata fatiſcit,
Sed picis in morem ad digitos [n] lenteſcit habendo.
5 Humida majores herbas alit, ipſaque juſto
Lætior. ah! * nimium ne ſit mihi fertilis illa,
Neu ſe prævalidam primis oſtendat ariſtis.
6 Quæ gravis eſt, ipſo tacitam ſe pondere prodit:
7 Quæque levis. 8 promptum eſt oculis prædiſcere nigram
Et quiſquis color. 9 at [x] ſceleratum exquirere frigus
Difficile eſt. [y] piceæ tantum taxique nocentes
Interdum, aut hederæ pandunt veſtigia nigræ.
[z] His animadverſis; 1 terram multo ante memento
Excoquere: & [a] magnos ſcrobibus concidere montes.
Ante ſupinatas Aquiloni oſtendere glebas,
Quam lætum infodias vitis genus. optima putri
Arva ſolo: id venti curant, gelidæque pruinæ,
Et labefacta [b] movens robuſtus jugera foſſor.
2 At [c] ſi quos haud ulla viros vigilantia fugit;
Ante [d] locum ſimilem exquirunt, ubi prima paretur
Arboribus ſeges, & [e] quo mox digeſta feratur,
[f] Mutata ignorent ſubito ne [g] ſemina [h] matrem,
Quinetiam cœli regionem in cortice [i] ſignant:
Ut quo quæque modo ſteterit, qua parte calores
[k] Auſtrinos tulerit, quæ tergo obverterit [l] Axi,
Reſtituant: *adeo in teneris conſueſcere multum eſt.*
3 Collibus, an plano melius ſit ponere vites,
Quære prius. [m] ſi pinguis agros metabere campi,
Denſa ſere: in denſo non ſegnior ubere Bacchus.
[m] Sin tumulis acclive ſolum, colleſque ſupinos,

t Lectionem hanc adſtruit Favorinus apud A. Gell. l. 1. c. 21. & Lud. Carrio l. antiq. Lec. 1. c. 12. ex autoritate Lucretii l. 4. *Cum iuimur miſceri abſynthia, [illegible] it amaror.*

u Non eſt friabilis, ſed viſcoſa & lenta.

* Non probo luxurie evanidam, & quæ fallacibus ſpem eludit ariſtis.

x Perniciosum frugibus, plantis exiciale.

y Non raro tamen frigoris indicia ſunt taxi, piceæ, & hederæ nigræ ibi natæ.

z *Quinta pars libri, de vitibus ubi traditur.*

1 *paſtinatio*, 2 *tranſlatio e ſeminario*, 3 *ſatio*, 4 *defenſio*, 5 *vitium electio*, 6 *putatio*, 7 *ſtercoratio*, 8 *repaſtinatio*, 9 *pedatio*, 10 *pampinatio ſeu frondatio*, 11 *eaque repetita ablaqueatio, hortatio ad diligentiam.* a E ſcrobibus effoſſas glebas aggeſtaſque, invertere, ſoli, ventis & pruinæ exponere ut excoquantur & putreſcant, priuſquam viviradices ſolo committas. b Ut macerentur, fodiens, paſtinans. c Diligentes vinitores videant, at ——— d ——— Solum parent in uſum ſeminarii, ejuſdem naturæ & ſitus cum ——— e ——— Vineto in quod transferendæ ſint viviradices, ——— f ——— Ne degenerent, aut tabeſcant. g Plantæ, viviradices. h Vinetum quo transferuntur novellæ ex nutrice ſeminario. i Rubrica notet, ut quas cœli partes in ſeminario ſpectaverint, eaſdem & in vineto retineant. k Meridiem. l Septentrionali. m In plano ſolo denſius ordinabis vites, in acclivi, & collino rarius.

In-

Indulge ordinibus: nec secius omnis in [n] unguem
Arboribus positis secto [o] via limite [p] quadret.
[q] Ut sæpe ingenti bello cum longa cohortes
Explicuit legio & campo stetit agmen aperto,
Directæque acies, ac late [r] fluctuat omnis
Ære [s] renidenti tellus, [t] nec dum horrida miscent
Prælia, sed dubius mediis Mars errat in armis:
Omnia sint paribus numeris dimensa viarum:
[u] Non animum modo uti pascat prospectus inanem;
Sed quia non aliter vires dabit omnibus æquas
Terra, neque in vacuum poterunt se extendere rami.
Forsitan, & scrobibus [x] quæ sint fastigia quæras.
Ausim vel [y] tenui vitem committere sulco:
Altius ac penitus terræ defigitur arbos
Æsculus inprimis: [z] quæ quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in tartara tendit.
Ergo non hyemes illam, non flabra, neque imbres
Convellunt: immota manet, multosque per annos
Multa virûm volvens durando secula vincit.
Tum fortes late ramos, & brachia tendens
Huc illuc, media ipsa ingentem sustinet umbram.
[4] Neve tibi ad solem vergant vineta cadentem:
Neve inter vites * corylum sere: [5] neve flagella
Summa pete aut summas defringe ex arbore plantas;
(Tantus amor terræ.) [6] neu ferro læde [a] retuso
Semina: [b] neve oleæ sylvestres insere truncos.
Nam sæpe incautis pastoribus excidit ignis,
Qui furtim pingui primum sub cortice tectus
Robora comprendit, frondesque elapsus in altas
Ingentem cœlo sonitum dedit: inde sequutus
Per ramos victor, perque alta cacumina regnat,
Et totum involvit flammis nemus, & [c] ruit atram
Ad cœlum picea crassus caligine [d] nubem:
Præsertim si [e] tempestas à vertice sylvis
Incubuit, glomeratque ferens incendia ventus.

[n] Directas accurate. Metaph. a marmorariis. *ut per læve severos Effundas junctura ungues.* Pers. 1. Sat.
[o] Interstitia.
[p] In quadratum dirigatur. Alii quincuncem innui volunt. sed non quadrat.
[q] Similitudo illustris.
[r] Κυμαίνει, undanti mari similis movetur.
[s] Armis telisque vibratis. Lucret. 2. l. *Acre renidescit tellus.*
[t] Prælio nondum commisso.
[u] Neque hoc in speciem tantum ut delectet; sed in usum, ut ex æquo alimentum singulis supperat.
[x] Quæ debeat esse altitudo.
[y] Scrobi non ita altæ & profundæ atque requirunt arbores: æsculus maxime. [z] Habentur iidem versus 4 Æneid. * Cujus radices vitibus nocent. [5] Neque malleolos aut taleas terræ depangendas sume ex summa vitis parte, sed ex ima, ut quæ terram alimento ejus assuetæ desiderent. [a] Quo obtritæ potius quam amputatæ rubiginem contrahunt. [b] Neque oleastros internasci patere, quorum cortex pinguis facile ignem pastorum incuria, *vel nimis admotum, vel jam sub luce relictum* apprehendat, incendioque vinetum longe lateque correptum dispereat. [c] Ruere facit, subvolvit. [d] Fumi & flammæ. [e] Ἀνέμοιο θύελλα.

f Hoc ubi, non à ſtirpe valent, cæſæque reverti
Poſſunt, atque ima ſimiles revireſcere terra:
Infelix ſuperat foliis oleaſter amaris.
Nec tibi jam prudens quiſquam perſuadeat author,
g Tellurem Borea rigidam ſpirante movere.
Rura gelu tum claudit hyems: nec ſemine jacto
Concretam patitur radicem affigere terræ.
Optima vinetis ſatio eſt, cum vere *h* rubenti
i Candida venit avis, longis inviſa colubris
Prima vel autumni ſub frigora, cum *k* rapidus ſol
Nondum hyemem contingit equis, jam præterit æſtas.
Ver adeo frondi nemorum, ver utile ſylvis:
Vere *l* tument terræ, & genitalia ſemina poſcunt.
m Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit, & omnes
Magnus alit magno commiſtus corpore fœtus.
n Avia tum reſonant *n* avibus virgulta canoris,
Et venerem *o* certis repetunt armenta diebus.
Parturit almus ager, *p* Zephyrique tepentibus auris
Laxant arva ſinus: ſuperat tener omnibus humor.
Inque *q* novos ſoles audent ſe gramina tuto
Credere: nec metuit ſurgentes pampinus Auſtros,
Aut actum cœlo magnis Aquilonibus imbrem:
Sed trudit gemmas, & frondes explicat omnes.
r Non alios prima creſcentis origine mundi
Illuxiſſe dies, aliumve habuiſſe tenorem
Crediderim; ver illud erat, ver magnus agebat
Orbis, & hybernis parcebant flatibus Euri:
Cum primum lucem pecudes hauſere, virumque
ſ Ferrea progenies duris caput extulit arvis,
Immiſſæque feræ ſylvis & ſidera cœlo.
t Nec res hunc teneræ poſſent perferre laborem,
Si non tanta quies iret friguſque caloremque
Inter, & exciperet cœli indulgentia terras.
7 Quod ſupereſt, quæcunque premes *a* virgulta per agros,
Sparge ſimo pingui, & multa memor occule terra:

f Ejuſmodi incendium ſi quando acciderit, a ſtirpe & radice percunt vites; ſuperſtites repullulant oleaſtri.
g Hiberno tempore fodere, & vites ſerere.
h Φοινικαυγέσιν. florum purpura omnibuſque coloribus picturato.
i Ciconia quæ advenit menſe Martio.
k Præcipitans dies contractiores.
l Non ſecus ac virgines adultæ tument pectore & mammis, maturæ ſcil. viro.
m Tum Jupiter, hoc eſt aer aureo imbre deſcendens in gremium Veſtæ, i. e. Terræ, impræguat fœcundatque conjugem.
n Paronomaſia.
o Statis anni temporibus.
p Qui comes eſt veris, & terræ maritus. *q* Tum primum a ſe viſos, *vel*, cum novo anno quaſi novos. *r* Et ſane crediderim mundi conditi natalem incidiſſe in vernum tempus. Cui opinioni adſtipulantur plurimi graviſſimæ autoritatis viri. Quamvis & Autumnale naſcentis mundi initium tuentur patroni nec pauci nec levis fidei. *ſ* Γένος σιδήρειον. humanum genus in dura natum & quaſi terra editum. *t* Neceſſe enim fuit ut cœli clementia frigoris & caloris miſtam temperiem mundo recens nato indulgeret. *7* Συντελεῖ. *a* Plantaria, malleolos depactos, vivas radices.

Aut

Aut lapidem *b* bibulum, aut squalentes infode conchas.
Inter enim labentur aquæ, tenuisque subibit
Halitus, atque animos tollent sata: *c* jamque reperti
Qui saxo super atque ingentis pondere testæ
Urgerent: hoc effusos munimen ad imbres:
Hoc, ubi hiulca siti findit Canis æstifer arva.
8 *d* Seminibus positis super est deducere terram
Sæpius ad *e* capita, & duros jactare bidentes:
Aut presso exercere solum sub vomere, & ipsa
f Flectere luctantes inter vineta juvencos.
9 Tum leves *g* calamos, & rasæ hastilia virgæ,
Fraxineasque aptare sudes furcasque bicornes:
Viribus eniti quarum, & contemnere ventos
Assuescant, summasque sequi tabulata per ulmos.
10 Ac dum prima novis adolescit frondibus ætas,
Parcendum teneris: & dum *h* se lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immissus habenis,
i Ipsa acies falcis nondum tentanda, sed uncis
Carpendæ manibus frondes, interque legendæ.
Inde ubi jam validis amplexæ *k* stirpibus ulmos
Exierint; tunc stringe *l* comas, tunc brachia tonde:
Ante reformidant ferrum, tunc denique dura
Exerce imperia & ramos *m* compesce fluentes.
4 Texendæ sepes etiam, & pecus omne *n* tenendum est:
Præcipue dum frons tenera, imprudensque laborum:
Cui, *o* super indignas hyemes, solemque potentem,
Sylvestres *p* uri assidue, capreæque *q* sequaces
Illudunt: pascuntur oves avidæque juvencæ.
Frigora nec tantum cana concreta pruina,
Aut gravis incumbens scopulis arentibus æstas,
Quantum illi nocuere greges, *r* durique venenum
Dentis, & admorsa signata in stirpe cicatrix.
s Non aliam ob culpam Baccho caper omnibus aris
Cæditur, & veteres ineunt *t* proscenia ludi:

b Arenarium, per quem meant aqua & aer.
c Sunt etiam qui saxis & testis operiunt vites, adversus imbres & æstum Canículæ.
8 *Repastinatio.*
d Plantis, viviradicibus jam satis.
e Radices, est enim arbos homo inversus.
f Arare interstitia, & invertere.
9 *Pedatio.*
g Adminicula ex arundine, calamis, & virgis levigatis admovere; sudes item & furcas, quibus innixæ vites novellæ discant populos, & ulmos quibus maritandæ sunt, scandere; unde ventos sustineant, & hinc inde spargent

multa tabulata racemis onusta. 10 *Pampinatio, seu frondatio.* *h* Sic Lucret. 5. l. *Arboribusque datum est, variis exinde per auras Crescendi magnum immissis certamen habenis.* *i* Surculus vitis noveliæ anniculus horret falcem. *k* Virgultis solidioribus. *l* Folia & pampinos tonde. *m* Luxuriem falce premite. 4 *Defensio & munitio.* *n* Continendum, arcendum, dum surculi teneri sunt. *o* Plus quam iniquæ hiemes, aut Sol æstivus. *p* Uri sunt boves sylvestres, Herciniæ sylvæ proprii. Vulgus tamen bubalos vocat uros. legendum itaque monent vel intelligendum *tauri*, qui Italo cœlo notiores. *q* Celeres, fugaces. *r* Venenati morsus. *s* Neque aliam ob causam immolatur caper in ludis liberalibus, quam quod vites rodat. a quibus ludis Bacchi theatrales ac scenici ludi, tragœdia maxime, originem traxere. *t* Vestibula, pulpita, locum ante scenam, scenam ipsam.

u Athenienses in memoriam pagorum in quibus dispersi victitabant priusquam a Theseo in urbem redacti sunt, veteres hosce ludos Libero patri per pagos & compita celebrabant præmio proposito, qui hircus, iis qui agillime saltassent uno pede per utres ex hircina pelle inflatos, unctosque.

x Pletius legit, *ingeniis* Poetis sc. Hor. ad Pisones, *Carmine qui tragico vitem certavit ob hircum.*

y Ασκώλια ab Icario qua causa fuerint instituta, lege apud Hyginum l. 2. Poet. Astronom. tit. Arctophylax.

u Præmiaque x ingentes pagos & compita circum
Theseidæ posuere: atque inter pocula læti
Mollibus in pratis y unctos saliere per utres:
z Nec non Ausoni, Troiâ gens missa, coloni
Versibus incomptis ludunt, risuque soluto,
Oraque corticibus sumunt horrenda cavatis:
Et te, Bacche, vocant per carmina læta, tibique
a Oscilla ex alta suspendunt mollia pinu.
b Hinc omnis largo pubescit vinea fœtu:
Complentur vallesque cavæ, saltusque profundi,
Et quocunque Deus circum caput egit honestum.
Ergo rite suum Baccho dicemus honorem
Carminibus patriis, lancesque & c liba feremus:
Et d ductus cornu stabit sacer hircus ad aram,
Pinguiaque in verubus torrebimus exta e colurnis.
Est etiam ille labor curandis vitibus alter,
Cui nunquam f exhausti satis est: namque omne quotannis
Terque quaterque solum scindendum: glebaque versis
g Æternum frangenda bidentibus. 10 omne levandum
Fronde nemus: redit agricolis labor actus in orbem,
Atque h in se sua per vestigia volvitur annus.
Et jam olim seras i posuit cum vinea frondes,
Frigidus & sylvis Aquilo decussit k honorem:
Jam tum acer curas venientem extendit in annum
Rusticus: & 11 curvo l Saturni dente relictam
Persequitur vitem attondens, fingitque putando,
Primus humum fodito, primus m devecta cremato
Sarmenta, & n vallos primus sub tecta referto:

z Atque hinc ad Italos a Trojana colonia oriundos fluxere etiam ludi in honorem Liber patris, quos celebrant inconditis versibus & risu, larvis ex corticibus cavatis personati. a Imagunculas, quæ vertibularum coagmentis formatæ & pensiles varias rerum species simulabant. Macrob. l. 1. cap. 7. Sat. humana esse simulachra vult, refertque instituti originem ad Herculem. Alii suspendicula esse autumant quibus se invicem per transversum in aere ludentes levabant aut premebant. quas jactationes Latini cernuationes, Græci αἰώρας dicebant. b Et tamen ab hoc cultu Bacchi utcunque rudi, Dei læta prælentia vini rerumque abundantiam suppeditabat. c Placentas ex lacte, sesamo & melle, vel farre, melle, oleo. d Verbum rituale. e Quia & corylus Baccho vitibusque infesta. f Laboris. g Perpetuo, assidue. 11 *Leranda pampinatio, & ablaqueatio curanda.* h Inde annus Græcis ἐνιαυτὸς, Latinis ab *Am.* id est, circum, dictus. i Exacto plane Autumno. k Frondes, decus arborum: namque *turpis sine frondibus arbor.* l Falce vinitoria ablaqueat. h. e. recidit minorum gentium radiculas, quo felicius crescant majores, quas tamen putando fingit. m Al. *desecta.* n Pedamenta, in usum venturi anni.

e Postre-

o Postremus metito. *p* bis vitibus ingruit umbra:
Bis segetem densis obducunt sentibus herbæ:
Durus uterque labor. *Laudato ingentia rura,*
Exiguum colito, Nec non etiam *q* aspera rusci
Vimina per sylvam, & ripis fluvialis *q* arundo
Cæditur, incultique exercet cura salicti.
r Jam vinctæ vites: jam falcem arbusta reponunt,
Jam canit extremos effœtus vinitor antes;
Sollicitanda tamen tellus, pulvisque movendus,
Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.
s Contra *t* non ulla est oleis cultura: neque illæ
Procurvam expectant falcem, rastrosque tenaces,
u Cum semel hæserunt arvis auraque tulerunt.
x Ipsa satis tellus, cum dente recluditur unco,
Sufficit humorem, & gravidas cum vomere fruges.
Hoc pinguem, & *y* placitam paci *z* nutritor olivam.
a Poma quoque, ut primum truncos sensere valentes,
Et vires habuere suas, ad sydera raptim
Vi propria nituntur, opisque haud indiga nostræ.
Nec minus interea fœtu *b* nemus omne gravescit,
Sanguineisque inculta rubent aviaria baccis:
c Tondentur cytisi: *d* tædas sylva alta ministrat.
Pascunturque ignes nocturni, & lumina fundunt,
e Et dubitant homines serere, atque impendere curam?
Quid majora sequar? salices, humilesque genistæ,
Aut illæ pecori frondem, aut pastoribus umbram
Sufficiunt, sepemque satis, & pabula melli:
Et juvat *f* undantem buxo spectare *g* Cytorum,
h Naryciæque picis lucos: juvat arva videre
Non rastris hominum, non ulli obnoxia curæ.
Ipsæ *i* Caucaseo steriles in vertice sylvæ,
Quas *k* animosi Euri assidue franguntque feruntque,

o Matura sit vindemia, ut racemi legantur bene cocti.
p Et quia bis excrescunt pampini, bis succrescunt herbæ; bis pampinandum, bis runcandum & sarriendum.
q Ligamina vitibus futura.
r Et tamen laboribus quasi defuncto jamque defesso, post vites alligatas, putatas, & usque ad extremos earum ordines omnem laborem devoratum & devictum, novus ingruit; denuo tellus sollicitanda, pulvis & lapis omnis movendus, aeris intemperies usque me-

tuenda, & pluvia. *s Sexta libri pars tractat, sed levi brachio, de oleis, malis, arboribus aliis, nec non fruticibus.* *t* Si cum vitium cultura conferantur, alias curam desiderant. *u* Ubi radicem egerint, & stirpem extulerint. *x* Tellus simplici vomere inversa sufficit humorem qui satis sit ad oleas. *y* Pacis symbolum. Idcirco & insigne. Φιλέρηνον. *z* Nutrito. Deponens seu Medium verbum. *a* Pomiferæ arbores. *b* Sylvestres arbores, avium domicilia etiam cultura destituta proferunt arbuteos fœtus & *baccis dumeta rubent.* *c* A capellis, apibus, jumentis. *d* Larices & piceas, unde succus fluit in usum luminum, & ipsæ faces conficiuntur. *e* Epiphonema Interrogatorie. sic Æneid 6. *Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis?* *f* Ventorum flabris impulsam. sic *fluctus, fluito, nato, nato,* usurpantur. *g* Paphlagoniæ montem. *h* Narycium, oppidum est Locrorum. *i* Æneid. *i* Caucasus mons Scythiam Asiaticam disterminat ab Albania. *k* Valide spirantes, ab ἄημι ventus.

Dant alios aliæ *l* fœtus: dant utile lignum
Navigiis pinos, domibus cedroſque *m* cupreſſoſque.
n Hinc radios *o* trivere rotis, hinc *p* tympana plauſtris
Agricolæ, & pandas ratibus poſuere carinas.
Viminibus ſalices fœcundæ: frondibus ulmi:
At *q* myrtus validis haſtilibus: & bona bello
Cornus: *r* Ituræos taxi torquentur in arcus.
Nec tiliæ leves, aut torno raſile buxum,
Non formam accipiunt, ferroque cavantur acuto.
Nec non & torrentem undam levis innatat *ſ* alnus
ſ Miſſa Pado: nec non & apes examina condunt,
Corticibuſque cavis, *t* vitioſæque illicis alveo.
u Quid memorandum æque Baccheïa dona tulerunt?
Bacchus & ad culpam cauſas dedit: ille furentes
Centauros letho domuit, Rhœtumque, Pholumque,
Et magno Hylæum Lapithis cratere minantem.
x O fortunatos nimium, ſua ſi bona norint,
Agricolas: quibus ipſa procul diſcordibus armis,
Fundit humo facilem victum *y* juſtiſſima tellus.
z Si non ingentem foribus domus alta ſuperbis
a Mane ſalutantum totis vomit ædibus undam,
Nec varios *b* inhiant pulchra *c* teſtudine poſtes,
d Illuſaſque auro veſtes, *e* Ephyreïaque æra,
Alba nec *f* Aſſyrio fucatur lana veneno.
g Nec caſia liquidi corrumpitur uſus olivi:
h At ſecura quies, & neſcia fallere vita,
Dives opum variarum: at latis otia fundis,
Speluncæ, vivique lacus; at frigida *i* Tempe,
Mugituſque boum, molleſque ſub arbore ſomni

l Si non in fructum, in uſum tamen. *m* Hypermeter, ut longa inde fignetur cupreſſus. *n* Ex his ſylvis, neque enim e cedris cupreſſiſve fiunt radii. *o* Torno compoſuere. *p* Vehiculorum teſta ad inſtar tympani teſtudinata. *q* Maſcula, Fœmina enim haſtis inutilis. *r* Ituræi Cælo-Syriæ populi arcu pugnaces, ut & Parthi. vide quæ nos ad Lucanum lib. 7. v. 230. *ſ* Alluſum ad ſorores Phaetontis mutatas in alnos prope Eridanum ſeu Padum. *t* Ævo confectæ, exeſæ, cavæ. *u* Quid tale vites? quinimo in libidinem & rixas furiant. teſtis *Centaurea monet cum Lapithis rixa ſuper mero Debellata* quam pugnam in Pirithoi nuptiis, lege 12. l. Metam. Ovid. *x Septima, eaque ultima libri hujus pars excurrit in laudes vitæ ruſticæ.* *y* Quæ juſtiſſime reſpondet agricolarum votis, quæ accepit largo cum fœnore reddens. *z* Confert cum urbana, quam elevat, imitatus Lucretium: l. 2. *Si non aurea ſunt*, &c. mox. *At tamen inter ſe*, &c. *a* Clientum *Ave matutinum* portantium importunam turbam cum faſtidio emittat. *b* Mirati cupiant. *c* Teſtudinum Indicarum putaminibus in laminas ſectis diſtinctos ac gemmantes. *d* Auro intexto aut perfuſo variegatas, Phrygionum opera & luſu fabularum pictas. Adverte, *vomit*, *illuſas*, *fucatur*, *corrumpitur*. *e* Corinthia, quæ optima caſus incendii miſcuit, capta a Mummio Corintho, quæ prius Ephyre dicta eſt. *f* Purpura, cujus inventio Aſſyriis accepta fertur. *g* Perſius 2. Satyr. interpretabitur hunc locum. *Hæc ſibi cornua rupto caſiam diſſolvit olivo*; *Hæc Calabrum coxit vitiato murice vellus*, &c. Juvenal. 3. Satyr. *Nec ingenuum violarent marmora tophum.* & 11. Satyr. *Nullo violatus Jupiter auro* *h* Fucatum tamen hunc civium ſplendorem compenſant ruſticæ vitæ ſecuritas, ſimplicitas, rerum copia, amœna loca, nativæ voluptates, frugalitas, religio, Dii præſentiores, e quibus Juſtitiæ numen diutius cum ruſticis moratum eſt. *i* Loca amœna; propriè Theſſaliæ locus, de quo vide Ælian. lib. 3. c. 1

Non absunt: illic saltus ac lustra ferarum,
Et patiens operum, parvoque assuera juventus:
Sacra Deûm, sanctique patres: extrema per illos
Justitia, excedens terris, vestigia fecit.
k Me vero primum dulces ante omnia Musæ,
l Quarum sacra fero ingenti perculsus amore,
Accipiant; *m* cœlique vias & sidera monstrent;
n Defectus solis varios, Lunæque labores:
o Unde tremor terris: *p* qua vi maria alta tumescant
Obicibus ruptis, rursusque in se ipsa residant:
q Quid tantum Oceano properent se tingere Soles
Hyberni; vel quæ tardis mora noctibus obstet:
r Sin, has ne possim naturæ accedere partes,
Frigidus obstiterit circum præcordia sanguis:
Rura mihi, & rigui placeant in vallibus amnes:
Flumina amem, sylvasque inglorius. *s* ô, ubi campi,
t Sperchiusque, & virginibus *u* bacchata Lacænis
Taygeta! ô qui me gelidis in vallibus *x* Hæmi
Sistat, & ingenti ramorum protegat umbra!
y *Felix, qui potuit rerum cognoscere causas*,
Atque metus omnes, & inexorabile fatum
Subjecit pedibus, strepitumque Acherontis avari:
z Fortunatus & ille, deos qui novit agrestes,
Panaque, Sylvanumque senem, *a* Nymphasque sorores.
Illum non populi *b* fasces, non *c* purpura regum
Flexit, & infidos agitans discordia *d* fratres:
e Aut conjurato descendens Dacus ab Istro:
f Non res Romanæ, perituraque regna: neque ille
Aut doluit miserans inopem, aut invidit habenti.
Quos rami fructus, quos ipsa volentia rura
Sponte tulere sua, carpsit: nec *h* ferrea jura,
i Insanumque forum, aut populi *k* tabularia vidit.

k Locum hunc interpretatur Maternus, aut imitatur potius, in dialogo quem alii Quintiliano, Tacito alii adscribunt. Me vero dulces, &c.

l Quarum mystam me & sacerdotem profiteor.

m Docentque cœlestium orbium motus, siderum ortus & obitus ——

n —— Eclipsis Solis ac Lunæ rationes

—— *o* ——

Motus terræ ——

p —— Reciproci maris æstus causas ——

q —— Cur dies hiberni breviores, æstivi longiores. *r* Quæ naturæ mysteria, si per ingenii tarditatem & cordis a frigido crassoque sanguine hebetati, assequi & nosse non datur; secundo loco rura, rusticaque numina amo, venerorque. *s* *O soles! o tunicata quies! o nemus! o fontes* &c. Martial. 10. lib. 51. Epigr. *t* Thessaliæ fl. *u* Lacænarum bacchantium Orgiis celebrata Taygeta, mons Laconiæ. Sic Æneid. 3. *Bacchatamque jugo Naxon.* *x* Montis Thraciæ. *y* Felix utique est sapiens, qui cum rerum causas sciat, quæ vera est scientia, fatum infra se videt, non ipsam mortem timet. —— *z* —— Sed & felix rusticus qui Deorum consortio ac cultu lætus, tutus & securus agit. *a* Orcadas, Dryadas, Najadas, Napæas. *b* Honores & magistratus Rom. quibus præferebantur fasces a lictoribus. *c* Regnandi libido & splendor. *d* Ut Eteoclem & Polynicem, Romulum & Remum. *e* Securum quid meditentur hostes, quid rebelles socii. Daci autem in bella profecturi, Istrum jurabant. se nolle re infecta redire. *f* Non solicitum de Imperio rebusque Romanis, stentne, cadantne. *h* Dura, inviolata. *i* Litibus fremens. *k* Locus Romæ in atrio Libertatis, ubi asservabantur tabulæ & instrumenta publica de prædiis, vectigalibus, portoriis, &c.

l Soli-

/ Sollicitant 1 alii remis freta cæca; 2 ruuntque
In ferrum; m penetrant 3 aulas, & limina regum:
4 Hic petit excidiis urbem, miseroſque penates,
Ut n gemma bibat, & o Sarrano dormiat oſtro.
5 Condit opes alius, defoſſoque p incubat auro:
6 Hic ſtupet q attonitus roſtris: 7 hunc r plauſus hiantem
Per ſ cuneos (geminatur enim plebiſque patrumque)
Corripuit: 8 gaudent t perfuſi ſanguine fratrum,
Exilioque domos & dulcia limina mutant,
Atque alio patriam quærunt ſub ſole jacentem.
Agricola incurvo terram dimovit aratro.
Hinc u anni labor, hinc patriam parvoſque nepotes
Suſtinet: hinc armenta boum, x meritoſque juvencos.
Nec requies, quin aut pomis exuberet annus;
Aut fœtu pecorum, aut Cerealis y mergite culmi,
Proventuque oneret ſulcos, atque horrea vincat.
Venit hyems, teritur z Sicyonia bacca a trapetis;
Glande ſues læti redeunt, dant arbuta ſylvæ;
Et varios ponit fœtus autumnus; & alte
Mitis in b apricis coquitur vindemia ſaxis.
Interea pendent dulces circum oſcula nati:
Caſta c pudicitiam ſervat domus, ubera vaccæ
Lactea demittunt, pingueſque in gramine læto
Inter ſe adverſis luctantur cornibus hædi.
Ipſe dies agitat feſtos, fuſuſque per herbam,
Ignis ubi in medio, & ſocii cratera d coronant.
Te libans, e Lenæe, vocat: pecoriſque f magiſtris
g Velocis jaculi certamina ponit in ulmo:

1 Neque Ruſtica hæc vita urbanam tantum ſuperat, aut Philoſophicam æquat: ſed & alia omnia vitæ inſtituta & conditiones longe antecellit, quæ vel 1 nautæ atque mercatores ineunt, vel 2 milites, 3 aulici, 4 patriæ libertatis oppreſſores, 5 avari Euciones, 6 oratores & patroni, 7 munerarii, 8 qui arma capeſſunt civilia.

m Inſinuant ſe principibus, ut intimi ſint.

n Gemmato poculo, *gemmas ad pocula transferri.* Iuven. lib. 5. Sat.

o Tyrio, a purpura piſce, cui Sar nomen, dicta Sarrha, inde Tyrus.

p *Divitiis ſibi incubuere repertis.* 6. Æn. non auſi uti ac frui iis.

q Acclamationibus convaſatis ſupra mortalitatem ſe efferri opinatus. *Famaque petitur Multa dare in vulgus: totus popularibus auris Impelli, pl. uſuque ſui gaudere theatri.*

r Lucan. de Pomp. l. 1.

ſ Graduum ordines in theatro. Vitruv. Lipſ. Bullingerus.

t *Sanguine civili rem conflant, divitiſque Conduplicant, aviat cædem cæde accumulantes Crudeles gaudent in triſti funere fratres.* Lucr. 3. l. Adeoque pars victa cogitur, *patriæ fines & dulcia* linquere *arva*, ut Eclog. 1. & 9. *Et nos hinc alii ſitientes ibimus Afros, Pars Scythiam.*

u Ex agricolæ labore *qui redit actus in orbem anni*, proventus annuus, ſibi, ſuis, patriæ alimentum.

x Operis conſortes, quandoque una feriatos.

y Spicarum manipulis.

z Oliva quæ optima & abunde naſcitur in Sicyone civ. Laconiæ.

a Molis, prælis oleariis.

b Vinum matureſcit in amphoris igni aut Soli expoſitis.

c Uxoris.

d Florea corolla aut ſerto, ut 3. Æn. *magnum cratera corona Induit.* vel vino implet, quod inſtar coronæ labra poculi contingit. Κρατῆρας ἐπὶ στέφανον πολοῖο. Homer. Il. α. Athen. alii.

e Bacche, ut ſupra. 4. v. hujus libri.

f Paſtoribus, opilionibus, operum ſociis.

g Ponit certamina ſagittarum ut 5. l. Æneid. aut palæſtræ; proponitque præmia.

Cor-

Corporaque agresti nudant prædura palæstra.
h Hanc olim veteres vitam coluere *i* Sabini,
Hanc *k* Remus, & frater: sic fortis *l* Hetruria crevit,
Scilicet & rerum facta est pulcherrima Roma,
m Septemque una sibi muro circundedit *m* arces:
n Ante etiam sceptrum Dictæi regis, & *o* ante
Impia quam cæsis gens est epulata juvencis,
Aureus hanc vitam in terris Saturnus agebat.
Nec dum etiam audierant inflari classica, nec dum
Impositos duris crepitare incudibus enses.
p Sed nos immensum spatiis confecimus æquor:
Et jam tempus equûm fumantia solvere colla.

h Vitæ rusticæ laudationem firmat testimoniis humanis & divinis *i* Qui Tatienses. *k* Romani, qui Rhamnenses. *l* Hetrusci qui Lucres. *m* Montes Capitolium, Aventinum, Cœlium, Exquilinum, Viminalem, Quirinalem, Palatinum. *n* Ante Jovis regnum, qui educatus fuerat in Dicte monte Cretæ. Ante argenteam ætatem. *o* Ante quam carne vescerentur mortales, sponte natis terræ fructibus contenti, nec parcerent ipsis bobus rustici operis sociis, Cereris ministris. *p* Priorem librum clausurus Poeta a Martis equis non audientibus habenas in abruptum rapiebatur; hic autem Pacis Rusticæ equis diurnum opus emeritis, & cursu confecto, labore defatigatis solvuntur colla fumantia.

GEORGICORUM LIB. III.

ARGUMENTUM.

VOvet Augusto Templum Honoris & Monimentum Æternitatis. Equorum cura, & Boum. Taurorum pugnæ. Equarum amor. Tractatio ovium & caprarum. Præcepta de lanitio, de lacte. De canibus alendis, fugandis serpentibus. Pecorum morbis. Hinc occasio sumpta describendæ pestis, quæ grassata est per Alpinas & Venetas regiones.

TE quoque magna *a* Pales, *b* & te memorande canemus
Pastor ab Amphryso: vos sylvæ, amnesque *c* Lycæi
d Cætera quæ vacuas tenuissent carmina mentes,
Omnia jam vulgata, quis aut Euristhea *e* durum,
Aut *f* illaudati nescit *g* Busiridis aras?
Cui non dictus *h* Hylas puer, & Latonia *i* Delos,
k Hippodameque, humeroque Pelops insignis *l* eburno,

a Uti prioribus libris Cererem frugum, & Bacchum vini parentes, sic te quoque Pales nemorum & pabuli Deam canam. *b* Et te Apollo, qui propter Amphrysum fl. pavisti pecus Admeti regis Thessaliæ. *c* Montis Arcadiæ pecorosæ, Mercurio & Pani familiaris. *d* Namque falsa illa quæ male feriatas aures delinire poterant, omitto tanquam trita, pervulgata, ac vilia. *e* Imperiis, ut qui, Junone dictante, Herculi facesserit labores. *f* Qui nihil unquam laude dignum dixerit aut fecerit quo se a vituperio redimeret. ne profesto quidem die nominandus. vide Agell. lib. 2. cap. 6. Quem Isocratis encomium ab infamia non vindicarit. *g* Regis Ægypti hospites immolare soliti. Quis, inquit Poeta, nescit has fabulas? si quis nesciat, Mythologos per me adeat. *h* De quo supra, 6. Eclog. *i* Insula Ægei maris in qua Latona enixa est Apollinem & Dianam. *k* Cujus nuptias cursu & fraude Myrtilli meruit Pelops. *l* Restituto pro carneo, quem Ceres esu absumperat.

Acer

Acer equis? tentanda via est, qua me quoque possim
Tollere humo, [m] victorque virûm [n] volitare per ora.
[o] Primus ego in patriam mecum (modo vita supersit)
Aonio rediens deducam vertice Musas:
Primus [p] Idumæas referam tibi Mantua palmas,
[q] Et viridi in campo templum de marmore ponam
Propter aquam, tardis ingens ubi flexibus errat
Mincius, & tenera prætexit arundine ripas.
[r] In medio mihi Cæsar erit, templumque tenebit.
[s] Illi victor ego, & Tyrio conspectus in ostro,
Centum quadrijugos agitabo ad flumina currus.
Cuncta mihi, [t] Alpheum linquens lucosque Molorchi,
Cursibus & crudo decernet Græcia cæstu,
Ipse caput tonsæ foliis ornatus [u] olivæ
Dona feram. Jam nunc solennes ducere pompas
Ad delubra juvat, cæsosque videre juvencos:
Vel scena ut [x] versis discedat frontibus, utque
Purpurea intexti [y] tollant aulæa Britanni.
In foribus pugnam ex auro, solidoque [z] elephanto
[a] Gangaridum faciam, victorisque arma [b] Quirini.
Atque hic [c] undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac [d] navali surgentes ære columnas:
Addam urbes Asiæ domitas, pulsumque [e] Niphatem,
Fidentemque [f] fuga Parthum, versisque sagittis:
Et duo rapta manu diverso ex hoste trophæa,
[g] Bisque triumphatas utroque ab littore gentes.

[m] Voti compos. Græcorum victor. namque ego primus, &c.
[n] Ennius. *volito vivus per ora virum.*
[o] Primus ego ex Latinis inito cum Græcis Poetis certamine referam Musas Musarumque præmia, victoriæ insignia, palmas ex Helicone Mantuam, e Græcia in Italiam.
[p] *Arbusta palmarum dives Idume*, Lucan. 13. l. *Tu palmæ Judea ferax.*
[q] Et victoriæ monimentum erigam, ponamque Honoris templum atque Æternitatis ex marmore, Augusto Cæsari consecratum. [r] Stabit itaque in medio templi Augusti simulacrum, Tutelaris dei. [s] Victor ego purpura conspicuus, in agro Mantuano instituam in honorem Cæsaris Circenses ludos, ex more Romano, 25. missuum per factiones 4. h. e. 100. quadrigarum veteri instituto, ad ripam fluminis. [t] Omissis in posterum Olympicis prope Alpheum fl. Elidos, & Nemeæis, ubi Molorchus excepit Herculem hospitio, huc ad Mantuanos solennes confluet tota Græcia nostros hosce ludos cæstibus & palæstra celebratura. [u] Victoris in Olympiacis præmii. [x] Περίακτοι, versatilis scena, hinc deinde discedens. Vitruv. lib. 5. c. 7. Pollux. lib 4. cap. 10. vide & Scauri theatra duo versatili suspensa libramento. Plin. lib. 36. cap. 15. [y] An ipsi Britanni victi theatralibus officiis destinati? an quia levato aulæo, intextæ figuræ levare illa videntur. Turneb. 5. l. 3. cap. [z] Ebore. [a] Ex spe & voto Poetæ hoc potius, quam ex victoria pugnata, aut pugna commissa cum Gangaridis pop. Indiæ ultra Gangem. [b] Augusti. ex historia. tractatum in Senatu, *an Augustus, condito Imperio Romulus* vocaretur. Florus & Sueton. August. 7. cap. [c] Ex Ægypto cum classe & exercitu minantem Imperio ruinam Antonium & Cleopatram ab Augusto devictos. [d] Columnas ex ære victarum navium conflatas & erectas. [e] Armeniæ fluvii accolas. [f] Fuga simulata *mittentem post terga sagittas.* [g] Dalmatas & Cantabros. Sueton. Florus. Messala. Corv.

h Stabunt & Parii lapides, spirantia signa,
Assaraci proles. demissæque ab Jove gentis
Nomina, Trosque parens, & i Trojæ Cynthius auctor.
k Invidia infelix furias, amnemque severum
Cocyti metuet, tortosque Ixionis angues,
Immanemque rotam, & non exsuperabile saxum.
Interea l Dryadum sylvas, saltusque sequamur
m Intactos, tua, Mecœnas, haud mollia jussa.
Te sine nil altum mens inchoat; n an age segnes
Rumpe moras: vocat ingenti clamore o Cithæron,
Taygetique p canes, comitrixque q Epidaurus equorum,
Et vox assensu nemorum ingeminata remugit.
Mox tamen ardentes accingar dicere pugnas
Cæsaris, & nomen fama tot ferre per annos,
r Tithoni prima quot abest ab origine Cæsar.
s Seu quis Olympiacæ miratus præmia palmæ,
Pascit equos; seu quis fortes ad aratra juvencos;
Corpora præcipue matrum legat. t optima torvæ
Forma bovis, cui u turpe caput, cui x plurima cervix,
Et crurum tenus à mento palearia pendent.
Tum longo nullus lateri modus: omnia magna:
Pes etiam, & camuris hirtæ sub cornibus aures.
Nec mihi displiceat maculis insignis, & albo:
Aut juga detrectans, interdumque aspera cornu,
Et faciem tauro propior, quæque ardua tota,
Et gradiens ima verrit vestigia cauda.
Ætas y Lucinam, justosque pati z Hymenæos
Desinit ante decem post quatuor incipit annos:
Cætera nec fœturæ habilis, nec fortis aratris.
Interea, a superat gregibus dum læta juventus,
Solve mares, mitte in Venerem pecuaria primus:
Atque aliam ex alia generando suffice prolem.

h Stabunt & ex marmore Pario ad vivum expressæ effigies Jovis, Dardani, Erichtonii, Trois, Assaraci, Capys, Anchisæ, Æneæ, Iuli, unde gens Iulia.
i Apollo qui cum Neptuno condidit Pergama. vel cujus oraculo monitus Ilus condidit Ilium.
k Infra hæc stabit invidia non ausa hiscere, utpote metuens ultrices Furias pœnas Cocyti, rotæ Ixionijæ, saxi Sisyphii.
l Nymphæ hæ quercum, arborum ut supra.
m Argumentum a Poeta nemine hactenus dictum.
n Adhortatio sui.

o Mons Bœotiæ pascuis nobilis: ut & Bacchantium clamore. p Montis Laconiæ, quæ canibus strenuis clara. q Illyrii civitas equis clara. r Tithoni longævitas nota est ex Auroræ voto, & fabb. s *Secunda libri pars.* Si quem juvet equos alere alipedes ad cursum & certamina in Olympicis aliisve ludis, sive strenuos ad laborem & arandum: matres in utroque genere, equas scil. & vaccas accurate eligat ad generationem. vide Rei rust. autores, & Plin. 8. lib. 45. c. t *Vaccæ optimæ signa.* u Magnum & deforme. x Crassa & longa. y Partum. z Admissionem, coitum. *Catachrestice.* a Deo nuptiarum Hymenæo. ὑμὴν membranula virginitatis claustrum. nos ad Senec. Theb. v. 262. a Dum superstat ætas fœturæ habilis, admissuræ vacent, quo perpetuetur soboles, & conservetur species.

b Et quia in fluxu omnia sunt, avolatque ætas vegeta, subitque ætatis fæx in fundo: mutandi subinde & mares & fœminæ effœtæ vegetioribus, ne intereat aut degeneret soboles.

b Optima quæque dies miseris mortalibus ævi
Prima fugit: subeunt morbi tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.
Semper erunt; quarum mutari corpora malis,
Semper *c* enim *d* refice: ac ne post amissa requiras,
Anteveni, & sobolem armento sortire quotannis.
Nec non & pecori est idem delectus equino.
Tu modo *e* quos in spem statuis submittere gentis,
Præcipuum *f* jam inde à teneris impende laborem.
Continuo pecoris generosi pullus in arvis
g Altius ingreditur, & mollia crura *h* reponit;
Primus & ire viam, & fluvios tentare minaces
Audet, & ignoto sese committere *i* ponti:
Nec vanos horret strepitus. illi *k* ardua cervix,
l Argutumque caput, *m* brevis alvus, obesaque terga,
Luxuriatque toris animosum pectus: *n* honesti
Spadices, glaucique: color deterrimus albis,
Et gilvo. tum siqua sonum procul arma dedere,
Stare loco nescit, micat auribus, & tremit artus,
Collectumque *o* premens *p* volvit sub naribus ignem.
Densa juba, & dextro jactata recumbit in armo:
At *q* duplex agitur per lumbos spina; cavatque
Tellurem, & solido graviter sonat ungula cornu.
Talis *r* Amyclæi domitus *s* Pollucis habenis
Cyllarus; & quorum Graji meminere poëtæ,
Martis equi bijuges, & magni *t* currus Achillis.
Talis & ipse jubam cervice effudit equina
Conjugis adventu pernix *u* Saturnus, & altum
Pelion hinnitu fugiens implevit acuto.
x Hunc quoque ubi aut morbo gravis, aut jam segnior annis
Deficit, abde domo, nec turpi ignosce senectæ.
Frigidus in Venerem senior, frustraque *y* laborem

c Itaque.
d Suffice, ut succedatur a novis. Metaph. a foro & Judiciis.
e Admissarium & equam.
f Jam inde a pullo; ut a generosis parentibus descendat.
g *Equi nobilis generosique nota & signa.*
h Facili motu & agili.
i Al. *ponto.*
k Excelsa, sublata, erecta.
l Exiguum.
m Substricta.
n Laudantur in equis phœniceus color, *brounebay*, & glaucus, vide Agellium l. 2. c. 26. *o* Al. *fremens.* *p* Et latis naribus proflabit animosos spiritus. *q* Divisa vel gemina per spinam linea. *r* Amyclæ, Laconiæ urbs. Castoris & Pollucis patria. *s* Æque domitoris equorum ac Castoris, quorum utrique alternis inserviit Cyllarus. non secus ac Castor & Pollux Castores dicti sunt. Neque enim hic frater pro fratre positus, e recepto illo errore; hunc pugnis, illum equis insignem tantum fuisse. Turnebus 5. l. 3. c. *t* Equi Achillis, Xanthus, Balius, Pedasus. *u* Saturnus Phyliram compressit, interventu uxoris Opis, se in equum convertit, fugitque in Pelion Thessaliæ montem. *x* Bellatorem equum aut admissarium. cui jam morbo aut annis gravi emerito que habenda est gratia & senectus non turpis & ignobilis est alenda. Gul. Canterus legit. *& tur* l. 8. c. 6. l. Nov. Lect. *y* Martis; non Veneris, de qua jam ante.

Ingra-

Ingratum trahit. & si quando ad prælia ventum est,
Ut quondam in stipulis magnus sine viribus ignis,
[z] Incassum furit. Ergo animos, ævumque notabis
Præcipue: hinc alias artes, prolemque parentem:
[a] Et quis cuique dolor victo, quæ gloria palmæ.
[b] Nonne vides, cum præcipiti certamine campum
Corripuere, ruuntque effusi [c] carcere currus?
Cum spes arrectæ [d] juvenum, exultantiaque haurit
Corda pavor pulsans. illi instant verbere torto,
Et proni dant lora; volat vi fervidus axis;
[e] Jamque humiles, jamque elati sublime videntur
Aëra per vacuum ferri, atque assurgere in auras:
[f] Nec mora, nec requies: at fulvæ nimbus arenæ
Tollitur: [g] humescunt spumis, flatuque sequentum.
[h] Tantus amor laudum, tantæ est victoria curæ.
Primus [i] Erichthonius currus, & quattuor ausus
Jungere equos, rapidisque rotis insistere victor.
Fræna [k] Pelethronii Lapithæ, gyrosque dedere
Impositi dorso: atque [l] equitem docuere sub armis
Insultare solo, & gressus glomerare superbos,
Æquus [m] uterque labor: [n] æque juvenemque magistri
Exquirunt, calidumque animis & cursibus acrem:
Quamvis sæpe fuga versos ille egerit hostes,
Et patriam [o] Epeirum referat fortesque [p] Mycænas.
[q] Neptunique ipsa deducat origine gentem.
His animadversis, instant sub [r] tempus, & omneis
Impendunt curas [s] densa distendere pingui,
Quem legêre ducem & pecori dixere maritum:
[t] Florentesque secant herbas, fluviosque ministrant,
Farraque, ne blando nequeant superesse labori,
Invalidique patrum referant jejunia nati.

[z] Crepat quidem; at statim extinctus evanescit.
[a] Quæ gloriæ cupido eos incenderit, an victores exsultaverint, victi doluerint.
[b] Exspatiatur in descriptionem curulis certaminis, qualem habes in Electra Sophoclis luculentissimam.
[c] Carceribus.
[d] Aurigarum.
[e] Ἅρματα δ' ἄλλοτε μὲν χθονὶ πίλνατο πυροβοτείρῃ, Ἄλλοτε δ' αἰξάσκε μετήορα. Homer. confert Macrobius Saturn. l. 5. c. 13.
[f] *Nec mora requies interdatur ulla.* Lucret. 4. l.
[g] Πνοιῇ δ' εὐμήλοιο μετάφρενον, &c. Macrob. ex Hom. Il. ψ.
[h] Epiphonema.
[i] Vulcani & Telluris filius. Alii aliis hoc inventum deferunt.
[k] Centauri Pelethronium montem Thessaliæ incolentes.
[l] Equum, inquit Agell. lib. 10. cap. 5. & alii. Sic vector, qui vehitur, potest tamen ipse eques intelligi. Lapithæ docuere equitem in armis insultare solo, & fingere equi gyrantis glomeratos gressus.
[m] Vehendi equitem, aut trahendi currum. *Al.* admissuræ.
[n] Equisones & magistri equum quærunt annis, animis & cursu acrem; quibus muniis nisi claret, frustra cluet in bello victor, frustra patriam præ se ferat aut parentes.
[o] Supra Georgic. 1. *Eliadum palmas Epirus equarum.*
[p] *Aptum dicet equis Argos, ditesque Mycænas.* Horat.
[q] Descendatque ab ipso equo quem Neptuni percussa tridente tellus edidit.
[r] Admissuræ.
[s] Taurus ille, quem patrem maritumque gregis designavere, saginent probe, ut Veneri sufficiat prolemque similem gignat.
[t] Al. *Pubentes.*

u Vaccæ jejunio macerandæ, cursu, sole, labore areæ laſſandæ, quo melius concipiant.
x De induſtria.
y Die medio.
z Obeſitate & pinguedine.
a Utero. naturalibus. honeſta metaphora.
b Claudat meatus.
c Menſibus aliquot a conceptu, ubi jam prægnantes vicinæ ſunt partui.
d Laborum immunes, ne abortiant, libere vagentur per nemora.
e In Lucania, ubi Silarus flumen & Alburnus mons, eſt inſectum quoddam, Latine aſilus, Græce οἶστρος, dictus, qui miſeris modis vexat armenta.
f Helleniſmus.

u Ipſa autem macie tenuant armenta *x* volentes:
Atque ubi concubitus primos jam nota voluptas
Sollicitat, frondeſque negant, & fontibus arcent.
Sæpe etiam curſu quatiunt, & ſole fatigant,
y Cum graviter tonſis gemit area frugibus, & cum
Surgentem ad Zephyrum paleæ jactantur inanes.
Hoc faciunt, nimio ne *z* luxu obtuſior uſus
Sit genitali *a* arvo, & ſulcos oblimet inertes:
Sed rapiat ſitiens Venerem, interiuſque *b* recondat.
Rurſus cura patrum cadere & ſuccedere matrum
Incipit, *c* exactis gravidæ cum *c* menſibus errant.
d Non illas gravibus quiſquam juga ducere plauſtris,
Non ſaltu ſuperare viam ſit paſſus, & acri
Carpere prata fuga, fluvioſque innare rapaces.
Saltibus in vacuis paſcant, & plena ſecundum
Flumina muſcus ubi, & viridiſſima gramine ripa,
Speluncæque tegant, & ſaxea procubet umbra.
e Eſt lucus Silari circa, illicibuſque virentem
Plurimus Alburnum volitans: cui nomen *f* Aſilo
Romanum eſt; œſtron Graji vertere vocantes:
Aſper, *f* acerba ſonans, quo tota exterrita ſylvis
Diffugiunt armenta: furit mugitibus æther
Concuſſus, ſylvæque & ſicci ripa *g* Tanagri.
h Hoc quondam monſtro horribiles exercuit iras
Inachiæ Juno peſtem meditata juvencæ.
Hunc quoque (nam mediis fervoribus acrior inſtat)
Arcebis gravido pecori, armentaque paſces
i Sole recens orto, aut *i* noctem ducentibus aſtris,
Poſt partum, cura in vitulos traducitur omnis:
k Continuoque notas & nomina gentis inurunt:
Et quos aut pecori malint ſubmittere habendo,
Aut aris ſervare ſacris, aut ſcindere terram,
Et campum horrentem fractis invertere glebis.
Cætera paſcuntur virides *l* armenta per herbas.
m Tu quos ad ſtudium, atque uſum formabis agreſtem,
Jam vitulos hortare; viamque inſiſte domandi,

g Fl. Lucaniæ. *h* Hujuſmodi œſtro ultra eſt Juno pellicem Io Inachi filiam, a Iove in vaccam mutatam, ut lateret uxorem. quo tabano agitata ſe in mare præcipitavit. *i* Mane aut veſperi. *k* Signant notis domini, generis, patriæ, & cui deſtinentur muneri, ſoboli propagandæ, ſacrificiis, aut agriculturæ. *l* Vaccæ, ut ſupra, *ipſa autem macie tenuant armenta*, id eſt vaccas, diſcretas a maribus. *m* Ratio domandi juvencorum a teneris, & gradatim; vide Palladium 12. tit. Martii. Non ante tertium annum, nec poſt quintum, &c. Columell. 6. lib. 2. cap.

Dum

Dum faciles animi juvenum, dum mobilis ætas.
Ac primum laxos [a] tenuis de vimine circlos
Cervici subnecte: dehinc, ubi libera colla
Servitio assuêrint, ipsis è torquibus [o] aptos
Junge pares, & coge [p] gradum conferre juvencos.
Atque illis jam sæpe rotæ ducantur [q] inanes
Per terram, & summo vestigia pulvere signent.
Post valido nitens sub pondere faginus axis
Instrepat, & junctos temo trahat æreus orbes.
Interea [r] pubi indomitæ non gramina tantum,
Nec [s] vescas salicum frondes, ulvamque paluſtrem,
Sed frumenta manu carpes sata, nec tibi fœtæ
More [t] patrum nivea implebunt mulctralia vaceæ:
Sed tota in dulces consumunt ubera natos.
Sin ad bella magis studium, [u] turmasque feroces,
[x] Aut Alphea rotis prælabi flumina Pisæ,
Et Jovis in luco currus agitare volantes:
Primus equi labor est, animos atque arma videre
Bellantum, [y] lituosque pati, tractuque gementem
Ferre rotam, & stabulo frænos audire sonantes.
Tum magis atque magis [z] blandis gaudere magistri
Laudibus, & plausæ sonitum cervicis amare.
Atque hæc jam primo depulsus ab ubere matris
Audiat: inque vicem det mollibus ora capistris
Invalidus, [a] jam jamque tremens, etiam insçius ævi.
At, tribus exactis, ubi quarta accesserit [b] æstas,
Carpere mox gyrum incipiat, gradibusque sonare
Compositis, [c] sinuetque alterna volumina crurum:
Sitque laboranti similis: tum cursibus auras
Provocet; ac per aperta volans, ceu liber habenis,
[d] Æquora vix summa vestigia ponat arena.
Qualis Hyperboreis Aquilo cum densus ab oris
Incubuit, Scythiæque hyemes, atque * arida [e] differt
Nubila: tum segetes altæ, campique [f] natantes
Lentibus horrescunt flabris, summæque sonorem
Dant sylvæ, longique urgent ad littora fluctus:
Ille volat, simul arva fuga, simul æquora verrens.
Hic vel ad [g] Elei metas, & maxima campi

[a] Circulos seu torques vimineos.
[o] Aptatos, ligatos, ἁρμένους, ἀπτομένους.
[p] Simul & conjunctim incedere.
[q] Varro lib. 1. de re Rust. 20. c.
[r] Juvencis.
[s] Edules, infra 4. Georg. *vescumque papaver.*
[t] Qui lacticinus vescebantur, neglecta prole, quam vetat noster a lacte & uberibus depelli.
[u] Equestres ad bellum.
[x] Aut in certamine Olympico curru contendere, qua Alpheus alluit Pisam oppidum Elidos regionis, ubi sacer est Jovi lucus.
[y] Pati cornuum & lituorum stridorem; nec non strepitum gementium rotarum.
[z] Sentire blandimenta & popysmata a manu magistri.
[a] Dum annis tener & operum rudis vinci laborat.
[b] Al. *ætas.*
[c] Alterna glomeret volutetque crura.
[d] Campos.
* Sine pluviis.
[e] Dispergit, dissipat. Lucret. 1. lib. *Et nubila differt.*
[f] Undantes, fluctuantes, crispantes segetes.
[g] Elis urbs est & regio Peloponnesi certaminibus Olympiacis clara-

Suda-

Sudabit ſpatia & ſpumas aget ore cruentas,
Belgica vel molli melius feret *h* eſſeda collo,
Tum demum craſſa magnum farragine corpus
Creſcere jam domitis ſinito. namque ante domandum
Ingentes tollent animos: prenſique negabunt
Verbera lenta pati, & duris parêre *i* lupatis.
k Sed non ulla magis vires induſtria firmat,
Quam venerem, & cæci ſtimulos avertere amoris:
Sive boum, ſive eſt cui gratior uſus equorum:
Atque ideo tauros procul, atque in ſola relegant
Paſcua poſt montem *l* oppoſitum, & trans flumina *l*ata
Aut intus clauſos ſatura ad præſepia ſervant.
Carpit enim vires paulatim, m uritque videndo
Fœmina: nec nemorum patitur meminiſſe, nec herbæ,
Dulcibus illa quidem illecebris, & ſæpe ſuperbos
Cornibus inter ſe ſubigit decernere *n* amantes,
Paſcitur in magna ſylva formoſa juvenca:
o Illi alternantes multa vi prælia miſcent
Vulneribus crebris; lavit ater corpora ſanguis:
Verſaque in obnixos urgentur cornua, vaſto
Cum gemitu reboant ſylvæque & magnus *p* Olympus,
Nec mos bellantes una ſtabulare: ſed alter
q Victus abit, longeque ignotis exulat oris,
r Multa gemens ignominiam, plagaſque ſuperbi
Victoris tum quos amiſit inultus amores:
ſ Et ſtabula aſpectans regnis exceſſit avitis.
t Ergo omni cura vires exercet, & inter
Dura jacet *u* pernix *x* inſtrato ſaxa cubili,
Frondibus hirſutis, & carice paſtus acuta:
Et tentat ſeſe; atque *y* iraſci in cornua diſcit
Arboris obnixus trunco: ventoſque laceſſit
Ictibus: & ſparſa ad pugnam proludit arena.
Poſt, ubi collectum robur, viresque receptæ,
z Signa movet, præcepſque oblitum fertur in hoſtem;

h Vehicula & currus Belgis in uſu ad viam, & olim ad prælia.
i Frænis aſperrimis. inſtar lupinorum dentium ſerratis.
k Neque tamen ſagina farrea tantum valet ad incrementa boum & equorum, firmandasque ipſorum vires; quantum continere a Venere, in longinqua paſcua mares ablegatos.
l Non tam tranſitus prohibendi gratia; quam ut amatarum feminarum deſiderium æquius ferant, habeantque ardoris refrigerium ab interfluentibus aquis.
m Faſcinone? an igne Cupidinis, qui oculis emicans per alterius oculos ad intima delapſus præcordia in medullis acerrimum commovet incendium. Apul. 10. Met.
n Tauros. quorum pugnam deſcripturus eſt. *o Illi inter ſeſe multa vi vulnera miſcent, Cornuaque obnixi*, &c. 12. Æneid. *p* Cœlum. *q* Lucanus hac comparatione utitur: lib. 2. Statius 2 Thebaid. & Silius 16. *r* Βαρυστενάχων. *ſ* Et reſpiciens paſcua, in quibus dudum imperaverat vaccis. *t* Ὀχέυϛ ὃ ὁ νικῶν τῶν ταύρων. ὅταν δ' ἐξαδυνατήσῃ διὰ τὸ λαγνείαν, ἐπιτίθεϊ ὁ ἡττώμενος, καὶ κρατεῖ πολλάκις. Arift. l. 6. Hiſt. c. 21. *u* Obſtinatus ut ſe auſteritate reficiat. Al. *pernox*. *x* Non ſtrato, nudo. *y* Iratus experitur cornuum vires in arboris trunco, tanquam ad palum exerceat ſe. *z* Redit ad hoſtem nuper victorem, renovat prælium, debellat, profligat.

[a] Fluctus ut in medio cœpit cum albescere ponto,
Longius ex altoque sinum trahit: utque volutus
Ad terras, immane sonat per saxa, nec ipso
Monte minor procumbit; at ima exæstuat unda
Vorticibus, nigramque altè subjectat arenam.
[b] Omne adeo genus in terris hominumque ferarumque
Et genus æquoreum, pecudes, pictæque volucres,
[c] In furias, ignemque ruunt: amor omnibus idem.
Tempore [d] non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis: nec funera vulgo
Tam multa [e] informes ursi, stragemque dedere
Per sylvas tum sævus aper, tum pessima tigris:
Heu male tum Lybiæ solis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota [f] tremor pertentet equorum
Corpora, si tantum notas [g] odor attulit [g] auras?
Ac neque eos jam fræna virum, nec verbera sæva,
Non scopuli, rupesque cavæ, atque objecta retardant
Flumina, correptosque unda torquentia montes.
Ipse ruit dentesque [h] Sabellicus [i] exacuit sus,
Et pede prosubigit terram, fricat arbore costas,
Atque hinc atque illinc humeros ad vulnera [k] durat.
Quid [l] juvenis, magnum cui versat in ossibus ignem
Durus amor? nempe abruptis turbata procellis
Cæca nocte natat serus [m] freta: quem super ingens
[o] Porta tonat cœli, & scopulis illisa reclamant
Æquora, nec miseri possunt revocare parentes,
Nec moritura super crudeli funere [p] virgo.
Quid Lynces Bacchi [q] variæ, & genus acre luporum,
Atque canum? quid quæ [r] imbelles dant prælia cervi?
Scilicet ante omnes [s] furor est insignis equarum:
Et mentem Venus ipsa dedit, quo tempore [t] Glauci
Potniades malis membra absumpsere quadrigæ.

[a] Ὡς δ' ὅτ' ἐν αἰγιαλῷ πολυηχέϊ κύμα θαλάσσης, &c. Homer. Iliad. δ. & 11. Æneid. *Qualis ubi alterno procurrens, &c.*
[b] *Hæc regna tenet puer immitis, Spicula cujus sentit in imis Cærulus undis grex Nereidum, Flammamque nequit relevare mari, mox amat insani bella Pontii.* Senec. Hipp.
[c] In furialis amoris ardorem.
[d] Quam quo furit libidine.
[e] Turpes, immanes. Neque enim verum est, quod de fœtu in formam lambendo fabulata est antiquitas. A secundis expediendis error ille.
[f] Impetus ex titillatione venerea, dum erumpere laborat; trepidans.
[g] Equarum. Nota est historia equi Darii.
[h] Synecdochice. Aper quilibet.
[i] Inter se atterendo, non ad saxa aut arbores ut alii volunt.
[k] Loricat se luto, induratque ad prælium. Arist. 6. Hist. Anim. c. 18. Plin. l. 8. c. 52.
[l] Leander cui non dictus? cui non notus? ex Musæo, Ovidio.
[m] Hell sportum.
[o] Qua fulmen e nube dirupta oblique exit. *vel* respectu ad Cœli templa & regiam. Homer. 8. Iliad. Αὐτόμαται δ' ἥπυλαι μύκον οὐρανοῦ.
[p] Hero.
[q] Maculosæ, virgatæ, quæ Bacchi currum trahere finguntur.
[r] *Si conjugis immore suo, pascuit timidi prælia cervi.* &c. Sen. Hipp.
[s] Quid furiet matres equarum & causam ἐκτοπομανίας reddit Arist. lib. 4. de generatione Animal. c. 5.
[t] Glaucus filius Sisyphi sprevit sacra Veneris: irata Dea equas ipsius stimulis suis furiavit, ita ut Glaucum discerperent juxta Potniam urbem non procul a Dirce, Pausan. in prior. Eliacis.

Illas ducit amor *u* trans Gargara, transque sonantem
u Aſcanium: superant montes, & flumina tranant:
Continuoque avidis ubi subdita flamma medullis, 271
(*x* Vere magis: quia vere redit calor ossibus) illæ
y Ore, omnes versæ in Zephyrum stant rupibus altis,
Exceptantque leves auras: & sæpe sine ullis
Conjugiis vento gravidæ (mirabile dictu) 275
Saxa per & scopulos & depressas convalles
Diffugiunt, non, Eure, tuos, neque Solis ad ortus:
In Boream, Caurumque, aut unde nigerrimus Auster
Nascitur, & pluvio contristat frigore cœlum. 279
Hinc demum Hippomanes vero quod nomine dicunt
Pastores: lentum distillat ab inguine virus:
Hippomanes, quod sæpe *x* malæ legêre novercæ,
Miscueruntque herbas, & non innoxia verba.
a Sed fugit interea, *fugit irreparabile tempus*,
Singula dum capti circumvectamur amore. 285
Hoc satis armentis: superat pars altera curæ,
Lanigeros agitare greges hirtasque capellas.
Hic *b* labor; hinc laudem fortes sperate coloni.
c Nec sum animi dubius, verbis ea vincere magnum
Quam sit, & angustis hinc addere rebus honorem:
d Sed me Parnassi *e* deserta per ardua dulcis 291
Raptat amor: *e* juvat ire jugis, qua nulla priorem
Castaliam *f* molli divertitur orbita clivo.
Nunc veneranda Pales, magno nunc ore sonandum.
Incipiens *g* stabulis edico in mollibus * herbam 295
Carpere oves, dum mox frondosa reducitur æstas:
Et multa duram stipula, filicumque maniplis
Sternere subter humum: glacies ne frigida lædat
h Molle pecus, febremque ferat, turpesque podagras.

u Trans montes & flumina. Aſcanius fl. Myſiæ. Strabo 14. l. *x* Equæ libidinis furiis extimulantur circa vernum Æquinoctium. Colum. 6 l. 27. c. *y* Sedandæ æſtuantis libidinis deſiderio, aſcendunt in montes, converſæ ad Zephyrum, illius excipiunt auras, hinc concipiunt: fœtum quidem abortivum, qui diſtillat ab inguine, viroſus, diciturque Hippomanes. De alio Hippomane, *caruncula naſcentis equi de fronte revulſa*, intr. lib. 4. Æneid. vid. Ariſt. Hiſt. Anim. 6. l. 18. c. Columell. 6. l. 27. c. *x* Ardentes amore privignorum, ut Phædra, & aliæ veneficæ. ſupra 2. Georg. *a* Caſtigat ſtudium ſuum ſingulis nimis immoratum; tranſitque ad *curam ovium & caprarum, quæ eſt tertia libri hujus pars.* *b* Labor veſter, in tuendis minoribus animalibus, *vel* labor meus in ornanda re tam humili; unde & laus major, ut l. 4. Georg. *In tenui labor, at tenuis non gloria.* *c* Compone cum Lucretio quem imitatur. *Nec me animi fallit, quam ſint obſcura: ſed acri Percuſſit thyrſo laudis ſpes magnas*, &c. l. 1. *d Me vero primum dulces ante omnia Muſæ, Quarum ſacra fero, ingenti percuſſus amore*, &c. ſupr. 2. Georg. *e Avia Pieridum peragro loca, nullius ante Trita ſolo*, &c. Lucret. l. 1. & 4. *f* Facili aſcenſu. Eſt enim fons Caſtalius ad ima Parnaſſi montis in Phocide. *g* Non educendæ oves paſtum per hyemem; ſed continendæ domi ad uſque ver frondoſum in ſtabulis mollibus, ſtipula & filice ſtratis. Varr. l. 2. c. 2. * Fœnum, frondem populeam, ulmeam, folia ficulnea, paleam, furfur. Varro. 2. l. 2. c. Cato. 5. c. *h* Ex omnibus animalibus veſtitiſſimum, frigoris tamen impatientiſſimum, nec minus æſtivi vaporis, Colum. l. 7. c. 3.

Poſt

Poſt hinc digreſſus, jubeo frondentia capris
i Arbuta ſufficere, & fluvios præbere recentes,
Et ſtabula *k* à ventis hyberno opponere Soli
Ad medium converſa diem, cum frigidus olim
Jam cadit, *l* extremoque irroret Aquarius anno.
m Hæc quoque non cura nobis leviore tuenda:
Nec minor uſus erit, quamvis *n* Mileſia magno
Vellera *o* mutentur *p* Tyrios incocta rubores.
Denſior *q* hinc, ſoboles: hinc largi copia lactis.
Quam magis ex hauſto ſpumaverit *r* ubere mulctra,
Læta magis preſſis manabunt flumina mammis.
Nec minus interea barbas, *ſ* incanaque menta
t Cinyphii tondent hirci, *u* ſetaſque comantes
x Uſum in caſtrorum, & miſeris velamina nautis.
Paſcuntur vero ſylvas, & ſumma *y* Lycæi,
Horrenteſque rubos, & amantes ardua dumos.
Atque ipſæ *z* memores redeunt in tecta: ſuoſque
Ducunt, & gravido ſuperant vix ubere limen.
a Ergo omni ſtudio glaciem, ventoſque nivales,
Quo minus eſt illis curæ mortalis egeſtas,
Avertes: victumque feres, & *b* virgea lætus
Pabula: nec tota claudes fœnilia bruma.
At vero *c* Zephyris cum læta vocantibus æſtas;
In ſaltus utrumque gregem, atque in paſcua mittes:
d Luciferi primo cum ſidere frigida rura
Carpamus: dum mane novum, dum gramina canent;
Et ros in tenera pecori gratiſſimus herba eſt.
Inde, ubi quarta ſitim cœli collegerit hora;
Et cantu querulæ *e* rumpent arbuſta cicadæ:
Ad puteos, aut alta greges ad ſtagna jubeto
f Currentem ilignis potare canalibus undam:

i Cacumina arburi & ſentiſci, nec non recentem indies aquam.
k Ita ad Meridiem ſita ut ſpectent tamen Orientem.
l Ubi in verſum contriſtat Aquarius annum. ſc. Januario.
m Caprilia æque ac ovilia curanda erunt.
n Miletus urbs Joniæ, principe lana nobilis.
o Permutatione mercium, commercio.
p Tyria incocta purpura.
q A capris.
r Al. *uberi*. Quæ quo magis, preſſa & emulſa, eo magis lacte manant.
ſ Valde cana. ut 6.

Æneid. ſub fine, de Numa. *t* Cinyphis fl. Africæ, ubi inſignes hirci. *Synecdoche* pro genere, Cinyphii paſtores tondent menta & barbas *hircis*. vel Paſtores tondent barbas Cinyphii hirci. i. e. hircorum. *tondent* pro *tondentur* poni vult interpretum vulgus. *u* Pilos, villos. *x* Varro l. 2. Ruſt. c. 11. Capra pilos miniſtrat ad uſum nauticum, & ad bellica tormenta. Non tamen in munimen caſtrorum, ne noceant tormenta bellica, ut volunt quidam. potius in uſum ciliciorum & gauſapinorum ſagorum in funes navium & tormentorum bellicorum. *y* Montium, uti Lycæus mons eſt Arcadiæ. Synec. ſpeciei. *z* Nemine reducente domum redeunt tempeſtive, hædoſque una ducunt, cum oves ſtultum pecus & oblivioſum cuſtode indigeant. *a* Quo minus ſibi conſulere ſuique curam gerere valent, ut parent, quæ mortalis egeſtas deſiderat, eo magis tu proſpice neceſſaria quæ defendant eas alantque. *b* Arbutea, quernea, fœnilia, indulta large & libere per totam hiemem. *c* Ubi novam æſtatem h. e. ver evocarint Zephyri. *d* Primo mane. *e* Παρὰ ὑπερβολικὸν, ut, *rupes tectore columnæ*, & *fregit ſubſellia verſu*. *f* Sale, ut docet Columella, l. 7. c. 3. velut ad pabuli condimentum canalibus ligneis impoſito.

Æstibus at mediis umbrosam exquirere vallem,
Sicubi magna g Jovis antiquo robore quercus
Ingentes tendat ramos, aut sicubi nigrum
Ilicibus crebris sacra nemus accubet umbra.
Tum tenues dare rursus aquas, & pascere rursus
Solis ad occasum; cum frigidus aëra vesper
Temperat, & saltus reficit jam h roscida Luna:
i Littoraque halcyonem resonant, & achantida dumi.
k Quid tibi pastores Libyæ: quid pascua versu
Prosequar, & raris habitata mapalia tectis?
Sæpe diem, noctemque, & totum ex ordine mensem
Pascitur, idque pecus longa in deserta sine ullis
Hospitiis: tantum campi jacet, omnia secum
Armentarius Afer agit, tectumque, laremque,
l Armaque m Amyclæumque canem, n Cressamque pharetram.
Non secus ac patriis acer Romanus in armis
o Injusto sub fasce viam cum carpit, & p hosti
q Ante expectatum positis stat in agmine castris.
r At non, quas Scythiæ gentes, s Mœoticaque unda,
Turbidus & torquens flaventes t Ister arenas:
u Quaque redit medium Rhodope porrecta sub axem.
Illic clausa tenent stabulis armenta, neque ullæ
Aut herbæ campo apparent, aut arbore frondes:
Sed jacet aggeribus niveis informis, & alto
Terra gelu latè, septemque assurgit in ulnas,
Semper hyems, semper spirantes frigora Cauri.
Tum sol pallentes haud unquam discutit umbras:
Nec cum invectus equis altum petit æthera, nec cum
Præcipitem Oceani x rubro lavit æquore currum.
y Concrescunt subitæ currenti in flumine crustæ.
Undaque jam tergo z ferratos sustinet z orbes,
Puppibus illa prius patulis, nunc hospita plaustris:
a Æraque dissiliunt vulgo, vestesque rigescunt

g Sacra Jovi quercus.
h Roriflua, demittens vaporem humidum qui non altum subvectus fuerat.
i vesperi, die inclinante, ubi litora resonant cantu halcyonum, dumi cardueelium.
k Alia Afris pastoribus pecora pascendi ratio, ut quibus loca subinde mutantibus *Nulla domus, plaustris habitant, migrare per arva Mos, atque errantes circumvectare penates.*
l Adversus populabundos prædones.
m Laconem, Spartanum. Amyclæ, urbs Laconiæ.
n Synecdochice. Cretes sagittis nobiles.
o Iniquo & gravi. Ex Rom. enim disciplina, milites in expeditionibus bajulabant cibaria, annonam quandoque menstruam, & si quid opus esset ad munienda castra, supra gladium, scutum, galeam & arma cetera.
p Obvius. Alii leg. *hostem.*
q Antequam expectetur. Ovid. 8. Metam. *Ante expectatum portus tenuere petitos.*
r Alia & longe diversa pascendi ratio Scythis & qui armenta per totum annum in stabulis clausa continent.
s Palus Mœotis.
t Danubius.
u Qua Rhodope porrecta ad Septentrionem Hæmo, a quo antea divulsus erat, conjungitur. *Threiciam Rhodopen habet angulus unus & Hæmum.* Ovid. 6. Metam.
x A repercussu radiorum Solis occidentis.
y Ister, fluminaque alia, ut & mare, durantur glacie. *Quæque rates ierant, pedibus nunc itur, Perque novos ponies Ducunt Sarmatici barbara plaustra boves.*
z Rotas ferro armatas.
a Æreæ hydriæ frigore rumpuntur.

Indutæ, *b* cæduntque securibus humida vina:
Et totæ solidam in glaciem *c* vertere lacunæ:
Stiriaque impexis induruit horrida barbis.
Interea toto non secius aëre ningit.
Intereunt pecudes: stant circumfusa pruinis
Corpora magna boum: consertoque agmine cervi
Torpent *d* mole nova, & summis vix cornibus extant.
Hos non immissis canibus, non cassibus ullis,
Puniceæve agitant pavidos *e* formidine pennæ:
f Sed frustra oppositum trudentes pectore montem,
Cominus obtruncant ferro, graviterque *g* rudentes
Cædunt, & magno læti clamore reportant.
h Ipsi in defossis specubus, secura sub alta
Ocia agunt terra, congestaque robora, tutasque
Advolvere focis ulmos, ignique dedere.
Hic noctem ludo ducunt, & *i* pocula læti
k Fermento, atque acidis imitantur vitea sorbis.
l Talis Hyperboreo septem subjecta trioni
Gens effræna virûm Rhipæo tunditur Euro:
Et *m* pecudum fulvis velantur corpora *m* setis.
n Si tibi lanicium curæ, primum aspera sylva,
o Lappæque, tribulique absint: fuge pabula læta.
Continuoque greges villis lege mollibus albos.
p Illum autem, (quamvis aries sit candidus ipse)
Nigra subest udo tantum cui lingua palato,
Rejice, ne maculis infuscet vellera pullis
Nascentum: plenoque alium circumspice campo,
Munere sic niveo lanæ (si credere dignum est)
q Pan deus Arcadiæ captam te, Luna fefellit,
In nemora alta vocant: nec tu aspernata vocantem.
At cui lactis amor, cytisum, lotosque frequentes,
Ipse manu, *r* salsasque ferat præsepibus herbas.

b Nudaque consistunt formam servantia testæ Vina, nec hausta meri, sed data fusta bibunt. Ovid. Trist. 3. l. & Pont. lib. 3. & vide Brodæi Miscel. 5. l. 21. c. *Humida* itaque hic non est ociosum epitheton, ut censuit Quintilian. l. 8. c. 6.

c Se i. e. versæ sunt.

d Nivium.

e Linea plumis versicoloribus, iisdemque ustulatis, intertexta, quæ visu & odore territos cervos in veras plagas obstantes impellat.

f Sed frustra conatos cervos nivium montem oppositum trudere venatores ipsi cominus conficiunt. *g* Catachrestice translatum, ab asinis. *h* Sarmatæ ob sævitiam hiemis specus aut suffossa habitant, totum braccati corpus, &, nisi qua vident, etiam ora vestiti. Mela l. 2. c. 1. *i* Ex hordeo aut frumento in quandam similitudinem vini corrupto potum conficiunt. Tacit. de Germanis. De Zitho & Cervisia lege Hadr. Junii c. 12. l. 2. Animadv. *k* Potum ex hordeo fermentant, sorbissque condiunt, ut vinum sapiat. *l* Atque hæc est vitæ ratio genti efferæ quæ habitat terras subditas Septentrionali axi, vapulatque Euro a Rhipæis montibus, si qui sunt, flante. *m* Rhenonibus, & inversis pecudum ferarumque pellibus. *n* *Quarta libri pars.* *o* Quæ omnia lanam hamis velut inuncatam vellicant. *p* Quin & aries ipse rejiciendus ab admissura, cujus sub lingua vena sit nigra, namque concolores erunt agni. Varro 2. l. 2. c. Calum. *q* Asserit hanc fabulam Pani, abdicatam Endymioni, ex Nicandro Macrobius l. 5. Sat. c. 22. ut qui menses a Luna collegerit, uti Endymion periodos. *r* Vide Plutarchum in Naturalibus Quæst. Cur pastores pecori salem porrigunt?

Hinc & amant fluvios magis, & magis ubera tendunt:
Et salis occultum referunt in lacte saporem.
Multi jam excretos prohibent à matribus hœdos,
Primaque *f* ferratis præfigunt ora capistris.
Quod surgente die mulsere, horisque diurnis,
Nocte *t* premunt: quod jam tenebris & sole cadente,
Sub lucem exportant *u* calathis (adit oppida pastor)
Aut parco sale contingunt, *x* hyemique reponunt.
Nec tibi cura canum fuerit postrema: sed una
Veloces *y* Spartæ catulos, acremque Molossum
Pasce sero pingui. nunquam custodibus illis
Nocturnum stabulis furem, incursusque luporum,
Aut impacatos à tergo horrebis *z* Iberos.
Sæpe etiam cursu timidos agitabis *a* onagros:
Et canibus leporem, canibus venabere damas;
Sæpe *b* volutabris pulsos sylvestribus apros
Latratu *c* turbabis agens: montesque per altos
Ingentem clamore premes ad retia cervum.
Disce & odoratam stabulis accendere *d* cedrum,
d Galbaneoque agitare graves nidore chelidros,
Sæpe sub immotis præsepibus aut mala tactu
Vipera delituit, cœlumque exterrita fugit:
Aut tecto assuetus coluber succedere, & umbræ,
Pestis acerba boum, pecorique aspergere virus,
Fovit humum. cape saxa manu, cape *e* robora pastor:
Tollentemque minas, & sibila colla tumentem
Dejice: jamque fuga timidum caput abdidit altè;
Cum medii nexus, extremæque *f* agmina caudæ
Solvuntur, tardosque trahit sinus ultimus orbes.
Est etiam ille malus Calabris in saltibus *g* anguis,
Squamea convolvens sublato pectore terga,
Atque notis longam maculosus grandibus alvum:
Qui, dum amnes ulli rumpuntur fontibus, & dum
Vere madent udo terræ ac pluvialibus Austris,
Stagna colit: ripisque habitans hic piscibus atram
h Improbus ingluviem, ranisque *i* loquacibus explet.
Postquam exusta palus, terræque ardore dehiscunt,
Exilit in siccum; & flammantia lumina torquens
Sævit agris, asperque siti, atque *k* exterritus æstu.

f Quæ claviculis inversis armata pungant matrem ne admittat hædum.
t In caseum cogunt.
u Lactis metas, lacticinia venalia in calathis ferunt ad oppida.
x In hiemem.
y Laudantur passim Lacones & Epirotici canes. Hic ad custodiam & venationem.
z Hispanos, bellicosos, adeoque prædones & abigeos.
a Sylvestres asinos, quorum pulli, lasiones, in deliciis. Mart. 12. lib. 94. Epigr.
b E volutabris cœni quibus gaudet amica luto sus.
c Urgebis. vox venatica.
d Cujus suffitu & odore, arceantur chelydri, Viperæ latitantes, & colubri lactis fina aut vini dolia frequentantes. *e* Sudem. *f* Orbes, nexus. *g* Chersydrus, aquas & terras infestans. Natrix. *h* Audax & voax. *i* Coaxantibus. *k* Al. *exercitus*.

l Ne mihi tum molles sub dio carpere somnos,
Neu dorso nemoris libeat jacuisse per herbas,
m Cum, positis novus exuviis, nitidusque juventa
Volvitur, aut catulos tectis, aut ova relinquens,
Arduus ad solem, & linguis micat ore trisulcis.
n Morborum quoque te *o* causas, & signa docebo.
Turpis oves tentat scabies, 1 ubi frigidus imber
Altius ad vivum persedit, & 2 horrida cano
Bruma gelu: vel 3 cum tonsis illotus adhæsit
Sudor, & 4 hirsuti secuerunt corpora vepres.
p Dulcibus idcirco pluviis pecus omne *q* magistri
Perfundunt: udisque aries in gurgite villis
Mersatur, missusque secundo defluit amni.
Aut tonsum tristi contingunt corpus *r* amurca,
Et spumas miscent argenti; *s* vivaque sulphura,
t Idæasque pices, & pingues unguine ceras,
u Scillamque *x* helleborosque graves, nigrumque bitumen.
y Non tamen ulla magis præsens fortuna laborum est,
Quam si quis ferro potuit rescindere summum
Ulceris os. *alitur vitium, vivitque tegendo.*
Dum medicas adhibere manus ad vulnera pastor
Abnegat, *z* & meliora deos sedet *a* omnia poscens.
Quinetiam ima dolor balantum lapsus ad ossa
b Cum furit, atque artus depascitur arida febris;
Profuit incensos æstus avertere, & inter
Ima ferire pedis salientem sanguine venam:
c Bisaltæ quo more solent, acerque *d* Gelonus,
Cum fugit in Rhodopen, atque in deserta Getarum,
Et lac concretum cum sanguine potat equino.
e Quum 1 procul aut molli succedere sæpius umbræ
Videris, 2 aut summas carpentem ignavius herbas,
3 Extremamque sequi, 4 aut medio procumbere campo
Pascentem, 5 & seræ solam decedere nocti:

l Neque enim sine periculo dormitur sub dio, grassante hoc chersydro & sæviente.
m De Pyrrho eadem 2. l Æneid. Lucret. 4. *Cum lubrica serpens Exuit in spinis vestem*, i. e. leberidem.
n Quarta Libri pars, *de morbis pecorum.*
o Quatuor. 1, 2, 3, 4.
p Remedia morbi, & scabiei docet.
q Pastores.
r Fæcibus olei.
s Ad fluorem versus, alii legunt, *ac sulfura viva.*
t Ida mons Phrygiæ pinubus nobilis, e quibus fluit pix liquida. *tarre*, & resina.
u Cepam marinam.
x Album & nigrum veratrum.
y Non tamen efficacius aut præsentius aliud remedium, quam exulceratæ partis resectio: *Ulcus enim vivescet & inveterascet alendo.* Lucret. 4. *z* Et ipse orios is deridens neque manum admovens remedium cœlitus ignavis precibus exposcit, expectatque. Frustra enim si te ignaviæ tradideris, votis muliebribus auxilia Deorum implores. Salust. *a* Canterus legi vult, *omina.* *b* Ad febrim ovium mittatur sanguis e vena in talo aut inter ungulas. *c* Accolæ Ponti Euxini. Val. Flacc. *d* Geloni, Sarmatæ, Geræ pop. Scythiæ prædabundi, in itinere aut fuga, deprehensi fame aut siti, sanguinem e cruribus equinis emissum equarum lacte mistum (sunt enim ἱππημολγοὶ) bibunt. *e* Signa pecudis febricitantis quinque, 1, 2, 3, 4, 5.

f Interfice, ne latius grassetur morbus.
g Greges in æstivis. Metonym. loci. æstate autem potissimum febre corripiuntur oves.
h Agnos simul & oves.
i Nobilitatæ olim ovibus regiones Alpinæ, Noricæ, & Venetæ, qua Japis ex Ætolia ducta colonia juxta fl. Timavum consedit, etiamnum hodie a tanto temporum intervallo, gregibus peste extinctis, desertæ jacent.
k Mentione facta luis Venetæ sumit occasionem poeta describendæ pestis, cujus primas duxit lineas Iliad. *α*. Homerus. a quo ceu fonte perenni fluxit pestilentiæ descriptio ad reliquos: Thucydidem 2. l. Lucretium lib. 6. Ovid. Met. lib. 7. Senec. Oedip. 1. act. Lucan. 6. l. ad quos vide quæ nos de causis & symptomatis pestis. Sil. Ital. l. 17.

f Continuo ferro culpam compesce, prius quam
Dira per incautum serpant contagia vulgus.
Non tam creber, agens hyemem ruit æquore turbo,
Quam multæ pecudum pestes, nec singula morbi
Corpora corripiunt: sed tota *g* æstiva repente,
h Spemque gregemque simul, cunctamque ab origine gentem.
Tum sciat aërias *i* Alpes, & Norica siquis
Castella in tumulis, & Japidis arva Timavi,
Nunc quoque post tanto videat, desertaque regna
Pastorum, & longe saltus lateque vacantes.
k Hic quondam *l* morbo cœli miseranda coorta est
Tempestas, totoque autumni incanduit æstu:
Et genus omne neci pecudum dedit, omne ferarum:
Corrupitque lacus, infecit pabula tabo.
Nec via mortis erat simplex: sed ubi ignea venis
Omnibus acta sitis, miseros abduxerat artus,
Rursus abundabat fluidus *m* liquor, omniaque in se
Ossa minutatim morbo callapsa trahebat.
n Sæpe in honore deûm medio stans 1 hostia ad aram,
Lanea dum nivea circundatur *o* infula vitta,
Inter cunctantes cecidit moribunda *p* ministros:
Aut si quam ferro mactaverat *q* ante sacerdos,
Inde neque impositis ardent altaria fibris,
Nec responsa potest consultus reddere *r* vates:
Ac vix suppositi tinguntur sanguine cultri;
Summaque jejuna sanie infuscatur arena.
2 Hinc lætis vituli vulgo moriuntur in herbis,
Et dulces animas plena ad præsepia reddunt.
3 Hinc *s* canibus blandis *t* rabies venit, & 4 quatit ægros
* Tussis anhela sues, ac faucibus angit obesis.
Labitur infelix studiorum, atque immemor *u* herbæ

l Corrupto aere. *m* Humor corruptus, cacochymia. *n* Grassata lues invasit 1 Hostias, 2 Vitulos, 3 Canes, 4 Sues, 5 Equos, 6 Boves, 7 Feras, 8 Pisces, 9 Serpentes, 10 Aves. *o* Hostiæ coronabantur infulis, quæ fasciæ erant instar diadematum, a quibus utrinque dependebant vittæ. *p* Popas. *q* Quam ipsa peste caderet. *r* Extispex, cujus erat consultis extis futura prædicere, nihil hic præsagire potest corruptis tabo extis. *s* Sagacibus sc. & odoris prima infectio. vide quæ ad Sen. Oedip. *t* Quæ propria canum, ut ——— * ——— Tussis & angina suum. *u* Pabuli. ut eclog. 8. *Immemor herbarum* non *victoriæ*, ut nimis subtiliter Jacob. Bonon. 3. Syllog.

ς Victor equus: fonteſque x avertitur, & pede terram
Crebra ferit: demiſſæ aures; incertus ibidem
Sudor, & ille quidem morituris frigidus: aret
Pellis, & ad tactum tractanti dura reſiſtit.
Hæc ante exitium primis dant ſigna diebus.
Sin in proceſſu cœpit y crudeſcere morbus,
Tum vero ardentes oculi, atque attractus ab alto
Spiritus, interdum gemitu gravis: imaque longo
Ilia ſingultu tendunt: it naribus ater
Sanguis, & z obſeſſas fauces premit aſpera lingua:
Profuit inſerto a latices infundere b cornu
Lenæos: ea viſa ſalus morientibus una.
Mox erat c hoc ipſum exitio: furiiſque refecti
Ardebant: Ipſique ſuos jam morte ſub ægra
(d Dii meliora piis, erroremque hoſtibus illum)
Diſciſſos nudis laniabant dentibus artus.
6 Ecce autem duro fumans ſub vomere taurus
Concidit, & miſtum ſpumis vomit ore cruorem,
Extremoſque ciet gemitus. it triſtis arator
Mœrentem abjungens e fraterna morte juvencum,
Atque opere in medio defixa relinquit aratra.
f Non umbræ altorum nemorum, non mollia poſſunt
Prata movere animum, non qui per ſaxa volutus
Purior electro campum petit amnis: at ima
Solvuntur latera, atque oculos ſtupor urget inertes:
Ad terramque fluit devexo pondere cervix.
g Quid labor? aut benefacta juvant? quid vomere terras
Invertiſſe graves? h atqui non Maſſica Bacchi
Munera, non illis epulæ nocuere repoſtæ.
Frondibus & victu paſcuntur ſimplicis herbæ:
Pocula ſunt fontes liquidi, atque exercita curſu
Flumina; nec ſomnos abrumpit cura ſalubres.
i Tempore non alio, dicunt, regionibus illis
Quæſitas ad ſacra boves Junonis & uris
Imparibus ductos alta ad donaria currus.
Ergo ægre raſtris terram rimantur, & ipſis
Unguibus infodiunt fruges: monteſque per altos

x Averſatur.
y Hellen. ut *apprime*, *torva*, *fera*.
z Ingravecere.
a Interclusus.
a Vinum autem, quod in mali hujus remedium adhiberi ſolitum eſt, in tantum non profuit; ut etiam obfuerit in furiam actis equis, ut ipſi ſe ſuis dentibus laniarent.
b Infundibulo.
c Vinum.
d Mittant. Abominandi formula.
e Conſortis, jugalis tauri interitu.
f Nulla juvant remedia, nuſquam patet ſaffugium; levamen nullum.
g Neque iis operæ in terra colenda impenſæ gratia ulla aut reſpectus.
h Atqui non a temulentia aut crapula ex vino & epulis hic morbus.

tauris, quibus ſimplex victus herbæ & potus fluentis aquæ; nedum ab inſomni cura. i Jam quidem, ſicubi alias, neceſſe erat, in locum taurorum qui interierant, jungere uros qui ad Junonis templum ferrent ſacra. Alluſum volunt ad Argivam ſacerdotem, quam, deſideratis jumentis, filii Cleobis & Biton ad fanum ſub curru juncti traxerunt, Cic. Tuſc. quæſt. 1.

k Contenta cervice trahunt ſtridentia plauſtra.
7 Non l lupus inſidias explorat ovilia circum,
Nec gregibus nocturnus m obambulat: acrior illum
Cura domat. timidi damæ, cervique fugaces
Nunc interque n canes, & circum tecta vagantur.
8 Jam maris immenſi prolem, & genus omne o natan-
tum
Littore in extremo, ceu naufraga corpora, fluctus
p Proluit: inſolitæ fugiunt in flumina Phocæ.
9 Interit & curvis fruſtra defenſa latebris
Vipera, & attoniti ſquamis q aſtantibus hydri.
10 Ipſis eſt aër avibus non æquus, & illæ
Præcipites alta vitam ſub nube relinquunt:
r Præterea, ſ nec jam mutari pabula refert:
t Quæſitæque nocent artes: ceſſere u magiſtri,
x Phyllyrides Chiron, y Amythaoniuſque Melampus,
z Sævit & in lucem Stygiis emiſſa tenebris
Pallida Tiſiphone: morbos agit ante metumque,
Inque dies avidum ſurgens caput altius effert.
Balatu pecorum, & crebris mugitibus amnes,
Arenteſque ſonant ripæ, colleſque ſupini.
Jamque catervatim a dat ſtragem, atque aggerat ipſis
In ſtabulis turpi dilapſa cadavera tabo:
b Donec humo tegere, ac foveis abſcondere diſcunt.
Nam neque erat coriis uſus: nec viſcera quiſquam
Aut undis c abolere poteſt, aut vincere flamma,
Nec tondere quidem morbo illuvieque pereſa
Vellera, nec telas poſſunt attingere putres.
Verum etiam inviſos ſi quis tentaret amictus,
Ardentes d papulæ, atque immundus olentia ſudor
Membra ſequebatur: nec longo deinde moranti
Tempore, contactos artus e ſacer ignis edebat.

k Quin & ipſi homines aratra junctim trahebant.
l Citarem poetas noſtri interpretes & imitatores, ſed quia ætate & ingenio inferiores, ſat eſt, ſupra nominaſſe, ut qui volet eos conferat.
m Inſidiaturus.
n Innoxios, ut quos ſua etiam cura domat.
o Piſcium.
p Impulſu provolvit in littus.
q Horrentibus & aſperis ex morbo.
r *Nec ratio remedi communis certa dabatur*, &c.
ſ Quod tamen unicum remedium ſtatuit Columel. 7. l. 5. c.
t *Succumbit medicina malis.* Manil. *mali moles potentior arte eſt.*
u Medici optimi, cujuſmodi fuere ——— x ——— Chiron Saturni & Phylliræ, ——— y Melampus, filius Amythaonis.
z Et quis modus? ubi furiæ ab inferis emiſſæ, longe lateque luem illam ſpargant, morbos metumque indies adaugeant.
a Tiſiphone aut ipſa peſtis.
b Tandem inventum altis foſſis ſepelire animalia peſte abſumpta; quorum vellera, coria ac viſcera nulli erant uſui, imo tangentibus exitialia.
c Purgare.
d Puſtulæ, exanthemata, aut carbunculi.
e *Exæſit ſacer ignis.* Lucret. 6. Inſanabilis ſacer ignis, quam puſtulam vocant paſtores, &c. Columella 7. lib. 5. c.

GEORGICORUM LIB. IV.

ARGUMENTUM.

MEllarii ſedes ut deſignanda. Alveorum materies & fabrica. Apum ſeditiones & pugnæ. Breviter de cultura horti, laudata Tarentini cujuſdam ſenis induſtria. Apum Reſpublica, fœtus, victus; patria, leges, fœdera pacis ac belli, laboris & quietis, Providentia. Præſagia tempeſtatum. Genus, ætas; cultus in Reges, Indoles, ſolertia, & quaſi rationis ſcintillæ. Mellatio, cujus duo tempora, Ver, & Autumnus, Apum morbi & remedia. Extinctarum reſtauratio ex putrefacto juvenco, Quæ refertur inventa Ariſtæo, cujus hiſtoriæ adjicitur Orphei fabula. Epilogus operis.

PRotinus [a] aërii mellis cœleſtia dona
Exequar. hanc etiam Mecœnas aſpice [b] partem.
[c] Admiranda tibi levium ſpectacula rerum,
Magnanimoſque duces, totiuſque ordine gentis
Mores, & ſtudia, & populos, & prælia dicam.
In tenui labor, at tenuis non gloria: ſi quem
Numina [d] læva ſinunt, auditque vocatus Apollo.
Principio ſedes apibus [e] ſtatioque petenda,
Quo neque ſit ventis aditus (nam pabula venti
Ferre domum prohibent) neque oves, hœdique petulci
Floribus inſultent, aut errans bucula campo
Decutiat rorem, & ſurgentes atterat herbas.
Abſint & picti ſquallentia terga lacerti
[f] Pinguibus à ſtabulis, [g] Meropeſque, aliæque volucres,
Et manibus [h] Progne pectus ſignata cruentis.
Omnia nam latè vaſtant, ipſaſque volantes
Ore ferunt, *i* dulcem [k] nidis immitibus eſcam.
[l] At liquidi fontes, & ſtagna virentia muſco
Adſint, & tenuis fugiens per gramina rivus:
Palmaque [m] veſtibulum, aut ingens oleaſter obumbret:
Ut cum prima novi [n] ducent examina reges
Vere ſuo, ludetque favis emiſſa [o] juventus,
Vicina invitet decedere ripa calori,

[a] Μέλι δ' τὸ πίπτον ἐκ τοῦ ἀέρος. Ariſt. Hiſt. Anim. l. 5. cap. 22. & Plin. l. 11. c. 12. *Venit hoc ex aere, & maxime ſiderum exortu, &c. ſive ille eſt, cœli ſudor, ſive quædam ſiderum ſaliva, ſeve purgantis ſe aëris ſuccus, &c.*

[b] Agriculturæ.

[c] Attentionem petit, dicturus de admiranda apum natura, politia, prælliis, &c. de quibus videndi Ariſtot. 9. l. hiſt. animal. c. 40.

Plin. l. 11. Varr. Re. Ruſt. 3. l. c. 16. Columel. l. 9. 2. c. Pallad. 1. tit. 37. Autor Geoponic. [d] Quamvis Romanis auguria capientibus antica fuerit pars Meridies; atque hinc auſpicia ab Oriente læva, fuerint proſpera: hic tamen ex mente Agellii 5. l. 12. c. *Læva numina* intelligo quæ vim lædendi habent, placandaque ne obſint. [e] Metaph. a caſtris & navibus. Locus apiario deſtinatus. [f] Ab alvearibus melle fœtis. [g] Aves apibus inimicæ. Ariſt. & Plin. paros addunt. [h] Hirundo Ovid. 6. Met. fab. Philomelæ, *neque adhuc de pectore cædis Excſſere notæ, ſignataque ſanguine pluma eſt.* [i] Mellificam ſc. [k] Pullis crudelibus. [l] Noxia prius amoverat, utilia jam adeſſe monet. [m] Locum fornicatum in quo locantur alvearia. [n] Tanquam novam coloniam. [o] Apiculæ, fœtus novus.

Obviaque hoſpitiis teneat frondentibus arbos.
In medium, *p* ſeu ſtabit iners, ſeu profluit humor,
Transverſas ſalices, & grandia conjice ſaxa:
Pontibus ut crebris poſſint conſiſtere, & alas
Pandere ad æſtivum ſolem, ſi forte morantes
Sparſerit, *q* aut præceps Neptuno immerſerit Eurus.
Hæc circum *r* caſiæ virides, & olentia late
Serpylla, & graviter ſpirantis copia thymbræ
Floreat, irriguumque bibant violaria fontem.
ſ Ipſa autem ſeu *t* corticibus tibi ſuta cavatis,
Seu lento fuerint alvearia vimine texta;
Anguſtos habeant aditus. nam frigore mella
Cogit hyems, eademque calor liquefacta remittit.
u Utraque vis apibus pariter metuenda: neque illa
Nequicquam in tectis certatim tenuia cera
Spiramenta linunt, *x* fucoque & *y* floribus oras
Explent, collectumque hæc ipſa ad munera gluten,
Et viſco, & Phrygia ſervant *z* pice lentius. *z* Idæ.
Sæpe etiam *a* effoſſis (ſi vera eſt fama) latebris,
Sub terra fodere larem: penituſque repertæ
b Pumicibuſque cavis, exeſæque arboris antro:
Tu tamen & levi rimoſa *c* cubilia *d* limo
Unge, fovens circum, & raras ſuperinjice frondes.
Neu propius tectis *e* taxum ſine, *f* neve rubentes
Ure foco cancros, altæ neu crede paludi:
Aut ubi odor cœni gravis, aut ubi concava pulſu
Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.
Quod ſupereſt, ubi pulſam hyemem ſol aureus egit
Sub terras, cœlumque æſtiva luce reclauſit:
Illæ continuo ſaltus, ſylvaſque peragrant,
Purpureoſque metunt flores, & flumina libant
Summa leves: *h* hinc *i* neſcio qua dulcedine lætæ
k Progeniem, nidoſque fovent: hinc arte recentes
Excudunt cæras, & mella tenacia *l* fingunt.
Hinc, ubi jam emiſſum *m* caveis ad ſidera cœli
n Nare per æſtatem liquidam ſuſpexeris agmen
Obſcuramque trahi vento mirabere *o* nubem,

p Sive ſtagnabit, ſive fluet aqua.
q Aut aquis immerſerit vis venti.
r Poetica caſia, vulgo *lavendula*.
ſ Alvei conficiendi ratio, & materia ejus.
t Suberis.
u Caloris & frigoris, ille reſolvit, hoc cogit.
x Glutine ex fuco marino frutice.
y Florum lacrimis.
z Pice laudatiſſima Ida monte Phrygiæ.
a Ariſtot. l. 5. hiſt. An. c. 22. Apud Themiſcyram circa Thermodoontem amnem, apes non in terra quam in alveis faciunt favos.
b Saxis cavernoſis.
c Alveos.
d Seu luto & fimo bubulo.
e Arborem mellificiis gravem.

Sic ina Cyrneæ fugiant examina taxos. eclog. 9. *f* Gravis & tetri odoris quælibet prohibeantur; ſicuti cineri nidor cum eſt ignibus aduſtus, aut odor paluſtris cœni, nec minus cavæ rupes, aut valles argutæ, quas Græci νήχους vocant, interprete Columella lib. 9. cap. 5. *g* Ad Antipodas. *h* Poſt novi veris flores libatos. *i* Immenſa, ineffabili. *k* Examinis ſpem prolemque in favis. *l* Al. *fingunt*. Metaph. a ferrariis, ut & *excudunt*. *m* Alvearibus. *n* Volare. *o* Examen apum glomeratim ludentium, in formam nubis.

p Contemplator: aquas dulces, & frondea semper
Tecta petunt. huc tu jussos asperge *q* sapores,
Trita Meliphylla, & Cerinthæ *r* ignobile gramen;
s Tinnitusque cie, & *t* Matris quate cymbala circum.
Ipsæ considunt medicatis sedibus, ipsæ,
Intima more suo sese in *u* cunabula condent.
Sin autem ad pugnam exierint (*x* nam sæpe duobus
Regibus incessit magno discordia motu)
Continuoque animos vulgi, & trepidantia bello
Corda licet *y* longe præscisse, namque morantes
Martius ille æris rauci canor increpat, & vox
Auditur fractos sonitus imitata tubarum.
Tum *z* trepidæ inter se coëunt, pennisque coruscant:
Spiculaque exacuunt rostris, aptantque lacertos:
Et circa regem, atque ipsa ad *a* prætoria densæ
Miscentur, magnisque vocant clamoribus hostem.
Ergo ubi *b* ver nactæ *b* sudum, camposque patentes,
Erumpunt portis; concurritur; æthere in alto
Fit sonitus; magnum mistæ glomerantur in orbem,
☞ Præcipitesque cadunt: non densior aëre grando,
Nec de concussa tantum pluit ilice glandis.
c Ipsi per medias acies, insignibus alis,
Ingentes animos angusto in pectore versant:
Usque adeo obnixi non cedere, dum gravis aut hos,
Aut hos versa fuga victor dare terga coëgit.
d Hi motus animorum, atque hæc certamina tanta,
Pulveris exigui jactu compressa quiescent.
Verum, ubi ductores acie revocaveris ambos,
Deterior qui visus, eum, ne *e* prodigus obsit,
Dede neci: melior vacua sine regnet in aula:
f Alter erit maculis auro *g* squallentibus ardens:
(Nam duo sunt genera) hic melior, insignis & ore,
Et rutilis clarus squamis: *h* ille horridus alter

p Observa eas.
q Succos florum apibus gratorum.
r Ubique obvium.
s Æris cujus delectatione captæ vel metu territæ se in alveos condunt.
t Cybeles, Matris Deum; cujus in sacris Galli pulsant cymbala & tympana.
u Alvearia.
x Sæpe enim intra idem alvearium (quandoque & e diversis) oritur seditio, discediturque in partes duorum regum de imperio contendentium. Arist. 9. l. Hist. 40. cap.
y Triduo ante eruptionem mellarius præscisce re poterit ex vespertinis apum bombis ad

modum classicorum resonantibus. *z* Tumultuantes arma parant, seque ad pugnam expediunt. *a* Tabernacula Imperatoris utriusque. alludsum ad castra Rom. *b* Diem serenum & aerem purum. *c* Reg. s. *d* Unius inter se dissidentis, vel duorum examinum discordantium pugna facile compescitur pulveris jactu, fumo, mulso, passove sparso, &c. Columell. 9. lib. 9. c. *e* Mella absumens. *f* Melior. *g* Fulgentibus ad speciem squammarum, vide Agell. lib. 2. cap. 6. *h* Deterior ille, μείλας ϗ πλατυγάστως. Arist. 9. l. Hist. Anim. 40. c.

Desidia, latamque trahens inglorius alvum.
Ut binæ regum facies, ita corpora gentis;
Namque aliæ *i* turpes horrent, ceu pulvere ab alto
Cum venit, & terram succo spuit ore viator
Aridus: *k* elucent aliæ, & fulgore coruscant,
Ardentes auro, & paribus lita corpora guttis:
l Hæc potior soboles: *m* hinc cœli tempore certo
Dulcia mella premes: nec tantum dulcia, quantum
Et *n* liquida, & durum Bacchi domitura saporem.
At cum incerta volant, cœloque examina *o* ludunt,
Contemnuntque favos, & *p* frigida tecta relinquunt:
Instabiles animos ludo prohibebis inani.
Nec magnus prohibere labor, tu regibus alas
Eripe: non *q* illis quisquam cunctantibus *r* altum
Ire iter, aut castris audebit *s* vellere signa.
Invitent croceis halantes floribus horti,
Et *t* custos furum atque avium, cum falce saligna
u Hellespontiaci servet tutela Priapi.
Ipse thymum pinosque ferens de montibus altis,
Tecta serat latè circum cui talia curæ:
Ipse labore manum duro terat: ipse feraces
Figat humo plantas, & amicos irriget imbres.
Atque equidem, extremo ni jam sub fine laborum
x Vela traham, & terris festinem advertere proram:
Forsitan & pingues hortos quæ cura colendi
Ornaret, canerem; biferique rosaria *y* Pæsti;
Quoque modo potis gauderent intyba rivis,
Et virides apio *z* ripæ: tortusque per herbam
Crescceret in ventrem cucumis: nec sera *a* comantem
Narcissum, aut flexi tacuissem vimen acanthi,
Pallentesque hederas, & amantes littora myrtos.
Namque sub *b* Oebaliæ memini me turribus altis,
Qua *c* niger humectat flaventia culta Galesus,

i Deteriores notæ apes sunt pulveri sputo concreto concolores. *k* Melioris notæ apes. *l* Ex hac sobole. *m* Stato anni tempore, *vel* Cœli temperie. *n* Pura, & quæ admisceas austero vino ad mitigandam asperitatem. *Tam bene Thesiis Massica vina favis.* Martial. 4. l. 13. ep. *o* Per ludum & ocium glomerata, gyros & choreas ducentia. *p* Non opere, ut prius ferventia. *q* Regibus domi manentibus. *r* Subvolare ludibunde. *s* Aut in bellum prodire. Metaph. a militari disciplina. *t* *Deus inde ego furum, aviumque maxima formido.* Hor. 1. l. sat. 8. *u* Nati in urbe Lampsaco prope Hellespontum. *x* Metaph. a nautis qui portum subituri vela colligunt. *y* Oppidi maritimi Lucaniæ, bis in anno rosas ferentis. *z* Fluviorum *vel* hortorum pulvini & areæ. *a* Sero comas spargentem florentemque. Hellenismus. ut, *Torva iuvenem. Acerba fremens. Malia gemens*, &c. *b* Tarenti, conditi a colonia Lacedæmonia, duce Phalanto. Oebalus autem rex fuit Laconiæ, unde Lacones Oebali dicti. *c* Altus, Al. *piger*, lente fluens.

d Corycium vidisse senem: cui pauca *e* relicti
Jugera ruris erant; nec fertilis illa juvencis,
Nec pecori opportuna seges, nec commoda Baccho.
Hic rarum tamen in dumis olus, albaque circum
Lilia, verbenasque *f* premens, *g* vescumque papaver,
Regum æquabat opes animis: seraque revertens
Nocte domum, dapibus mensas onerabat inemptis.
h Primus vere rosam, atque autumno carpere poma:
Et cum tristis hyems etiam nunc frigore saxa
Rumperet, & glacie cursus frænaret aquarum:
Ille comam mollis jam tum tondebat acanthi,
Æstatem *i* increpitans seram, Zephyrosque morantes.
Ergo apibus fœtis idem, atque examine multo
Primus abundare, & spumantia cogere pressis
Mella favis: illi *l* tiliæ atque uberrima *l* pinus:
m Quotque in flore novo pomis se fertilis arbos
Induerat, totidem autumno matura tenebat.
Ille etiam seras in *n* versum distulit ulmos,
Eduramque pyrum, & spinos jam pruna ferentes,
Jamque *o* ministrantem platanum potantibus *o* umbram:
Verum hæc ipse equidem *p* spatiis discluſus *p* iniquis,
Prætereo, atque aliis post commemoranda relinquo.
Nunc age, naturas apibus quas Jupiter ipse
Addidit, expediam: pro qua mercede canoros
q Curetum sonitus, crepitantiaque æra secuutæ,
r Dictæo cœli regem pavere sub antro.
Solæ communes natos, consortia tecta
s Urbis habent, magnisque agitant sub legibus ævum:
Et patriam solæ, & certos novere penates:
Venturæque hyemis memores, æstate laborem
Experiuntur, & in medium quæsita reponunt.

d Corycus est urbs, mons, antrum Ciliciæ. Erit itaque Corycius, Cilix, vel e remigum numero, quorum opera contra ipsos Cilicas piratas usus fuerat Pompejus. *vel* miles Pompejanus, post Cilicas devictos emeritus & agro donatus.

e Prætereriti in divisione & contempti, utpote inutilis, ut in seq. Alii exp. hereditarii, a patre sc. relicti, ut, *Res non parta labore, sed relicta.* Martial. 10. l. 47. ep. voluntque poetam respicere ad duos fratres Veianios, quibus a patre relictam esse parvam villam refert Varro. l. 3. R. R. c. 16. Quid si *relictum rus* sit, quo pulsus prior dominus cesserit veterano militi cui assignabatur in divisione. *Nos patriæ fines & dulcia linquimus arva.* Eclog. 1. & 9. *f* Serens. *vel* falce metens. *g* Cereale. 1. Georg. *h* Fructu perenni dives & felix. Verno, æstivo, autumnali, hyberno. *i* Voto & voce, ut cujus studium ætas sera & Zephyri veris comites nondum spirantes morarentur. *l* Ad gluten & favos. *m* Nec ullus Vernus flos destituebat eum autumnali fructu. *n* In ordinem & quincuncem transtulit. Quid si dicamus, inversas ulmos incurvabat, pedamenta futura vitibus. *o* Hospitalem convivantibus. *p* Metaph. a Circo. Opificii mellarii immensis, temporis atque instituti mei angustis spatiis. *q* Curetes. Cretæ incolæ sacrique fratres, Opi parturienti Saturnumque filios ex pacto cum Titane vorantem fallere cupienti, suppetias laturi, æreis crepitaculis nati infantis Jovis vagitum celarunt, cymbalorum sonitum secutæ apes melle nutrierunt Jovem in antro Cretensi. In cujus officii mercedem tulere a Jove singularem naturam, politiam & mores. Sobolis, patriæ, cibi in medium quæsiti communionem, & Rempublicam, quasi Platonicam. *r* Dicte, mons Cretæ. *s* Alvearis.

Nam-

Namque aliæ [t] victu invigilant, & [u] fœdere pacto
Exercentur agris: pars intra septa domorum
Narcissi lacrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suspendunt ceras: aliæ spem gentis adultos
[x] Educunt fœtus: aliæ purissima mella
Stipant, & liquido [y] distendunt nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit custodia [z] sorti,
Inque vicem [a] speculantur aquas, & nubila cœli:
Aut [b] onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
Ac veluti lentis [c] Cyclopes fulmina massis
Cum [d] properant, alii taurinis follibus auras
Accipiunt, redduntque: alii stridentia tingunt
[e] Æra [f] lacu; gemit impositis incudibus [g] Ætna:
Illi inter sese magna vi brachia tollunt
[h] In numerum, versantque tenaci forcipe ferrum,
Non aliter (si parva licet componere magnis)
[i] Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque suo. grandævis oppida curæ,
Et munire favos, & [k] Dædala fingere tecta.
At fessæ multa referunt se nocte minores,
Crura thymo plenæ: pascuntur & arbuta passim,
Et glaucas salices, casiamque, crocumque rubentem,
Et pinguem tiliam, & [l] ferrugineos hyacinthos.
Omnibus una quies operum, labor omnibus unus.
Mane ruunt portis: nusquam mora: rursus eadem
Vesper ubi è pastu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit [m] sonitus, mussantque oras & limina circum.
Post, ubi jam [n] thalamis se composuere, siletur
In noctem, fessosque sopor [o] suus occupat artus.
Nec vero à [p] stabulis pluvia impendente recedunt
Longius, aut credunt cœlo, adventantibus Eurис:

[t] Antique, pro *victui*. Ita, *concubitu indulgens*. [u] Partiti inter se opera, juvenes negotiantur foras, seniores intus. [x] Incubant, fovent, excludunt fœtus. [y] Melle favos replent. [z] Sortito, sorte electis. [a] Pluvias & tempestatum præsagas. infra: *Nec vero a stabulis*, &c. [b] Seniores apes excipiunt gerulas juniores, easque exonerant. repetuntur versus isti Æneid 1. [c] De his, l. 8. Æneid. ubi & quinque versus seq. repetuntur. [d] Propere excudunt. [e] Ferrum. Synecd. [f] In quo ferrum candens immergitur. [g] Mons nivomus Siciliæ, Vulcani & Cyclopum officina. Al. leg. *antrum*, ut 8. lib. Æneid. [h] Ut ex alternis ictibus numerus & concentus musicus audiatur. ex quo Pythagoras Symphoniam observasse dicitur, cujus tamen inventionem Sacræ literæ tribuunt Tubalcain magistro Metallorum, Vulcano. [i] Atticas, κατ' ἐξοχήν, optimo enim melle celebratur Hymettus mons Atticus, thymi ferax. [k] Artificiosa. Δαίδαλα. unde ingenioso architecto nomen. [l] Nigri coloris. [m] Bombus. [n] Cellis. [o] Qui ipsis convenit, sic supra *Vere suo*, & *More suo*. [p] Alvearibus. Prædivinant ventos imbresque, continentque se tectis. Plin.

Sed

Sed circum tutæ ſub mœnibus urbis aquantur,
Excurſuſque breves tentant; & *q* ſæpe lapillos,
Ut cymbæ inſtabiles fluctu jactante ſaburram
Tollunt; his ſeſe per inania nubila librant.
Illum adeo placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec *r* concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt:
Verum ipſæ foliis natos, & ſuavibus herbis
Ore legunt: ipſæ regem parvoſque *ſ* Quirites
Sufficiunt, aulaſque & cerea regna *t* refigunt.
Sæpe etiam duris errando in cotibus alas
Attrivere, ultroque animam ſub *u* faſce dedere.
Tantus amor florum, & generandi gloria mellis.
Ergo ipſas quamvis anguſti terminus ævi
Excipiat, (neque enim *x* plus ſeptima ducitur æſtas)
At genus *y* immortale manet: multoſque per annos
Stat *y* fortuna domus, *z* & avi numerantur avorum.
Præterea *a* regem non ſic Ægyptus, & ingens
Lydia, nec populi Parthorum, aut Medus *b* Hydaſpes
Obſervant. *c* rege incolumi, mens omnibus una eſt:
Amiſſo, rupere fidem; conſtructaque mella
Diripuere ipſæ, & crates ſolvere favorum.
d Ille operum *e* cuſtos: illum admirantur, & omnes
Circumſtant fremitu denſo, ſtipantque frequentes,
Et ſæpe attollunt humeris; & corpora bello
Objectant, pulchramque petunt per vulnera mortem.
f His quidam ſignis, atque hæc exempla ſequuti,
Iſſe apibus partem divinæ mentis, & hauſtus
Æthereos dixere: *g* deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cœlumque profundum:
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenues naſcentem arceſſere vitas.
Scilicet *h* huc reddi deinde, ac reſoluta referri
Omnia: nec *h* morti eſſe locum; ſed viva volare

q Solertiam hanc apum celebrant autores una voce.
r Concubitui. Archaice. De generatione apum, an coeant, an fœturam deportent ex floribus, variant autores, Ariſt. 3. l. Gener. 10. c. & Hiſt. Anim. 5. l. 22. c. Plin. 11. lib. 16. c. Col. 9. l. 14. c.
ſ Cives, prolem. Metaph. a Romanis civibus.
t Accurate atque iterata opera figunt. Al. *refingunt*.
u Onere nimio.
x Pluſquam.
y Succeſſione familiæ & ſtemmatis, ad quod alluſum.
z *Et nati natorum, & qui naſcentur ab illis.*

3. Æneid. *a* Nulla uſquam gens, non Ægyptii, non Lydi, non ipſi Parthi & Medi majori veneratione colunt regem ſuum, quam apes. *b* Fl. alluens Mediam, ſeque in Indum exonerans. *c* Vide pulcherrimam alluſionem ad hunc verſum, Senec. 114. ep. *Rex noſter eſt animus, hoc incolumi cætera manent in officio*, &c. *d* Præter Ariſt. & Plin. locis dict. vide Ælianum l. 5. Hiſt. An. 11. c. *e* Præſes, qui operum labores æquis partibus dividat, aut fortiro. *f* Quibus apum ſtudiis & ingeniis animadverſis addacti quidam non ſolertiam tantum apibus, ſed & rationem & divinæ particulam mentis aſſignarunt. *g* Deum quippe vim ſuam in elementa omnia transfundere, hinc animalia quæ ex elementis conſtant, ſpiritu illius, alia magis aut minus, imbui ac inflari. vide 6. Æneid. *Principio cœlum*, &c. *h* Ex opinione Pythagorica nullum animal penitus perire; interire quidem & diſſoluto animali migrare animam ex alio in aliud, puram tandem ad ſuum aſtrum redire.

Side-

Sideris in numerum, atque alto ſuccedere cœlo.
i Si quando *k* ſedem *l* anguſtam, ſervataque mella
m Theſauris relines, prius hauſtus *n* ſparſus aquarum
Ore fove, *o* fumoſque manu prætende ſequaces.
Bis gravidos cogunt fœtus: *p* duo tempora *q* meſſis:
r Taygete ſimul os terris oſtendit honeſtum
Pleias, & *ſ* Oceani ſpretos pede reppulit amnes:
t Aut eadem ſidus fugiens ubi piſcis aquoſi,
Triſtior hybernas cœlo deſcendit in undas,
Illis ira modum ſupra eſt: læſæque venenum
u Morſibus inſpirant, & ſpicula cæca relinquunt,
x Affixa in venis, animaſque in vulnere ponunt.
y Sin duram metues hyemem, parceſque futuro;
Contuſoſque animos, & res miſerabere fractas.
At ſuffire thymo, ceraſque recidere inanes
Quis dubitet? nam ſæpe favos ignotus adedit
Stellio, lucifugis congeſta cubilia blattis:
z Immuniſque ſedens aliena ad pabula fucus,
Aut aſper crabro *a* imparibus ſe immiſcuit armis:
Aut dirum tineæ genus, aut *b* inviſa Minervæ
In foribus laxos ſuſpendit aranea caſſes.
Quo magis exhauſtæ fuerint, hoc acrius omnes
Incumbent *c* generis lapſi ſarcire ruinas:
Complebuntque *d* foros, & floribus horrea texent.
e Si vero (quoniam *f* caſus apibus quoque *f* noſtros
Vita tulit) triſti languebunt corpora morbo:
Quod jam non dubiis poteris cognoſcere ſignis:
Continuo eſt ægris 1 alius color: 2 horrida vultum
Deformat macies; 3 tum *g* corpora luce carentum
Exportant tectis, & triſtia funera ducunt:
† Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent:
ſ Aut intus clauſis cunctantur in ædibus omnes,
Ignavæque fame, & contracto frigore pigræ.
6 Tum ſonus auditur gravior, tractimque ſuſurrant:

l Præcepta mellationis ejuſque Vernæ & Autumnalis.
k Alvearium.
l Al. *anguſtam.*
m Eximes e recluſis alveariis,
n Pro *ſpargens* poni vol int. Aquam ore hauſtam ſparge in modum imbris pluviæque.
o Qui vel cogant apes in priorem partem alvearii, vel abigant.
p Ver & autumnus.
q Mellationis vel caſtrationis alveorum.
r Ortu Pleiadum, quarum Taygete una eſt. Synecd. menſe Majo.
ſ Oriens ſc. & mare navigationi aperiens.
t Aut occaſu Pleiadum quo tempore Piſces oriuntur.
u Aculeis.
x Aculeos penitus infixos & vulnere relictos cum parte inteſtini, unde ipſas mors conſequitur.
y Quod ſi duram metuens hyemem benigne agere voles cum apibus ne animum deſpondeant: ne pigeat tamen alveos aperire, favos a vermibus, fucis, ſtellionibus corruptos aut inanes eximere, ſuffumigatione refigere apes, & purgare alvearia a blattis, tineis, &c.
z Laboris expers, nihil adferens utilitatis.
a Cui & viribus & armis impar eſt apis.
b Ob procaciam a Minerva in araneam verſa Arachne puella Lydia. Ovid. 6. Metam.
c Fœtus.
d Cellas, favos.
e Languentium apum morbis, quorum ſtatuit ſigna ſex, remedia præſcribit novem.
f Cum hominibus communes.
g Mortuarum efferunt cadavera.

h Frigidus *i* ut quondam ſylvis immurmurat Auſter,
Ut mare ſollicitum ſtridet refluentibus undis,
Æſtuat ut clauſis rapidus fornacibus ignis.
k Hic jam 1 Galbaneos ſuadebo incendere odores,
2 Mellaque arundineis inferre canalibus, ultro
Hortantem, & feſſas ad pabula nota vocantem.
3 Proderit & tunſum gallæ admiſcere ſaporem,
4 Arenteſque roſas, 5 aut igni pinguia multo
Defruta, 6 vel *l* Pſythia paſſos de vite racemos,
m Cecropiumque 7 thymum, & 8 graveolentia centaurea.
9 Eſt etiam flos in pratis, cui nomen *n* amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba.
Namque *o* imo ingentem tollit de ceſpite ſylvam:
Aureus ipſe, ſed in foliis, quæ plurima circum
Funduntur, violæ ſublucet purpura nigræ.
Sæpe deûm nexis ornatæ *p* torquibus aræ.
Aſper in ore ſapor: *q* tonſis in vallibus illum
Paſtores, & curva legunt prope flumina *r* Mella.
Hujus odorato radices incoque Baccho,
Pabulaque in foribus plenis appone caniſtris.
ſ Sed, ſi quem proles ſubito defecerit omnis,
Nec, genus unde novæ ſtirpis revocetur, habebit:
Tempus & *t* Arcadii memoranda inventa magiſtri
Pandere, quoque modo *u* cæſis jam ſæpe juvencis
x Inſyncerus apes tulerit cruor. altius omnem
Expediam, prima repetens ab origine famam.
Nam, qua *y* Pellæi gens *z* fortunata Canopi
Accolit effuſo ſtagnantem flumine Nilum,
Et *a* circum pictis vehitur ſua rura phaſelis:
b Quaque *c* pharetratæ vicinia Perſidis urget.

h Natura ſua, ut qui a gelido polo Antarctico ſpiret: accidentali tamen & adventitio calore, dum ad nos per torridam zonam permeat, fervidus. Macr. l. 2. in ſomn. Scipionis c. 5.
i Comparationes haſce tres ab Homero Il. 14. ductas 6. verſibus, noſter felicius contraxit tribus comprehenſas.
k Remedia 9. Columel. l. 9. c. 13.
l Supra l. 2. *Et paſſo Pſythia utilior.* quem locum vide.
m Atticum, ut quod optimum.
n Amellum florem eundem cum Aſtere Attico, bubonio, eſſe autumant Herbarii proceres. *o* Multos caules fundit a radice. Al. leg. *uno ingentem tollit de ſtipite ſylvam* *p* Corollis ex hoc flore ornantur aræ. *q* Pratis, ut ante. *r* In Gallia nobilis eſt hujus nominis fluvius, aliique cognomines alibi. Poetæ tamen notior Mela Italus, quem ſiniſtra ripa receptum Ollius fl. in Padum deſert. videturque hinc nomen inditum flori amello. Cluv. 1. l. ult. cap. *ſ* Inventum reſtaurationis apum extinctarum e bovis cæſi putrefactione, refertum acceptum Ariſtæo. *t* Ariſtæi regis Arcadii qui inveniſſe fertur mellis & olei uſum, apum amiſſarum reparationem, lactis coagulum. Juſtin. 14. l. & interp. Apollonii. vide hanc eandem fab. apud Ovid. 1. Faſtorum. *u* Verbere & fuſtibus, citra effuſum ſanguinem. *x* Corruptus & putridus. *y* Propter Alexandriam ab Alexandro Pellæ in Macedonia nato conditam in vicinia Canopi inſ. unde oſtio illi nomen. *z* Felix ubertate ſoli quam præſtat Nilus exundans. *a* Stagnante Nilo. *b* Quaque Indus urget vicinia Perſidis, i. e. in Perſia. *c* Perſas ſagittis claruiſſe nemo non novit.

d Et viridem Ægyptum nigra fœcundat arena,
Et diversa ruens *e* septem discurrit in ora,
Usque *f* coloratis annis devexus ab Indis:
Omnis in hac certam regio jacit arte salutem.
Exiguus primum, atque ipsos contractus ad usus
Eligitur locus: hunc angustique imbrice tecti
Parietibusque premunt arctis, & quatuor addunt
Quatuor à ventis obliqua luce fenestras.
Tum vitulus bima curvans jam cornua fronte
Quæritur: huic geminæ nares, & spiritus oris
g Multa reluctanti obstruitur: plagisque perempto
Tunsa per integram solvuntur viscera pellem.
Sic positum in clauso linquunt, & ramea costis
Subjiciunt fragmenta, thymum, casiasque recentes.
Hoc geritur, *h* Zephyris primum impellentibus undas,
Ante novis rubeant quam prata coloribus, ante
Garrula quam tignis, nidum suspendat *i* hirundo.
Interea teneris tepefactus in ossibus humor
Æstuat, & visenda modis animalia miris,
k Trunca pedum primo, mox & stridentia pinnis
Miscentur, tenuemque magis, magis aëra carpunt.
Donec, ut æstivis effusus nubibus imber,
Erupere, aut ut nervo pulsante sagittæ,
Prima leves ineunt si quando prælia Parthi.
Quis Deus hanc, Musæ, quis nobis extudit artem?
l Unde nova ingressus hominum experientia cœpit?
Pastor Aristæus, fugiens Peneia *m* Tempe,
Amissis (ut fama) apibus morboque fameque,
Tristis ad extremi sacrum caput astitit *n* amnis,
Multa *o* querens; atque hac affatus voce parentem:
Mater *p* Cyrene, mater, quæ gurgitis hujus
Ima tenes; quid me præclara stirpe deorum
(Si modo, quem perhibes, pater est *q* Thymbræus Apollo)
Invisum fatis genuisti? aut quo tibi nostri
Pulsus amor? quid me cœlum sperare jubebas?
En etiam hunc ipsum vitæ mortalis honorem
Quem mihi vix frugum, & pecudum custodia solers
Omnia tentanti extuderat, te matre, relinquo.
r Quin age, & ipsa manu felices erue sylvas.
Fer stabulis inimicum ignem, atque interfice messes:
Ure sata, & validam in vites molire bipennem:

d Surreptitium hunc versum suspicantur plurimi, fatentur, cassant.
e Indo etiam septem ostia assignant Geographi, nominantque Ptolemæus, Ortelius, alii.
f Fuscis, an stigmate, quod sibi honori ducebant, inustis?
g Multum, valde, Hellenism.
h Primo vere.
i Veris nuncia.
k Alludum volunt ad Etymon ἀπὸ τοῦ σκώληξ, vermiculi primum, deinde, nymphæ, tandem ruptis membranis apes.
l Quo autore habuit experimentum hoc primos auctus?
m Locum amœnum Thessaliæ quem medium interluit Peneus. descriptum ab Æliano. Var hist. 3. l. 1. c.
n Penei fl.
o Efficta, a querela hæc ab illa Achillis. 1. Iliad. Hom. *p* Nympha Penei fl. *q* A Thymbra Troados oppido, ubi colebatur. *r* Permissio acerba & invidiosa, *clademque autore levabis.*

Tanta

Tanta meæ si te ceperunt tædia laudis.
At mater *s* sonitum thalamo sub fluminis alti
Sensit, eam circum *t* Milesia vellera nymphæ
Carpebant, *u* hyali saturo fucata colore,
x Drymoque, Xanthoque, Ligæaque, Phyllodoceque,
Cæsariem effusæ nitidam per candida colla:
Nisæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque,
Cydippe, & *y* flava Lycorias (altera virgo,
Altera tum *z* primos Lucinæ experta labores)
Clioque, & Beroe soror, *a* Oceanitides ambæ,
Ambæ auro, *b* pictis incinctæ pellibus ambæ,
Atque Ephyre; atque Opis, atque Asia, Deiopeja;
Et tandem positis velox *c* Arethusa sagittis.
Inter quas *d* curam Clymene narrabat inanem
Vulcani, Martisque dolos, & dulcia *e* furta,
Atque *f* Chao densos divum numerabat amores.
Carmine quo captæ, dum *g* fusis mollia pensa
Devolvunt, iterum maternas impulit aures
Luctus Aristæi; vitreisque sedilibus omnes
Obstupuere: sed ante alias Arethusa sorores
Prospiciens, summa flavum caput *h* extulit unda.
Et procul, O gemitu non frustra exterrita tanto
Cyrene soror, ipse tibi, tua maxima cura
Tristis Aristæus Penei genitoris ad undam
Stat lacrymans, & te crudelem nomine dicit.
Hic perculsa nova mentem formidine mater,
Duc age, duc ad nos: fas illi limina divum
Tangere ait. simul alta jubet discedere late
Flumina, qua juvenis gressus inferret. at illum
Curvata in montis faciem circumstetit unda,
Accepitque sinu vasto, misitque sub amnem.
Jamque domum mirans genitricis, & humida regna,
Speluncisque *i* lacus clausos, *k* lucosque sonantes,
Ibat, & ingenti motu stupefactus aquarum,
Omnia sub magna latentia flumina terra
Spectabat diversa locis, *l* Phasimque *m* Lycumque,
Et caput, unde altus primum se erumpit *n* Enipeus;
Unde pater *o* Tyberinus, & unde *o* Aniena fluenta,
p Saxosumque sonans, Hypanis, *q* Mysusque Caicus,

s Confusum, neque enim primum animadvertit neque agnovit vocem.
t Purissima, e Mileto. 3. Georgic. supra.
u Vitreo multoties tincta, unde cœruleus color.
x Nympharum nomina.
y Flava crines.
z Primipara. de Lucina, supra Ecl. 4.
a Oceani filiæ.
b Maculosis, hinnuleis, quæ Nebrides dicuntur.
c Nympha Sicelis, Ecloga 10.
d Fab. Martis in Veneris amplexibus deprehensi, traductique a Vulcano, Odyss. Hom. 8. Ovid. Met. 4.
e Adulteria.
f Crebros Deorum amores ab orbe usque condito.
g Dum telas texunt.
h Κῦμα περιστάθη οὖρεϊ ἴσον Κυρτωθέν. Homer. Odyss. 11.
i Fontium & fluviorum origines & receptacula. *k* Forte, Corallii. *l* Colchorum fl. *m* Lyciæ fl. *n* Thessaliæ fl. *o* Tiberis & Anio Italiæ fl. *p* Rauco strepitu inter saxa devolutus Hyp. fl. Scythiæ. *q* Mysiæ fl.

r Et gemina auratus ſ taurino cornua vultu
t Eridanus: quo non alius per pinguia culta
In mare u purpureum violentior influit amnis.
Poſtquam eſt in thalami x pendentia pumice tecta
Perventum, & nati fletus cognovit inanes
Cyrene: manibus liquidos dant ordine fontes
Germanæ, tonſiſque ferunt mantilia villis.
y Pars epulis onerant menſas, & plena reponunt
Pocula: z Panchæis adoleſcunt ignibus aræ.
Et mater, Cape a Mœonii b carcheſia Bacchi,
Oceano libemus, ait; ſimul ipſa precatur
Oceanumque c patrem rerum, nymphaſque ſorores,
Centum quæ ſylvas, centum quæ flumina ſervant.
d Ter liquido ardentem perfudit nectare veſtam;
e Ter flamma ad ſummum tecti ſubjecta reluxit.
Omine quo firmans animum, ſic incipit ipſa:
Eſt in f Carpathio Neptuni gurgite vates
Cæruleus Proteus: magnum qui g piſcibus æquor,
Et juncto bipedum curru metitur equorum,
Hic nunc h Emathiæ portus, patriamque reviſit
i Pallenen. hunc & nymphæ venerantur, & ipſe
Grandævus k Nereus: novit namque omnia vates,
l Quæ ſint, quæ fuerint, quæ mox ventura trahantur.
Quippe ita Neptuno viſum eſt, m immania cujus
m Armenta, & turpes paſcit ſub gurgite phocas.
Hic tibi, nate, prius vinclis capiendus, ut omnem
Expediat morbi n cauſſam, eventuſque ſecundet.
Nam ſine vi non ulla dabit præcepta, o neque illum
Orando flectes: vim duram, & vincula capto
Tende: doli circum hæc demum frangentur inanes.
Ipſa ego te, medios cum ſol accenderit æſtus,
Cum ſitiunt herbæ, & pecori jam gratior umbra eſt,
In ſecreta ſenis ducam, quo feſſus ab undis
Se recipit: facile ut ſomno aggrediare jacentem.

r Cum reſpectu ad ſl. hunc relatum in cœlum & 32 ſtellis inſignem.
ſ Tauriformes. dicti fluvii, a mugitu & rapido curſu: cornuti, a geminis ripis, vel alveis in quos ſe dividunt. unde Acheloo Hercules alterum cornu avulſiſſe fingitur, qui fluvium in unum alveum redegerit.
t Fl. Italiæ Padus in Adriaticum ſe exonerans.
u Cujus unda remis pulſa purpuraſcit. Cic. 2. Acad. quæſt. ἄλλα πορφυρόεσσαν Hom.
x Fornicata, columnis fulta.
y Sacrificium parant & convivium.

z Arabicis, ut volunt qui Panchaiam urbem Arabiæ Felicis ſtatuunt. ego fictitium nomen puto ex πᾶν & καίω. uro. a Lydii. optimi. Strab. l. 13. b Pocula de quorum forma Athen. 11. l. & Macrob. Sat. 5. l. 21. c. c Ex Thaletis & veterum philoſophorum opinione, qui omnia ex aquis generari aſſerebant. d Ter vinum libavit infuditque in ignem, e Ter emicuit boni ominis flamma. f Carpathio mari. a Carpatho inſ. maris Mediter. g Hippocampis. qui anteriore parte equi, poſteriore piſces. Caput equi eſt, cæteræ partes Draconem repræſentant. cauda gammari, &c. Jul. Scalig. exer. 226. 7. h Theſſaliæ, Macedoniæ veteribus confuſe dictæ. i Peninſulam Macedoniæ. k Et ipſe vates. Ὅς γ' ἤδη τά τ' ἐόντα, τά τ' ἐσσόμενα, πρό τ' ἐόντα. Hom. Iliad. α. m Cete, balænas, monſtra natantia. n Culpam quæ cauſa interitus apum, & remedium. o Eadem de Sileno, Eclog. 6. vid. Hom. Odyſſ.

Verum

Verum ubi correptum manibus, vinclisque tenebis,
p Tum variæ illudent species, atque ora ferarum,
Fiet enim subito sus horridus, q atraque tigris,
Squamosusque draco, & fulva cervice leæna:
Aut acrem flammæ sonitum dabit, atque ita vinclis
Excidet, aut in aquas tenues dilapsus abibit.
Sed, quanto ille magis formas se vertet in omnes,
Tanto, nate, magis contende tenacia vincla:
Donec talis erit mutato corpore, qualem
Videris, incepto tegeret cum lumina somno.
Hæc ait, & liquidum ambrosiæ r diffudit odorem;
Quo totum nati corpus perduxit: at illi
Dulcis compositis spiravit crinibus aura,
Atque habilis membris venit vigor. Est specus ingens
Exesi latere in montis: quo plurima vento
Cogitur, inque sinus scindit sese unda reductos,
s Deprensis olim statio tutissima nautis.
Intus se vasti Proteus tegit obice saxi.
Hic juvenem in latebris aversum à lumine Nympha
Collocat: ipsa procul nebulis obscura recessit.
Jam rapidus torrens t sitientes u Sirius Indos
Ardebat, cœlo, & medium sol igneus orbem
Hauserat. arebant herbæ, & cava flumina siccis
x Faucibus ad limum radii tepefacta coquebant:
Cum Proteus consueta petens è fluctibus antra
Ibat. cum vasti circum y gens humida ponti
Exultans z rorem latè dispergit z amarum.
Sternunt se somno diversæ in littore phocæ.
Ipse (velut stabuli custos in montibus olim,
Vesper ubi è pastu vitulos ad tecta reducit,
Auditisque lupos acuunt balatibus agni)
Consedit scopulo medius, numerumque recenset.
Cujus Aristæo quoniam est oblata facultas,
Vix defessa senem passus componere membra,
Cum clamore ruit magno, manicisque jacentem
Occupat: ille suæ contra non immemor artis
Omnia transformat sese in miracula rerum,
Ignemque, horribilemque feram, fluviumque liquentem.
Verum ubi nulla fugam reperit fallacia, victus
In sese redit, atque hominis tandem ore loquutus.
a Nam quis te juvenum confidentissime nostras
Jussit adire domos? quidve hinc petis? inquit: at ille.
Scis Proteu, scis ipse, b neque est te fallere cuiquam,

p De Proteo Rege Ægypti, vide Mythologos, quibus est bellator, variis galearum formis terribilis, sophista aliis, vafer, histrio, præstigiator, &c. *Spumat aper, fluit unda, fremit leo, sibilat anguis.*
q Aspera, sæva.
r Quo gratior visu, & vegetior esset ad luctam.
s Tempestate aliquando deprehensis.
t Arentes a Sole propinquo.
u Stella in ore Canis, cujus ortu intensivus est calor.
x Æn. 10. *Ille sitim morbosque ferens mortalibus ægris*, &c.
y Genus æquoreum, phocæ, pisces.
z Aquam marinam.
a Indignanter.
b οὐκ ἔξεστι. non licet cuiquam te fallere. Tu ergo desiste velle fallere alios.

Sed

Sed tu desine velle, deûm præcepta sequuti
Venimus huc, lapsis quæsitum oracula rebus.
Tantum effatus: ad hæc vates vi denique multâ,
c Ardentes oculos intorsit lumine glauco,
Et graviter c frendens sic fatis ora resolvit:
Non te nullius exercent numinis iræ:
d Magna lues commissa: tibi has miserabilis Orpheus
Haudquaquam ob meritum pœnas (ni fata resistant)
Suscitat, & rapta graviter pro e conjuge sævit.
Illa quidem, dum te fugeret per flumina præceps
Immanem ante pedes hydrum moritura e puella
Servantem ripas, alta non vidit in herba.
At f chorus æqualis Dryadum clamore supremos
Implerunt montes: flerunt g Rhodopeiæ arces,
Altaque g Pangæa, & h Rhesi i Mavortia tellus,
Atque Getæ, atque k Hebrus, atque l Actias Orithyta.
m Ipse cava solans ægrum testudine amorem,
Te dulcis conjux, te n solo in littore secum,
Te veniente die, te decedente canebat.
o Tænarias etiam fauces, alta ostia Ditis,
Et caligantem nigra formidine lucum
Ingressus, manesque adiit, p regemque tremendum,
Nesciaque humanis precibus mansuescere corda.
At cantu commotæ Erebi de sedibus imis
Umbræ ibant q tenues, simulacraque luce carentum:
Quam multa in sylvis avium se millia condunt,
Vesper ubi, aut hybernus agit de montibus imber:
r Matres atque viri, defunctaque corpora vita
Magnanimûm heroum, pueri, innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum.
Quos circum limus niger, & deformis arundo
Cocyti, tardaque palus s innabilis unda
Alligat, & novies Styx interfusa coërcet.
Quin ipsæ stupuere domus, atque intima lethi
Tartara, cæruleosque t implexæ crinibus angues
Eumenides: tenuitque inhians tria Cerberus ora;
Atque Ixionei u vento rota constitit orbis.
Jamque pedem referens, casus evaserat omnes,
Redditaque Eurydice superas veniebat ad auras,

c Ira.

d Delictum magnum ultra est lues magna, ad internecionem usque tuarum apum. *Alias.* Tu lues magna commissa.
e Eurydice.
f Nymphæ populares, connutritiæ.
g Montes Thraciæ.
h Anachronismus, quam postea Rhesus rex tenuit.
i Cui Mars præsidet, bello strenua.
k Fl. Thraciæ.
l Attica, filia Erichthonii, quam rapuit Boreas.
m Orpheus.
n Ipse solus.
o Quin & ausus infernos adire, per Tænarum Laconiæ promontorium, qua descensus patere ad inferos perhibetur.
p Plutonem.
q *Leves populi, simulachraque functa sepulchro.* Ov. 10. Metam.
r Tres isti versus repetuntur 6. Æn.
s Irremeabilis, vel, per 6. Æn.
t Involutæ, implicitæ. Al. leg. *inamabilis*, & hic cum seq. repetitur, *inexæ*: Alii *impexæ*.
u Al. *canit*, nam *vento*, quo prius movebatur, non me movet.

Pone

Ponè sequens, (namque hanc dederat Proserpina x legem)
Cum subita incautum dementia cepit amantem:
(Ignoscenda quidem, scirent si ignoscere manes)
Restitit, Eurydicemque suam jam y luce sub ipsa,
Immemor, heu, victusque z animi respexit: ibi omnis
Effusus labor, atque immitis rupta tyranni
Fœdera: terque fragor stagnis auditus a Avernis.
Illa, quis & me, inquit miseram, & te perdidit, Orpheu?
Quis tantus furor? en iterum crudelia retro
Fata vocant, conditque b natantia lumina somnus.
Jamque vale: feror ingenti circundata nocte.
Invalidasque tibi tendent, heu, non tua, palmas.
Dixit: & ex oculis subito, ceu fumus in auras
Commistus tenues, fugit diversa, neque illum
Prensantem nequicquam umbras, & multa volentem
Dicere, præterea vidit: nec c portitor Orci
Amplius objectam passus transire paludem.
Quid faceret? quo se rapta bis conjuge ferret?
Quo fletu manes, qua numina voce moveret?
d Illa quidem Stygia nabat jam frigida cymba.
Septem illum totos perhibent e ex ordine menses
Rupe sub aërea, deserti ad f Strymonis undam
Flevisse, & gelidis g hæc evolvisse sub antris,
Mulcentem tigres, & agentem carmine quercus.
Qualis populea mœrens philomela sub umbra
Amissos queritur fœtus, quos durus arator
Observans nido implumes detraxit: at illa
Flet noctem, ramoque sedens miserabile carmen
Integrat, & mœstis latè loca questibus implet.
h Nulla Venus, nullique animum flexere Hymenæi.
Solus i Hyperboreas glacies, k Tanaïmque nivalem,
Arvaque Rhiphæis nunquam viduata pruinis
Lustrabat, raptam Eurydicen, atque irrita Ditis
Dona querens. l spretæ m Ciconum quo n munere matres
Inter sacra deûm, nocturnaque o Orgia Bacchi
Discerptum latos juvenem sparsere per agros.

x Ne Orpheus respiceret.
y Exitum prope consequutus.
z Quartus vel sextus casus loci in quo fit passio. per Synecdochen Grammaticalem vertitur non raro in Genitivum, ut *timendus mentis, fervidus ingenii, præceps animi*, &c.
a Avernus, Campaniæ palus, introitus ad inferos.
b Oculos languide fluitantes mors condit.
c Charon. 6. Æneid.
d Eurydice.
e Continuos, sine intermissione.
f Fl. Thraciæ.
g Quæ passus fuerat, animo & cithara percurrisse.
h Nullus amor, nullæ placuere nuptiæ, Hymenæus a. nuptiarum Deus.

ὑμὴν membranula virginitatis claustrum. i De gente Hyperborea & Rhiphæis montibus, supra ad 3. l. Georg. k Scythiæ fl. qui in Mœotin paludem influit, Asiamque ab Europa dividit. l A Threiciis mulieribus, quarum amores & nuptias spreverat, Bacchanalia celebrantibus discerptus est. m Thraciæ pop. n Nuptiis & amore. o Sacra, ab ἄγω. a quibus arcentur profani, non initiati.

Tum quoque *q* marmorea caput à cervice revul. sum:
Gurgite cum medio portans *q* Oeagrius Hebrus
Volveret: Eurydicen vox ipsa, & frigida lingua,
Ah miseram Eurydicen anima fugiente vocabat:
Eurydicen toto referebant flumine ripæ.
Hæc Proteus: & se jactu dedit æquor in altum:
Quaque dedit, spumantem *r* undam sub vortice torsit.
s At non Cyrene. namque ultro affata timentem;
Nate, licet tristes animo deponere curas.
Hæc omnis morbi caussa: hinc miserabile nymphæ,
t Cum quibus illa choros lucis agitabat in altis,
Exitium misere apibus: tu munera supplex
Tende, petens pacem, & faciles venerare *u* Napæas.
Namque dabunt veniam votis, irasque remittent.
Sed, modus orandi qui sit, prius ordine dicam.
Quatuor *x* eximios præstanti corpore tauros,
Qui tibi nunc viridis depascunt summa *y* Lycæi
Delige, & *z* intacta totidem cervice juvencas.
a Quatuor his aras alta ad delubra dearum
Constitue, & sacrum jugulis demitte cruorem:
Corporaque ipsa boum frondoso defere luco.
Post, ubi nona suos aurora ostenderit ortus,
Inferias Orphei *b* Lethæa papavera mittes,
Et *c* nigram mactabis ovem, lucumque revises:
Placatam Eurydicen vitula venerabere cæsa.
Haud mora, continuo matris præcepta facessit;
Ad delubra venit; *d* monstratas excitat aras:
Quatuor eximios præstanti corpore tauros
Ducit, & intacta totidem cervice juvencas.
Post ubi nona suos aurora induxerat ortus,
Inferias Orphei mittit, lucumque revisit.
Hic vero subitum, ac dictu mirabile monstrum
Aspiciunt: liquefacta boum per viscera toto
Stridere apes utero, & ruptis effervere costis,
Immensasque trahi *e* nubes, jamque arbore summa
Confluere, & lentis *f* uvam demittere ramis.
g Hæc super arvorum cultu, *h* pecorumque canebam,

p Candida, pulchra.
q Oeagrus, fl. Thraciæ, a quo Hebrus nascitur: parer, ut volunt, Orphei.
r Undam vorticosam.
s At Cyrene non in altum se dedit, relicto filio; sed miti affamine illum solata est.
t Quæ cum illa, dum viveret, ludere & choreas ducere solebant.
u Nemorosarum vallium seu clivorum Nymphas *a* νάπας.
x Nomen rituale, qui electa cervice eximantur e grege aut armento ad sacrificium. Macrob. Sat. 3. l. 5. c.
y Montis Arcadiæ. Synecd.
z Indomita. injuges juvencas.
a Videntur referri ad nationem loci, supra. *quatuor addunt, Quatuor a ventis obliqua luce fenestras.* *b* Quæ Orpheo injuriæ oblivionem inducant. *a* λήθη. *c* Furvæ hostiæ inferis mactantur. *d* A matre imperatas. *e* Examina, nubium instar volitantia. *f* In racemi aut uvæ formam conglobatas de ramo pendere. βοτρυδόν. Hom. 2. Iliad. g Epilogus operis Georgici. *h* Sub hoc nomine & apes includit, ut tertium & quartum libb. comprehendat.

Et

Et ſuper arboribus: Cæſar dum magnus ad altum
i Fulminat *k* Euphratem bello, victorque volentes
Per populos dat jura, viamque *l* affectat Olympo:
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
m Parthenope, ſtudiis florentem *n* ignobilis otî:
Carmina qui luſi paſtorum; audaxque *o* juventa,
p Tityre, te patulæ, cecini, ſub tegmine fagi.

i Fulminis inſtar, aut fulminantis Jovis bellum gerit. *k* Fl. Meſopotamiæ. Innuit autem Parthos. Namque hi rerum a Cæſare geſtarum fama perterriti, ultro redditis per legatos, quæ Craſſo ademerant, inſignibus Romanis, pacem petebant & impetrabant. *l* Sibi ad immortalitatem & cœlum ſternit viam. *m* Campaniæ civitas a Sirenum una ibi ſepulta nomen ſortita, quæ a Cumanis everſa, & ab iiſdem poſtea oraculo monitis reſtaurata, Neapolis dicta eſt. *n* Modeſte de ſe, vel non ita clara ſtudia, ſi cum Auguſti bellicis ſtudiis conferantur. *o* Bucolica ſcripſit natus annos 28. *p* Synecdoche, pro ecloga illa, vel Bucolicis. ut ecl. 5. *Hæc nos Formoſum Corydon ardebat Alexin*, &c.

GEORGICORUM FINIS.

P. VIRG. MARONIS

ÆNEIDOS

LIBER I.

ARGUMENTUM.

TRoja capta, Æneas Anchisæ & Veneris filius, vir singulari pietate, parique fortitudine præditus, dum erroris sui anno septimo per mare Tyrrhenum a Sicilia in Italiam navigat, immissa ab Æolo, rege ventorum (rogatu Junonis) gravissima tempestate ad Libycum littus appellitur: egressusque in terram, septem ingenti magnitudine cervos sagittis prosternit, singulosque in singulas naves (tot enim ex dispersa classe collegerat) æqualiter distribuit: socioque deinde longis jam erroribus fatigatos, spe futuræ quietis ad tolerandum quod reliquum erat laboris, hortatur. Interea Venus Æneæ sui Trojanorumque caussam apud Jovem agit, omniumque calamitatum illarum caussam Junoni imputat. Jupiter contra, referata fatorum serie, spe felicis posteritatis, potentiæque Romanorum, filiæ dolorem consolatur. Cujus oratione confirmata Venus, Æneæ suo, locorum ignaro, & explorandæ regionis causa huc illuc oberranti, sese obviam præbet: navesque dispersas salvas esse nunciat: ostenditque non procul illinc abesse Carthaginem, quam tunc in iis locis condebat Dido. Æneas itaque matris beneficio cava nube cinctus, una cum Achate Carthaginem ingreditur: ubi & socios salvos reperit, & a Didone benigne excipitur. Venus tamen, quod neque Junonio hospitio, neque muliebri inconstantiæ satis fideret, sopito in Idaliæ lucis Ascanio, pro eo Cupidinem substituit, qui inter amplexus & oscula latenter reginæ amorem inspirat Æneæ.

* Quatuor hos versus abdicant plerique Virgilio, Tuccæ adscriptos:

* ILle ego, qui quondam gracili modulatus avena
Carmen; & egressus sylvis, vicina coëgi,
Ut quamvis avido parerent arva colono;
Gratum opus agricolis: at nunc horrentia Martis 4

alii contra injecta manu repetunt, tanquam ejusdem Tuccæ & Varii consilio rejectos, ut a sublimiori auspicio prodiret hoc opus, cujus *Arma virumque* exprimeret Homeri Μῆνιν ἄειδε θεὰ, & Ἄνδρα μοι ἔννεπε μοῦσα; voluntque hanc ἀνακεφαλαίωσιν appositam quasi sigillum, uti & illam sub fine quarti Georgici, contra plagiariorum furta & falsariorum adulteria, constareque triplicis styli artificio, ut a tenui carminis Bucolici avena, a mediocri Georgici calamo ad sonorum Martiæ tubæ clangorem assurgeret. Ego certe ad hos propendeo, ductus momento authoritatis gravium virorum, qui quoties Æneidos meminerunt, toties *Arma virumque* citant. Ovid. 2. Trist. *Contulit in Tyrios arma virumque toros.* Persii Sat. 1. *Arma virum, nonne hoc spumosum & cortice pingui?* Martialis Epigr. 56. lib. 8. *Protinus Italiam concepit & arma virumque.* & Epigr. 185. l. 14. *Ne nugis positis arma virumque canas.* Ausonii Epigr. 129. *Arma virumque docens, atque arma virumque perilus.* Ovidius disertim ex primo cujusque operis Virgiliani versu tria confert auspicia in unum hunc, *Tityrus & segetes Æneiaque arma legentur*, 2. lib. Amor. 15. Eleg.

[a] ARma virumque cano, Trojæ qui [b] primus ab oris
Italiam, [c] fato profugus, [d] Lavinaque venit
Littora; multum ille & terris jactatus, & alto,
Vi superum, sævæ memorem Junonis ob iram.
Multa quoque & bello passus, dum conderet [e] urbem,
Inferretque [f] deos Latio: genus [g] unde Latinum,
Albanique patres, atque altæ mœnia Romæ.
[h] Musa mihi causas memora; quo numine læso,
Quidve dolens regina deûm, tot volvere casus
Insignem pietate virum, tot adire labores,
Impulerit. *tantæne animis cœlestibus iræ?*
Urbs [i] antiqua fuit (Tyrii tenuere coloni)
Carthago, [k] Italiam contra: Tiberinaque longe
Ostia, dives opum, [l] studiisque asperrima belli,
Quam Juno fertur terris magis omnibus unam,
[m] Posthabita coluisse Samo: hic illius arma,
Hic currus fuit: hoc regnum dea gentibus esse,
[n] Si qua fata sinant, jam tum tenditque, fovetque.
Progeniem sed enim Trojano à sanguine duci
Audierat, [o] Tyrias olim quæ verteret arces.
Hinc populum * late regem, belloque superbum
Venturum excidio Libyæ. *p sic voluere Parcas.*
Id metuens, veteris que memor Saturnia belli,
Prima quod ad Trojam pro charis gesserat Argis;
Necdum etiam caussæ irarum, sævique dolores
Exciderant animo: manet alta mente repostum
[q] Iudicium Paridis, spretæque injuria formæ,
Et [r] genus invisum, & rapti Ganymedis honores.
His accensa super, jactatos æquore toto
Troas, relliquias Danaûm, atque immitis Achilli,
Arcebat longe Latio, multosque per annos
Errabant acti fatis maria omnia circum.

[a] Errores Æneæ & virtutes 6. prioribus libris, bella in Italia 6. posterioribus. κατ' ὕστερον πρότερον.

[b] Antenor quidem prior, & ipse a Troja advenit, sed in fines tunc Italiæ, non ipsum Latium Laviniumque. *Antenor potuit, mediis*, &c. contra.

[c] Fatis actus, non fuga aut crimine.

[d] Πρόληψις. Neque enim ante adventum Æneæ dictum erat. —— e ——

Lavinium. l. 12. *urbique dabit Lavinia nomen.*

[f] Patrios, ex Troja l. 6. vide infra, *Victosque pe-*

nates. [g] A quo Ænea, sub pacis iniquæ (contra jus victoriæ; quæ victis nomen imponit) fœdere, & precibus Junonis l. 12. indultum est, ut continuaretur imperium sub nomine Latino, l. 5. *Priscos docuit celebrare Latinos; Albani docuere suos, nunc maxima porro Accepit Roma.* [h] Calliope, heroici carminis præses. *Invocatio.* [i] Condita a Tyriis, sub Didone profugis, An. Mundi 3058. post Æneam annis 286. Obtinuit tamen Virgilii figmentum, prægravatque historiæ fidem. [k] In Africa e regione Italiæ. [l] Studiosa & cupida bellorum. [m] Etiam patriæ Samo Carthaginem prætulisse. [n] Si qua ratione fata sinant. [o] Quæ Carthaginem aliquando eversura esset. * Longe lateque imperantem victoremque. [p] Ita esse in fatis. [q] Quo prælata fuit Junoni & Palladi Venus in certamine formæ. sunt qui referant *injuriam* ad fab. Antigones filiæ Laomedontis, quæ cum Junone contendebat de pulchritudine. Ovid. 6. Met. [r] Trojanos invisos propter autorem Dardanum Jovis ex Electra filium, referri malo ad Heben filiam Junonis remotam a ministerio pocillandi, admisso Ganymede.

f Tantæ molis erat Romanam condere gentem.
t Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, & *u* spumas salis ære ruebant:
Cum Juno æternum servans sub pectore *x* vulnus,
Hæc secum: *y* Mene incepto desistere victam?
Nec posse Italia Teucrorum avertere regem?
z Quippe vetor fatis. Pallasne exurere classem
Argivûm, atque ipsos potuit submergere ponto,
a Unius ob *b* noxam, & *c* furias Ajacis Oilei?
d Ipsa Jovis rapidum jaculata è nubibus ignem,
1 Disjecitque rates, evertitque æquora ventis:
Illum exspirantem 2 transfixo pectore flammas
Turbine 3 corripuit scopuloque 4 infixit acuto.
Ast ego, quæ divûm *e* incedo regina, Jovisque
Et soror, & conjux, una cum gente tot annos
Bella gero; & quisquam numen Junonis adoret
f Præterea? aut supplex aris imponat honorem?
Talia flammato secum dea corde volutans,
g Nimborum in patriam, loca fœta furentibus Austris,
Æoliam venit. hic, vasto rex Æolus antro
Luctantes ventos, tempestatesque sonoras
Imperio premit, ac vinclis, & carcere frenat.
Illi indignantes magno cum murmure, *h* montis
Circum claustra fremunt: celsa sedet *i* Æolus arce,
Sceptra tenens, mollitque *k* animos, & temperat iras.
Ni faciat; maria, ac terras, cœlumque profundum
Quippe ferant rapidi secum, vertantque per auras.
Sed pater omnipotens speluncis abdidit atris,
Hoc metuens; *l* molemque & montes insuper altos
Imposuit: *m* regemque dedit, qui fœdere certo
Et premere, & laxas sciret dare jussus habenas.
Ad quem tum Juno supplex his vocibus usa est:
Æole (namque tibi divûm pater, atque hominum rex
Et mulcere dedit fluctus, & tollere *n* ventos)
Gens inimica mihi Tyrrhenum navigat æquor,

f Epiphonema.
t Mirari hic subit Poetæ artificium, qui professus se Æneam a Trojæ oris; a Sicilia septimo erroris anno nunc primum producit. ut de Homero Flaccus. *In medias res, Non secus ac notas auditorem rapit.*
u Spumans mare rostris navium ære armatis secabat.
x Odii, vindictæ.
y Abruptum indignantis exordium.
z Ironice.
a Ἑνὸς δὲ λώβης ἀντὶ, μυρίων. &c. Lycophron de eodem Ajace.
b Cassandram sc. ab Ajace Oilei f. in æde Palladis stupratam.
c Furiosos amores. Insolentem potius insaniam, quia e naufragio in scopulos Geras enatans gloriatus se vel invita Pallade evasisse, pœnas dedit scopulo abrupto affixus fulmine. φὴ δὲ καὶ εἰ μάλα πάντες ὀλύμπιοι, &c. Calaber. 14. l. *d* Habet & Pallas. i. e. summa regio aeris, suum fulmen sed Jovi acceptum, Servius hic 4. genera adducit. 1 Disjiciens. 2 Transfigens. 3 Corripiens. 4 Infigens. Senec. 2. Nat. quæst. c. 14. Jovi tribuit tres manubias. *e* Ad Majestatem & incessus gravitatem refert. inde ἡραῖον βαδίζει. *f* Postea, vel propterea. *g* Æolias insulas, Liparen, Hieran, Strongylen quæ regia Æoli, Didymen, &c. *h* Circum claustra montis. *i* Æolus qui Vulcanis inss. imperitavit, cur ventorum rex fingatur, vide Diod. l. 5. & Strab. l. 1. & Cæl. Rhodig. l. 20. c. 18. *k* Proprie Ἀνέμους. 2. Georg. *animosi Euri.* *l* Molem montium. Hendiadys. *m* Æolum. *n* Al. *venio.*

o Ilium in Italiam portans, p victosque q penates.
Incute vim ventis, submersasque obrue puppes:
Aut age diversas, & disjice r corpora ponto.
Sunt mihi bis septem præstanti corpore nymphæ;
Quarum, quæ forma pulcherrima, Deiopeiam
Connubio s jungam stabili, t propriamque dicabo:
Omnes ut tecum meritis pro talibus annos
Exigat, & pulchra faciat te prole u parentem.
Æolus hæc contra: Tuus, ô regina, quid optes,
Explorare labor; mihi jussa capessere fas est.
Tu mihi quodcunque x hoc regni, tu sceptra, Jovemque
Concilias, tu das epulis accumbere divûm,
y Nimborumque facis, tempestatumque potentem.
Hæc ubi dicta, cavum conversa cuspide montem
Impulit z in latus: ac venti velut agmine facto,
Qua data porta, a ruunt, & terras turbine perflant.
Incubuere mari, totumque à sedibus imis
Una Eurusque Notusque ruunt, creberque procellis
b Africus; & vastos volvunt ad littora fluctus.
Insequitur clamorque virûm, stridorque rudentum.
Eripiunt subito nubes cœlumque diemque
Teucrorum ex oculis: ponto nox incubat atra.
Intonuere poli; & crebris micat ignibus æther;
Præsentemque viris intentant omnia mortem.
Extemplo Æneæ c solvuntur frigore membra.
d Ingemit & duplices tendens ad sidera palmas,
Talia voce refert: e O terque, quaterque beati,
Queis ante ora patrum, Trojæ sub mœnibus altis
Contigit oppetere. O Danaûm fortissime gentis
Tydide, mene Iliacis occumbere campis
Non potuisse? f tuaque animam hanc effundere dextra?
Sævus ubi Æacidæ telo jacet Hector, ubi g ingens
Sarpedon, ubi tot Simois correpta sub undis
Scuta virûm, galeasque, & fortia corpora volvit.

o Reliquias rerum Ilienſium.
p Adeoque nec sibi tuendis aut vindicandis sufficientes.
q Alii Apollinem & Neptunum penates esse putant Trojæ conditores: Alii Jovem, Junonem, Minervam, aeris præsides, per quos penitus spiramus, &c. qui penitus nos regunt ratione, calore, ac spiritu. Macrob. 3. 1. Saturn. t. c. Arnob. l. 3. adverſ. gentes.
r Hominum, vel navium.
s Nuptiarum sc. præses. cui vincla jugalia curæ.
t Peculiarem & perpetuam, propria hæc si dona fuissent. 6. Æneid.
u Nubem sc fœtam aeris, & ventis gignendis materiam aptam.
x Ventis quippe Æoliis præstatur materies ab aere moto.
y Unde oblique ruunt venti πλαγιοι
z Repetita multoties litera canina fremitum ventorum signat.
a Zephyros, mox enim Eurum ad se Zephyrumque vocat. & Hom. ε. Odyss. Εὖρός τε, Νότος τ' ἔπιτε, Ζέφυρός τε δυσείης.
b Calore quo continentur membra deficiente rigent extrema, solvuntur, tremunt.
c Non timuit letum, genus at miserabile letbi Heros. Cum enim animam credidisset antiquitas esse igneam naturæ eius maxime contrarium ducebat, in aquis extingui. Synes. 4. epist. eo magis, quod nullum daretur specimen fortiter moriendi. Arist. Eth. 3. l. 6. c.
d Non ex superstitiosa numeri observatione, ut vult Macrob. 1. l. in Som. Scip. c. 6. sed Homerum imitatus Τρὶς μάκαρες Δαναοὶ καὶ τετράκις: Odyss. ε.
e A Diomede icta saxi fusus prope interierat, nisi a matre subtractus fuisset. Il. 8. & 5. Neptuno hoc intimante.
f Jovis fil. procerus, fortis. Il. 6.

Talia jactanti ſtridens Aquilone procella
Velum *n* adverſa ferit, fluctuſque ad ſidera tollit.
Franguntur remi; tum *o* prora avertit, & undis
Dat latus: inſequitur cumulo præruptus aquæ mons.
Hi ſummo in fluctu pendent; his unda dehiſcens
Terram inter fluctus aperit; furit æſtus arenis.
Tres Notus abreptas in ſaxa *p* latentia torquet;
q Saxa vocant Itali mediis quæ in fluctibus *r* Aras,
Dorſum immane mari ſummo. tres Eurus ab alto
In brevia, & *ſ* Syrtes urget (miſerabile viſu)
Illiditque vadis, atque aggere cingit arena.
Unam, quæ Lycios, fidumque vehebat Orontem,
Ipſius ante oculos ingens *t* à vertice pontus
In puppim ferit; excutitur, pronuſque *u* magiſter
Volvitur in caput. aſt illam ter fluctus ibidem
Torquet agens circum, & rapidus vorat æquore vortex.
Apparent rari nantes in gurgite vaſto:
x Arma virûm, tabulæque, & Troïa gaza per undas.
Jam validam Ilionei navem, jam fortis Achatæ,
Et qua vectus Abas, & quâ grandævus Alethes.
Vicit *y* hyems: laxis laterum compagibus omnes
Accipiunt inimicum *z* imbrem, rimiſque fatiſcunt.
Interea magno miſceri murmure pontum,
Emiſſamque hyemem ſenſit Neptunus, & imis
Stagna refuſa vadis, graviter commotus, & alto
Proſpiciens, ſumma placidum caput extulit unda.
Disjectam Æneæ toto videt æquore claſſem,
Fluctibus oppreſſos Troas, *a* cœlique ruina.
Nec latuere doli *b* fratrem Junonis, & iræ.
Eurum ad ſe Zephyrumque vocat; dehinc talia fatur,
Tantane vos generis tenuit fiducia veſtri?
Jam cœlum terramque meo ſine numine, venti,
Miſcere, & tantas audetis tollere moles?
c Quos ego. ſed motos præſtat componere fluctus:
Poſt mihi *d* non ſimili pœna commiſſa lueris.
e Maturate fugam, regique hæc dicite veſtro:

n Italiam enim petentibus contrarius eſt Aquilo.
o Avertit ſe prora adverſo cedens Aquiloni, datque latus undis.
p Cæca & ὕφαλα, *vel*, in hac tempeſtate non apparentia.
q Cæca hæc tempeſtas induxerat confuſum Hyperbaton, ſic explicandum. Quæ ſaxa in mediis fluctibus Itali vocant *Aras*, quæ in modum dorſi exſtant in ſummo mari.
r Scopulos quoſdam inter Africam & Sardiniam, ad quos primo bello Punico fœdus ictum eſt inter Romanos & Carthaginenſes. Joſ. Scal. omnes crepidines & dorſa maris *Aras* dici ait. *ſ* Duæ ſunt Syrtes in ſinu Africo, trahentes ad ſe cum æſtu arenas & naves a σύρω, traho. *t* Deſuper. Odyſſ. ε. Ὡς ἄρα μιν ἔποντ' ἔλασεν μέγα κῦμα κατ' ἄκρης. *u* Leucaſpis. l. 6. *x* Remi, haſtæ, ſcuta, tabulæ, veſtes, rapetes; &c. *y* Tempeſtas, χειμών. *z* Neptuni imbrem. i. e. aquam marinam. *a* Imbre, fulgure, tonitru. *b* Neptunum. *c* Ἀποσιώπησις. Quos ego ulciſcerer, ſi quidem vacaret: ſed motos, &c. *d* Non tam levi, non hac verborum. *e* Falluntur qui Servium audiunt & Macrobium exponentes, *ſi date & deliberate. Maturate*, inquit Agellius l. 10. c. 11. nunc ſignificat *propere* & *cito*, &c. Neque enim ex mente aut majeſtate Neptuni fuerat, ventorum diſceſſum precariis & diſertis verbis mitigare, ſed pro imperio & re præſenti jubere. Rationes & autoritates verbi hujus, vide apud Fr. Floridum ſ. l. ſucciſiv. c. 11.

Non

Non illi imperium pelagi, sævumque tridentem,
Sed mihi *f* sorte datum: tenet ille immania saxa,
Vestras, Eure, domos: illa se jactet in aula
Æolus, & clauso ventorum carcere regnet.
Sic ait, & dicto citius tumida æquora placat,
Collectasque fugat nubes, solemque reducit.
g Cymothoe simul, & Triton adnixus, acuto
Detrudunt naves scopulo: levat ipse tridenti,
Et vastas aperit Syrtes, & temperat æquor,
Atque rotis summas levibus perlabitur undas.
Ac veluti magno in populo cum sæpe coorta est
Seditio, sævitque animis ignobile vulgus,
Jamque faces & saxa volant, furor arma ministrat:
Tum pietate gravem, ac meritis si forte *h* virum quem
Conspexere, silent arrectisque auribus astant:
Ille regit dictis animos, & pectora mulcet:
Sic cunctus pelagi cecidit fragor, æquora postquam
Prospiciens genitor cœloque invectus *i* aperto
Flectit *k* equos, *l* curruque volans dat lora secundo.
Defessi Æneadæ, quæ proxima littora, cursu
Contendunt petere, & Libyæ vertuntur ad oras.
m Est in secessu longo locus: insula *n* portum
Efficit objectu laterum; quibus omnis ab alto
Frangitur, inque sinus scindit sese unda reductos.
Hinc atque hinc vastæ rupes, geminique minantur
In cœlum scopuli: quorum sub vertice latè
Æquora tuta silent. *o* tum sylvis scena coruscis
Desuper, horrentique atrum nemus imminet umbra.
Fronte sub adversa scopulis pendentibus antrum:
Intus aquæ dulces, *p* vivoque sedilia saxo,
Nympharum domus. hic fessas *q* non vincula naves
Ulla tenent, unco non alligat anchora morsu.
Huc septem Æneas collectis navibus *r* omni
Ex numero subit: ac magno telluris amore
Egressi optata potiuntur Troës arena,
Et *s* sale tabentes artus in littore ponunt.
Ac primum silicis scintillam excudit Achates,
Suscepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.
Tum *t* Cererem corruptam undis, Cerealiaque arma

f Communi, qua cuique Deorum munus suum contigit, vel illa qua divisum est mundi imperium inter tres fratres, Jovem, Neptunum, Plutonem. *g* Proprie. fluxa enim celeri undarum κυμάτων & æstu fluctus Τριτώνων, expediuntur quæ hæserant naves. *h* Ad gravitatem viri exprimendam gravatur versus monosyllaba. *i* Sereno. *k* Marinos. ἱππόκαμπους. vide Scal. exer. 226. 7. *l* Volans curru, dat lora illi secundo. Al. leg. *currui*. *m* Descriptio hæc portus; adumbrata est ad illum Homeri 13. Od. cui geminam vide, apud Livium l. 26. Novæ Carthaginis in Hispania. *n* In ostio recedentis sinus objecta mari portum facit. *o* Sylvæ desuper obumbrant sinum, ad modum scenæ quæ inumbrat theatrum. σκιὰ. *p* Naturali. *q* Usque adeo tranquillus erat portus. *r* Ex viginti. *s* Salsa aqua. *t* Fruges aqua marina corruptas, & instrumenta necessaria frugibus prius torrendis siccandisque, dein terendis. Neque enim admitto, quod hic inculcant. ὕστερον πρότερον.

Expediunt fessi rerum: frugesque receptas
Et torrere parant flammis, & frangere saxo.
Æneas scopulum interea conscendit; & omnem
Prospectum late pelago petit, Anthea si qua
Jactatum vento videat, Phrygiasque biremes,
Aut Capyn, aut celsis in puppibus [a] arma Caici.
Navem in conspectu nullam, tres littore cervos
Prospicit errantes: hos tota armenta sequuntur
A tergo, & longum per valles pascitur agmen.
Constitit hic, arcumque manu celeresque sagittas
corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.
Ductoresque ipsos primum capita alta ferentes
Cornibus [x] arboreis sternit; tum vulgus, & omnem
Miscet agens telis nemora inter frondea turbam:
Nec prius absistit, quam septem ingentia victor
Corpora fundat humi, & numerum cum navibus æquet.
Hinc portum petit & socios partitur in omnes.
Vina, bonus quæ deinde cadis onerarat [y] Acestes,
Littore Trinacrio, dederatque abeuntibus heros,
Dividit; & dictis mœrentia pectora mulcet:
O socii, (neque enim ignari sumus [z] ante malorum)
O passi graviora: dabit deus his quoque finem.
Vos, & Scyllæam rabiem, penitusque [a] sonantes
[b] Accestis scopulos; vos & Cyclopea saxa
Experti; revocate animos, mœstumque timorem
Mittite. *forsan & hæc olim meminisse juvabit.*
Per varios casus, per tot discrimina rerum
Tendimus in Latium, sedes ubi fata quietas
Ostendunt: illic fas regna resurgere Trojæ
Durate, & vosmet rebus servate secundis.
Talia voce refert, curisque ingentibus æger
Spem vultu simulat, premit altum corde dolorem.
Illi se prædæ accingunt dapibusque futuris,
Tergora diripiunt costis, & [c] viscera nudant.
Pars in frusta secant, verubusque [d] trementia figunt,
Littore [e] ahena locant alii, flammasque ministrant.
Tum victu revocant vires; fusique per herbam,
Implentur veteris Bacchi, pinguisque ferinæ.
[f] Postquam exemta fames epulis, mensæque remotæ,
Amissos longo socios sermone requirunt:
Spemque metumque inter dubii, seu vivere credant,

[a] Insignia Caici, vel navis παράσημον in puppi. ut l. 10. *auratæ fulgebat Apolline puppis.*
[x] Ramosis. 7. Ecloga. *Et ramosa Mycon vivacis cornua cervi.*
[y] Rex Siciliæ. de quo plura Æneid. 5.
[z] Conjunctim legi volunt *antemalorum.* Sed quorsum tanta subtilitas? cum Homerus Odyss. 12. unde hic locus sumitur, habeat, Ω φίλοι οὐ γάρ πω τι κακῶν ἀδαήμονες εἰμέν, &c.
[a] *Scyllam & cærulis canibus resonantia saxa.* l. 3. Æn.
[b] Appropinquastis, non adhæsistis. 5. Æneid.
[c] Carnes ad epulas. Viscera enim significant visceribus, & carnes & exta.
[d] Etiamnum palpitantia.
[e] Non ad lavandas solum, ut volunt interpretes, sed & ad elixandas carnes, quæ etiam veteribus in usu. probat Jos. Castilio. 5. c. Var. lect.
[f] Αὐτὰρ ἐπεὶ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ὄρον ἕντο Homer. non semel.

Sive

Sive extrema pati, nec jam exaudire *g* voçatos.
Præcipue pius Æneas, nunc acris Oronti,
Nunc Amyci casum gemit, & crudelia secum
Fata Lyci, fortemque Gyan, fortemque Cloanthum.
Et jam finis erat, *h* cum Jupiter æthere summo
Despiciens mare velivolum: terrasque jacentes,
Littoraque, & latos populos, sic *i* vertice cœli
Constitit, & Libyæ defixit lumina regnis.
Atque illum tales jactantem pectore curas,
Tristior, & lacrymis oculos suffusa nitentes,
Alloquitur Venus. O qui *k* res hominumque deûmque
Æternis regis imperiis, & fulmine terres,
Quid meus Æneas in te committere tantum,
Quid Troës potuere? quibus tot funera passis
Cunctus *l* ob Italiam terrarum clauditur orbis?
Certe hinc Romanos olim, *m* volventibus annis,
Hinc fore ductores, revocato a sanguine Teucri,
Qui mare, quî terras omni ditione tenerent,
Pollicitus: quæ te genitor sententia vertit?
Hoc equidem occasum Trojæ, tristesque ruinas
Solabar, fatis contraria fata rependens.
Nunc eadem fortuna viros tot casibus actos
Insequitur. quem das finem, rex magne, laborum?
n Antenor potuit mediis elapsus Achivis
Illyricos penetrare sinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem superare Timavi:
Unde per *o* ora novem *p* vasto cum murmure montis
It mare præruptum, & pelago premit arva sonanti.
Hic tamen ille urbem Patavi, sedesque locavit
Teucrorum, & genti *q* nomen dedit, *r* armaque fixit

g Ex more, ut quos amiserant peregre, desiderabantque, inclamarent ter, ut habet Hom. Odyss. 9. Πρίν τινα τῶν θαλῶν ἑταίρων τρὶς ἕκαστον αὐτᾳ. Relictum clamassent, ut litus Hyla, Hyla omne sonaret. *h* Scite miscentur consilia Deorum. *Non enim*, inquit Petronius, *res gestæ versibus comprehendendæ sunt, &c. Sed per ambages, Deorumque ministeria, & fabulosum furentium tormentum præcipitandus est liber impetus, &c.*

i Hom. ἀπὸ κρατὸς, κορυφῆς, ῥίπι Ὀλύμποιο· *k* Res Deum regis nutu ac imperio; hominum fulmine, eoque præsagiente, terrente, puniente. *l* Ne Italiam appellant. *m* Revolutis. περιπλομένων. infra *volvendis mensibus orbes.* Lucret. 5. l. *per cælum Solis volventia lustra.* *n* Proditor Trojæ cum Ænea, *ut quidam. Alii*: pacis & reddendæ Helenæ autores. *o* Non ostia per quæ fluit Timavus in mare; (quæ crux autores & interpretes male habet) sed fontes qui inter Aquileam & Tergeste sex erumpunt ex antris saxei collis, septimum his adjiciunt in palude ortum. sic constat numerus a Strabone ex Polybio citatus. ut vero conficiatur numerus novenus nostri autoris & Melæ, adscisendi duo, ex lacu Rubri Saxi unus: e fl. S. Antonii alter. *p* Timavus per cuniculos quosdam ab adfluxu maris patitur incrementum; ita ut lenis dulcisque in refluxu; ubi tamen mare æstu suo intumuit, ingenti fragore ac mugitu saxei montis, per complura illa spaciosa ora prorumpit & arva inundat. adi Cluverium l. 1. Italiæ antiquæ c. 20. *q* Primum Antenoridas vocavit: Postea, ab augurio *Paranum.* *r* Ut victor & compos voti, qui rerum fortiter ac feliciter gestarum monumenta erigunt, arma figunt. & paginam 3. Æn. *Ære cavo clypeum magni gestamen Abantis Postibus adversis figo, & rem carmine signo.*

Troïa: nunc placida compoſtus pace quieſcit.
Nos tua progenies, cœli quibus annuis arcem,
Navibus (infandum) amiſſis unius ob iram
Prodimur, atque Italis longè disjungimur oris.
Hic pietatis honos? ſic nos in ſceptra reponis?
Olli ſubridens hominum ſator atque deorum,
Vultu, quo cœlum, tempeſtateſque ſerenat,
Oſcula *f* libavit natæ: dehinc talia fatur:
Parce metu, Cytherea; manent immota tuorum
Fata tibi; cernes urbem, & promiſſa *t* Lavini
Mœnia, ſublimemque feres ad ſidera cœli
Magnanimum Æneam: neque me ſententia vertit.
u Hic tibi (fabor enim: quando hæc te cura remordet,
Longius, & volvens fatorum arcana movebo)
Bellum ingens geret Italia, populoſque feroces
Contundet, moreſque viris, & mœnia ponet:
Tertia dum Latio regnantem viderit æſtas,
Ternaque tranſierint Rutulis hyberna ſubactis.
At puer Aſcanius, cui nunc cognomen Jülo
Additur, (Ilus erat dum res ſtetit Ilia regno)
Triginta *x* magnos volvendis menſibus orbes
Imperio explebit, regnumque à ſede Lavini
Transferet, & longam multa vi muniet *y* Albam.
Hic jam tercentum totos regnabitur annos
Gente ſub *z* Hectorea: donec *a* regina ſacerdos
Marte gravis *b* geminam partu dabit Ilia prolem.
Inde *c* lupæ fulvo nutricis *d* tegmine lætus
Romulus excipiet gentem, & Mavortia condet
Mœnia, Romanoſque ſuo de nomine dicet.
His ego nec metas rerum, nec tempora pono:
Imperium ſine fine dedi. quin aſpera Juno
Quæ mare nunc, terraſque *e* metu, cœlumque fatigat,
f Conſilia in melius referet, mecumque fovebit
Romanos rerum dominos, *g* gentemque togatam.
Sic placitum: veniet *h* luſtris labentibus ætas,
i Cum domus Aſſaraci Phthiam, claraſque Mycenas

f Leviter tetigit. Oſcula volunt eſſe religioſi officii, ſuavia & baſia voluptatis.
t Primum in Latio a Trojanis conditum Lavinium, Var. l. 4. de L. L. *Urbique dabit Lavinia nomen.* 12. Æn.
u Longa hæc Rom. hiſtoriæ ſeries, vel nota eſt vel petenda ex Livio, Diodoro, Varrone, Plutar. Dionyſio.
x Solares quorum ſinguli conſtant 12. menſibus volvendis.
y Latii urbem a Lavinio diſtantem 12. milliaria, a Roma totidem.
z Trojana, ab Ænea Hectoris affine. *a* Ilia, Numitoris filia ex Marte gravida, ſacerdos Veſtalis. *b* Romulum & Remum. *c* Feræne; an Laurentiæ Fauſtuli uxoris, quæ Lupa, an quia expoſitorum infantium nutrices dictæ lupæ, ut Cedrenus ait. *d* In memoriam nutricis, vel, quia ipſe venator. *e* Romæ, quæ ventura olim eſt excidio ſuæ Carthagini. ſupra. *f* Conciliatam Romanis ſecundo bello Punico refert ex Ennio Servius. v. Horat. lib. 3. Od. 3. *g* Aliæ gentes erant tunicatæ, palliatæ, braccatæ, Romana togata, a Lydis. Tertul. de pallio. *h* Luſtrum alii quatuor annorum ſtatuunt; alii, quinque abſolutorum; alii, exacto quadriennio ineuntis quinti, ut ſit idem cum Olympiade. *i* A Paulo Æmilio victa Macedonia, a Mummio Achaja. 5. Æn.

Servitio premet, ac victis dominabitur Argis
Nascetur [k] pulcra Trojanus origine Cæsar,
[l] Imperium Oceano, famam qui terminet astris:
Julius, à magno demissum nomen Jülo.
Hunc tu olim cœlo [m] spoliis Orientis onustum
[n] Accipies secura: [o] vocabitur hic quoque votis.
Aspera tum positis mitescent sæcula bellis,
[p] Cana fides, & Vesta, Remo cum fratre Quirinus
Jura dabunt: diræ ferro, & compagibus arctis
Claudentur belli portæ. Furor impius intus
Sæva sedens super arma, & centum vinctus ahenis
[q] Post tergum nodis, fremet horridus ore cruento.
Hæc ait: & Majæ genitum demisit ab alto,
Ut terræ, utque novæ pateant Carthaginis arces
Hospitio Teucris: ne fati nescia Dido
Finibus arceret. volat ille per aëra magnum
Remigio alarum, ac Libyæ citus astitit oris:
Et jam jussa facit: ponuntque ferocia Pœni
Corda, volente deo; imprimis regina quietum
Accipit in Teucros animum, mentemque benignam.
At pius Æneas per noctem plurima volvens,
Ut primum lux alma data est, exire locosque
Explorare novos, quas vento accesserit oras;
Qui teneant (nam inculta videt) hominesne, feræne,
Quærere constituit; sociisque [r] exacta referre.
Classem in convexo nemorum, sub rupe cavata,
Arboribus clausam circum, atque horrentibus umbris
Occulit: ipse uno graditur comitatus Achate,
Bina manu lato crispans hastilia ferro.
Cui mater media sese tulit obvia sylva,
Virginis os habitumque gerens, & virginis arma
[s] Spartanæ: vel qualis equos Threïssa fatigat
[t] Harpalice, Volucremque fuga prævertitur [u] Hebrum.
Namque humeris de more [x] habilem suspenderat arcum
Venatrix, dederatque [y] comas diffundere ventis:
Nuda genu, [z] nodoque sinus collecta fluentes.

[k] Propter Venerem, a qua Cæsares originem ducebant.
[l] *Imperium suum ultra solis vias, & ipsius Oceani limites propagavit.* Minutius de Roma. si de Augusto intelligere libet, referas ad somnium Acciæ, quæ somniavit se concepisse ex Apolline, visceraque sua in cœlum tolli, & per omnem terram extendi.
[m] Ex bello Pharsalico & Pontico. devictis regibus qui auxilia tulerunt Pompejo.
[n] In Deos relatum.
[o] Eclog. 5. Damnabis tu quoque votis. Meruit quippe post mortem aram, fastigium, flaminem.
[p] Post Julium imperante Augusto, qui Fidei solenne instituit & Flaminem; qui religionem Vestalium restauravit. ipse Pontifex Max. qui leges Jülias & Sumptuarias tulit, Justitiam sanxit, Concordia & pace per orbem propagara templum Jani clausit.
[q] Belli imaginem, inquit Plin. l. 35. c. 10. restrictis a tergo manib. ab Apelle pictam Augustus in foro suo dicavit.
[r] Exquisita, explorata.
[s] Virgines Spartanæ, ex instituto Lycurgi, venationibus, cursu, lucta, palæstra exercebantur.
[t] Quæ Getas equites pernicissimo assequuta cursu, partem ab iis captam in libertatem asseruit.
[u] Fl. Thraciæ.
[x] Viribus suis aptum.
[y] *Incomptum Lacænæ More comam religata nodum.* Horat.
[z] Succincta, quo expeditior esset ad cursum.

Ac prior: Heus, inquit, juvenes, monstrate mearum
Vidistis si quam hic errantem forte sororum.
Succinctam pharetra, & [a] maculosæ tegmine lyncis,
Aut spumantis apri cursum clamore prementem.
Sic Venus: at Veneris contra sic filius orsus:
Nulla tuarum audita mihi, neque visa sororum.
O quam te memorem virgo? namque haud tibi vultus
Mortalis, nec vox hominem sonat: [b] ô dea certe.
An [c] Phœbi soror, an Nympharum sanguinis una?
Sis [d] felix, nostrumque leves quæcunque laborem:
Et quo sub cœlo tandem, quibus orbis in oris
Jactemur, doceas: ignari hominumque locorumque
Erramus, vento huc vastis & fluctibus acti:
[e] Multa tibi ante aras nostra cadet hostia dextra.
Tum Venus: haud equidem tali me dignor [f] honore.
Virginibus Tyriis mos est gestare pharetram,
Purpureoque alte suras vincire cothurno.
[g] Punica regna vides, Tyrios, & Agenoris urbem,
Sed fines Libyci, genus [h] intractabile bello.
Imperium Dido Tyria regit urbe profecta,
[i] Germanum fugiens: longa est injuria, longæ
Ambages; sed summa sequar fastigia rerum.
Huic conjux Sichæus erat, ditissimus agri
Phœnicum, & magno miseræ dilectus amore:
Cui [k] pater [l] intactam dederat, primisque jugarat
[m] Ominibus: sed regna Tyri germanus habebat
Pygmalion, [n] scelere ante alios immanior omnes,
Quos inter medius venit furor. ille Sichæum
Impius ante [o] aras, atque auri cæcus amore,
Clam ferro incautum superat, [p] securus amorum
Germanæ; factumque diu celavit: & ægram,
Multa malus simulans vana spe lusit amantem.
Ipsa sed in somnis inhumati venit imago
Conjugis, ora modis attollens pallida miris.
[q] Crudelis aras, trajectaque pectora ferro
Nudavit: [r] cæcumque domus scelus omne retexit.
Tum celerare fugam, patriaque excedere suadet,
Auxiliumque viæ, veteres tellure recludit
Thesauros, ignotum argenti pondus & auri.
His commota fugam Dido, sociosque parabat:
Conveniunt, quibus aut odium crudele tyranni,

[a] Variegatæ lyncis a se interfectæ spoliis indutam.
[b] Εἰ μὲν τις θεός ἐσσι, &c. Odyss. 6.
[c] Quod ab arcu, pharetra & habitu conjicere licet.
[d] Propitia.
[e] Numini tuo grati debitam solvemus hostiam.
[f] Sacrificii. neque enim Dea sum, sed virgo Tyria. cui mos est gest.
[g] Terræ hujus, quæ Libya est. partem hanc incolunt Pæni ex Tyro urbe Phœniciæ, cui olim imperavit Agenor, huc advecti ab Elisa, Didone.
[h] Studiis asperrima belli. supra.
[i] Pygmalionem. Adi l. 18. Justini.
[k] Belus.
[l] Virginem.
[m] Auspiciis, quæ cum omni negotio, tum nuptiis maxime adhibita. [n] Ipsos etiam furiosos scelere superat.
[o] Herculis, cujus erat sacerdos. [p] Nihil respiciens aut misertus sororem quæ misere amabat Sichæum. [q] Per se quidem pias: sed ante quas crudeliter interfectus est Sichæus. [r] Hactenus celatum & occultum.

Aut

Aut metus acer erat: naves, quæ forte paratæ,
Corripiunt, onerantque auro: portantur avari
Pigmalionis opes pelago, dux fœmina facti.
Devenere locos, ubi nunc ingentia cernes
Mœnia, surgentemque novæ Carthaginis arcem:
Mercatique solum, facti de nomine [f] Byrsam;
Taurino quantum possent circundare [t] tergo.
Sed vos qui tandem? quibus aut venistis ab oris?
Quove tenetis iter? Quærenti, talibus ille
Suspirans, imoque trahens à pectore vocem,
O dea, si prima repetens ab origine pergam,
Et vacet [u] annales nostrorum audire laborum:
Ante diem clauso componet vesper olympo.
Nos Troja antiqua (si vestras forte per aures
Trojæ nomen iit,) diversa per æquora vectos,
[x] Forte sua Libycis tempestas appulit oris.
[y] Sum pius Æneas, raptos qui ex hoste penates
Classe veho mecum, fama super æthera notus,
Italiam quæro [z] patriam, & genus ab Jove summo,
Bis denis Phrygium conscendi navibus æquor,
Matre dea monstrante viam, data fata sequutus:
Vix septem convulsæ undis, Euroque supersunt.
Ipse ignotus, egens, Libyæ deserta peragro,
Europa, atque Asia pulsus. Nec plura querentem
Passa Venus, medio sic interfata dolore est:
Quisquis es, haud (credo) invisus cœlestibus, auras
Vitales carpis, Tyriam qui adveneris urbem.
Perge modo, atque hinc te reginæ ad limina perfer.
Namque tibi [a] reduces socios, classemque relatam
Nuncio, & in tutum [b] versis aquilonibus actam:
Ni frustra augurium vani docuere parentes.
Aspice [c] bis senos lætantes agmine cygnos
Ætherea quos lapsa plaga [d] Jovis ales aperto
Turbabat cœlo: nunc terras ordine longo
Aut capere, aut captas jam despectare videntur.
Ut reduces illi ludunt stridentibus alis,
Et cœtu cinxere polum, cantusque dedere:
Haud aliter puppesque tuæ, pubesque tuorum
Aut portum tenet: aut pleno subit ostia velo.
Perge modo, & qua te ducit via, dirige gressum.
Dixit: & avertens rosea cervice refulsit:
[e] Ambrosiæque comæ divinum vertice odorem

[f] Βύρσα significat corium. Sed Jos. Scal. in Festum vult transpositione Græca dici pro בצר *arx, turris, locus munitus.*
[t] Tergore.
[u] Relationem. Annales proprie fuerunt tabulæ in quas singulorum annorum res gestæ referebantur, a Pontifice max. 3. l. 2. c. Sat. Macrob.
[x] Casu. *alii* vi.
[y] Εἰμ' Ὀδυσεὺς. & καί μευ κλέος οὐρανὸν ἥκει. 9. Odyss.
[z] E Corytho enim urbe Etruriæ ortus est Dardanus gentis nostræ author & ipse ex Jove natus.
[a] Incolumes.
[b] Ponentibus, vel conversis: namque supra, stridens Aquilone procella velum adversa percusserat.
[c] Auspicata omnia & apta; numerus, volatus, cantus avium.
[d] Aquila, Jovis pinnata satelles. cum relatione ad Aquilonem.
[e] Ἀμβρόσιαι δ' ἄρα χαῖται, Il. α.

Spira-

Spiravere: pedes *f* vestis defluxit ad imos:
Et vera *g* incessu patuit dea. Ille ubi matrem
Agnovit, tali fugientem est voce sequutus:
Quid natum toties crudelis *h* tu quoque falsis
Ludis imaginibus? cur *i* dextræ jungere dextram
Non datur, ac veras audire, & reddere voces?
Talibus incusat, gressumque ad mœnia tendit.
At Venus obscuro gradientes *k* aëre sepsit:
Et multo nebulæ circum dea fudit amictu:
Cerne ne quis eos; neu quis contingere posset,
Molirive moram, aut veniendi poscere causas.
Ipsa Paphum sublimis abit, sedesque revisit
Læta suas: ubi templum illi, centumque Sabæo
l Thure calent aræ, sertisque recentibus halant.
Corripuere viam interea, qua semita monstrat.
Jamque ascendebant collem, qui *m* plurimus urbi
Imminet, adversasque aspectat desuper arces.
Miratur molem Æneas, *n* magalia quondam:
Miratur portas, strepitumque, & *o* strata viarum,
Instant ardentes Tyrii, pars ducere muros,
Molirique arcem, & manibus subvolvere saxa:
Pars *p* optare locum tecto, & concludere sulco.
q Jura magistratusque legunt, sanctumque senatum.
Hic portus alii effodiunt: hic alta theatris
Fundamenta locant alii; immanesque columnas
Rupibus excidunt, scenis decora alta futuris.
☞ Qualis *r* apes æstate nova per florea rura
Exercet sub sole labor, cum gentis adultos
Educunt fœtus; aut cum liquentia mella
Stipant, & dulci distendunt nectare cellas;
Aut onera accipiunt venientum; aut agmine facto,
Ignavum fucos *s* pecus à præsepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.
O fortunati, quorum jam mœnia surgunt,
Æneas ait, & fastigia suspicit urbis.
Infert se septus nebula (mirabile dictu)
Per medios, miscetque viris; neque cernitur ulli.

f Succincta prius *nodoque sinus collecta fluentes*, ut supra.
g Deorum quippe incessus est continuus, & æqualis, non dimotis pedibus neque transpositis, ἀλλὰ κατὰ ῥυμὴν ἀέρριον, καὶ ὁρμὴν ἀπαραπόδιστον. Heliodor.
h Non secus atque Juno, cæteraque numina adversa.
i Conventu mutuoque frui colloquio.
k Nebula. Odyss. 7. & 13. Ulysses a Minerva tegitur nebula.
l Thure & floribus tantum sacra Veneri fiebant, non hostiarum sanguine.
m Altus 3 milliaria.
n Afrorum *raris habitata mapalia tectis*. Georg. 3. l.
o Vias lapide constratas.
p Locum tectis sulco, quasi urbi mœnia aratro designare. ab ὄπτω considero. Alii leg. *aptare*.
q Forum & locum juri dicundo, curiam Sanctissimo senatus ordini & magistratibus; Theatrum. Sic corpori, animæ, ornamentis Reip. consulitur.
r Labores hosce apum, de iis versus prope eosdem, & quæ nos ibi; vide 3. Georgic.
s Proprie quod πέκεται. ovis. Sed pecus, inquit Isidor. 12. l. dicimus quicquid humana lingua & effigie caret.

t Lucus in urbe fuit media, lætissimus umbra;
Quo primum jactati undis, & turbine Pœni
Effodére loco signum, quod regia luno
Monstrarat u caput acris equi: sic nam fore bello
Egregiam, & x facilem victu per secula gentem.
Hic templum Junoni ingens Sidonia Dido
Condebat, donis opulentum, & numine divæ.
Ærea cui gradibus surgebant lumina, nexæque
Ære trabes: foribus cardo stridebat ahenis.
Hoc primum in luco nova res oblata timorem
Leniit: hic primum Æneas sperare salutem
Ausus, & afflictis melius confidere rebus:
Namque sub ingenti lustrat dum singula templo,
Reginam opperiens; y dum quæ fortuna sit urbi,
Artificumque manus inter se, operumque labores
Miratur; videt Iliacas ex ordine pugnas,
Bellaque jam fama totum vulgata per orbem:
z Atriden, Priamumque, & sævum ambobus Achillem.
Constitit, & a lacrymans; Quis jam locus (inquit) Achate,
Quæ regio in terris nostri non plena laboris?
En b Priamus, sunt hic etiam sua præmia c laudi:
d Sunt lacrymæ rerum, & mentem mortalia tangunt.
Solve metus: feret hæc aliquam tibi fama salutem.
Sic ait, atque animum pictura pascit inani.
Multa gemens, largoque humectat flumine vultum.
Namque videbat, uti bellantes Pergama circum
Hac fugerent Graji, e premeret Trojana juventus:
Hac Phryges; instaret curru cristatus Achilles.
Nec procul hinc f Rhæsi niveis tentoria velis
Agnoscit lacrymans; primo quæ g prodita somno,
Tydides multa vastabat cæde cruentus:

t Adjicietur mox templum, nullum enim veteribus templum erat sine luco, ut majorem religionem loci horror incuteret.
u Idem refert Justinus l. 18. & ipsa Carthago olim *Caccabe* dicta, quod lingua Punica significat caput equinum. Cœl. Rhod. l. 18. c. 38.
x Victoriis; ad vincendum, significatione activa, ajunt. Sed coacta, & quæ exemplo caret. *Atii* facili & parabili contentam victu. ut Senec 90. epist. *Sapiens facilis victu fuit.*
y Dum miratur quæ in magnifico templo pingebantur, Didonis fugam, equi caput, corium sectum, varios urbis casus.
z Sanior hæc atque expeditior lectio, quam probat Senecæ autoritas 105. epist. alludens ad Catonem Cæsari & Pompejo infestum; quam quæ in vulgatis editionibus habetur, *Atridas Priamumque.* a Ἐκ χαρᾶς δακρυρρόων. b Priami famæ. c Virtuti, & patriæ fortiter atque cum laude propugnatæ. d Hic etiam rerum nostrarum tristium miseratio, ut quæ cuivis accidere possunt. e Insequeretur fugientes, impressionem enim facere, est urgere cedentes. f Regis Thracum, qui Trojanis auxilio venit, cum hac oraculi conditione, invictam fore urbem, si equi ipsius intra urbem pabulum gustassent, atque e Xantho fl. bibissent. Clausis autem portis cum extra urbem castra posuisset, a Diomede & Ulysse speculatum missis, idque a Dolone rescientibus, cæsus est cum suis, avectique equi in castra Græcorum. Il. 10. g A Dolone speculatore Trojano.

Arden-

Ardenteſque avertit equos in caſtra prius, quam
Pabula guſtaſſent Trojæ, Xanthumque bibiſſent.
Parte alia fugiens amiſſis *h* Troilus armis
Infelix puer, atque impar congreſſus Achilli,
Fertur equis; curruque hæret reſupinus inani,
Lora tenens tamen. huic cervixque comæque trahuntur
Per terram, & *i* verſa pulvis inſcribitur haſta.
Interea ad templum *k* non æquæ Palladis ibant
Crinibus Iliades *l* paſſis, *m* peplumque ferebant
Suppliciter triſtes, & tunſæ pectora palmis.
Diva ſolo fixos oculos averſa tenebat.
n Ter circum Iliacos raptaverat Hectora muros;
Exanimumque auro corpus *o* vendebat Achilles.
Tum vero ingentem gemitum dat pectore ab imo,
Ut ſpolia, ut currus, utque ipſum corpus amici,
Tendentemque manus Priamum conſpexit inermes.
p Se quoque principibus permixtum agnovit Achivis,
q Eoaſque acies, & *r* nigri Memnonis arma.
Ducit Amazonidum lunatis agmina *ſ* peltis
Pentheſilea furens, mediiſque in millibus ardet.
Aurea ſubnectens *t* exſertæ cingula mammæ
Bellatrix, audetque viris concurrere virgo.
Hæc dum Dardanio Æneæ miranda videntur,
Dum ſtupet, obtutuque hæret defixus in uno:
Regina ad templum forma pulcherrima Dido
Inceſſit, magna juvenum ſtipante caterva.
u Qualis in *x* Eurotæ ripis, aut per juga *y* Cinthi
Exercet Diana choros; quam mille ſequutæ
Hinc atque hinc glomerantur *z* Oreades: illa pharetram
Fert humero, gradienſque deas ſupereminet omnes;
a Latonæ tacitum pertentant gaudia pectus.
Talis erat Dido, talem ſe læta ferebat,
Per medios inſtans operi regniſque futuris.
Tum foribus divæ, *b* media teſtudine templi,
Septa armis, ſolioque alte ſubnixa reſedit.
Jura dabat, legeſque viris, operumque laborem
Partibus æquabat juſtis, aut ſorte trahebat.
Cum ſubito Æneas concurſu accedere magno.

h Priami filius.
i Sulcatur haſta inverſa & per terram tracta.
k Infenſæ Trojanis, quorum tamen erat numen tutelare.
l Sparſis, in luctu & ſupplicationibus. a pando.
m Pallam pictam a Thœne Antenoris uxore Palladi oblatam.
n Il. 23.
o Patri, Priamo ſupplici. Il. 24.
p Æneid. 2. *Vadimus immiſti Danais.*
q Ab India ſub Memnone Ἠοῦς. i. Auroræ filio profectas.
r Indi & *Mauro obſcurior Indus.* Juv.
ſ Cetris. ſcutis ſemiplenam lunam referentibus. Ἀσπίδα δίον ἀλίγκιον ἄντυγι μήνης. Hθ'. . ἤμισυ πεπλημθυῖα. Calaber. i. l.
t Siniſtræ nudatæ. namque dextra adurebatur μάζα, quo expeditiores eſſent arcubus haſtiſque in bello tractandis.
u Ουηδ' Ἀρτεμις, &c. Odyſſ. 6.
x Laconiæ fl.
y Deli inſ. montis.
z Nymphæ montium, ab ὄρος.
a Matris gratulatæ ſibi filiæ formam. *pulchra gaudet Latona Diana.* Juvenal. Sat. 10.
b *In ipſo ædis ſacræ meditullio*, inquit Apulejus 11. Met. *Ante deæ ſimulachrum, conſtitutum tribunal*, &c.

Anthea,

Anthea, Sergeſtumque videt, fortemque Cloanthum,
Teucrorumque alios; atèr quos æquore turbo
Diſpulerat, penituſque alias advexerat oras.
Obſtupuit ſimul ipſe, ſimul perculſus Achates:
Lætitiaque metuque avidi conjungere dextras,
Ardebant: ſed res animos incognita turbat.
Diſſimulant, & nube cava ſpeculantur amicti,
Quæ fortuna viris: claſſem quo littore linquant;
Quid veniant, cunctis nam lecti navibus ibant
Orantes [c] veniam, & templum clamore petebant.
Poſtquam introgreſſi, & coram data copia fandi,
Maximus Ilioneus placido ſic pectore cœpit:
O regina, novam cui condere Juppiter urbem,
[d] Juſtitiaque dedit gentes frænare ſuperbas;
Troës te miſeri ventis [e] maria omnia vecti,
Oramus; prohibe infandos a navibus [f] ignes:
Parce pio generi, & propius res aſpice noſtras:
Non nos aut ferro Libycos populare [g] penates
Venimus, aut raptas ad littora vertere prædas.
Non ea vis animo, nec tanta ſuperbia victis.
Eſt locus, [h] Heſperiam Graji cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atque ubere glebæ:
Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixiſſe, [i] ducis de nomine gentem:
Huc curſus fuit.
Cum ſubito aſſurgens fluctu nimboſus [k] Orion
In vada cæca tulit, penituſque procacibus Auſtris,
Perque undas, ſuperante ſalo, perque invia ſaxa
Diſpulit. huc pauci veſtris adnavimus oris.
Quod genus hoc hominum? quæve hunc tam barbara morem
Permittit patria? hoſpitio prohibemur arenæ.
Bella cient, [l] primaque vetant conſiſtere [l] terra.
Si genus humanum, & mortalia temnitis arma,
[m] At ſperate Deos memores fandi, atque nefandi.
Rex erat Æneas nobis, quo juſtior alter
Nec pietate fuit, nec bello major, & armis.

[c] Subtrahendi naves, armandi eas inſtruendique, *vel*, petentes pacem, gratiamque reginæ, contra incendium quod parabant Tyrii in naves Trojanas.
[d] Infrænes Numidas accolas ſubjugare & imperio juſto premere.
[e] Per maria omnia. *maria omnia circum.* ſupra.
[f] Quibus naves noſtras incendere parant tui Tyrii.
[g] Ædes ſacras & profanas. quibus ſui Penates patrii & domeſtici.
[h] Italiæ nomina & rationes, cur dicta Argeſſa, Camaſene, Heſperia, Auſonia, Oenotria, Italia, adi Ph. Cluverium l. l. Ital. Antiq. 1. c. [i] Non itaque ab Ἰταλοῦ bove, ut volunt quidam. [k] Conſtellatio nautis infeſta, ortu ſuo & occaſu tempeſtates ciens. oritur autem 6. Cal Jul. [l] Littore, quod jure gentium omnibus patere debet. [m] Certo ſcitote atque exſpectate Deos remuneratores juſti fore atque injuſti: Ἐλπίσας οὐ μόνον ἐπ' ἀγαθῷ, ἀλλ' ἁπλῶς ἐπὶ τῇ τοῦ μέλλοντ(ος) ἐκβάσει λέγεται παρ' Αἰτωλοῖς. Suidas. quæ etiam ſignificatio manet in voce Hiſpanica, *ſperar.*

Quem

Quem si fata virum servant, si vescitur aura
Ætherea, nec adhuc crudelibus occubat umbris:
[u] Non metus, officio nec te certasse priorem
Pœniteat. sunt & Siculis regionibus [o] urbes,
Armaque, [p] Trojanoque à sanguine clarus Aceſtes.
Quassatam ventis liceat subducere classem;
[q] Et sylvis aptare trabes, & stringere remos.
Si datur Italiam, sociis, & rege recepto,
Tendere, ut Italiam læti, Latiumque petamus.
Sin absumpta salus, & te, pater optime Teucrûm,
Pontus habet Libyæ, nec spes jam restat Iüli:
At freta Sicaniæ saltem, sedesque paratas,
Unde huc advecti, regemque petamus Aceſtem:
Talibus Ilioneus: cuncti simul [r] ore fremebant
Dardanidæ.
Tum breviter Dido, vultum demissa profatur:
Solvite corde metum Teucri; secludite curas.
Res dura, & regni novitas me talia cogunt
Moliri, & [ſ] late fines custode tueri.
Quis genus Æneadum, quis Trojæ nesciat urbem?
Virtutesque virosque, aut tanti incendia belli?
Non obtusa adeo gestamus pectora Pœni;
[t] Nec tam aversus equos Tyria sol jungit ab urbe.
Seu vos [u] Hesperiam magnam, Saturniaque arva,
Sive [x] Erycis fines, regemque optatis Aceſtem:
Auxilio tutos dimittam, opibusque juvabo.
Vultis & his mecum pariter considere regnis?
[y] Urbem quam statuo, vestra est: subducite naves,
Tros Tyriusque mihi nullo discrimine agetur.
Atque utinam rex ipse [z] Noto compulsus eodem
Afforet Æneas. equidem per littora certos
Dimittam, & Libyæ lustrare extrema jubebo,
Si quibus ejectus sylvis, aut urbibus errat.
His animum arrecti dictis, & fortis Achates,
Et pater Æneas, jamdudum erumpere nubem
Ardebant prior Æneam compellat Achates:
Nate dea, quæ nunc animo sententia surgit?
Omnia tuta vides, classem socioſque receptos.
[a] Unus abest, medio in fluctu quem vidimus ipsi

[u] Non metus sit, neque te pœniteat ultro bene de illo meruisse. legitur & *Officio ne te certasse.*
[o] Cives & auxilia. Al. *Arva.*
[p] Rex Siciliæ, Egesta Trojani Hippotæ filia & Crinisso fl. oriundus.
[q] Remos e sylvis incidere, ut l. 4.
[r] Ad sensum profitebantur fremitu oris, non concussione armorum, pro more militari.
[ſ] Adversus Pygmalionem, Hiarbam, accolas.
[t] Qui regiones a Sole remotiores incolunt, stupidi sunt & barbari. Arist. 1. Polit.
[u] Italiam, Latium.
[x] Siciliam. cujus rex Eryx Veneris & Butæ filius. l. 5.
[y] Alii, Urbem quam statuo? vestra est, hoc sensu: vultis urbem quam statuo? vestra est.
[z] Vento. Synec. namque ab Aquilone huc compulsi erant.
[a] Orontes. Supra, *Unam quæ Lycios fidumque vehebat Orontem*, &c.

Sub-

Submersum: dictis respondent cætera matris.
Vix ea fatus erat, cum circumfusa repente
Scindit se nubes, & in æthera purgat apertum.
Restitit Æneas, claraque in luce refulsit:
Os humerosque deo similis, namque ipsa decoram
Cæsariem nato genitrix, lumenque juventæ
b Purpureum, & lætos oculis afflarat honores.
☞ *c* Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, *d* Pariusve lapis circumdatur auro.
Tum sic reginam alloquitur, cunctisque repente
Improvisus ait: Coram, quem quæritis, adsum
Troius Æneas, Lybicis ereptus ab undis.
O *e* sola infandos Trojæ miserata labores,
Quæ nos, reliquias Danaum, terraque marisque
Omnibus exhaustos jam casibus, omnium egenos,
Urbe, domo socias, grates persolvere dignas,
Non opis est nostræ, Dido: nec quidquid ubique est
Gentis Dardaniæ, magnum quæ sparsa per orbem.
f Dii tibi, *g* si qua pios respectant numina, si quid
Usquam justitiæ est, & mens sibi conscia recti,
Præmia digna ferant, quæ te tam læta tulerunt
Secula? qui tanti talem genuere parentes?
In freta dum fluvii current, *h* dum montibus umbræ
Lustrabunt convexa, *i* polus dum sidera pascet:
Semper honos, nomenque tuum, laudesque manebunt:
Quæ me cumque vocant terræ. Sic fatus amicum
Ilionea petit dextra, lævaque Serestum,
Post alios, fortemque Gyam fortemque Cloanthum.
Obstupuit primo aspectu Sidonia Dido,
Casu deinde viri tanto, & sic ore loquuta est:
Quis te, nate dea, per tanta pericula casus
Insequitur? quæ vis *k* immanibus applicat oris?
Tune ille Æneas, quem Dardanio Anchisæ
Alma Venus Phrygii genuit Simoëntis ad undam?
Atque equidem *l* Teucrum memini Sidona venire,

b Roseum niveo mistum. ὡς δ' ὅτε τις τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μίγνυ, juventæ gratiam. *c* Quale per artem Inclusum buxo aut Orycia terebintho lucet ebur: lib. 10. *d* Marmor ex insula Paro. *e* Exterorum: namque exceperat errantes Anius, Helenus: sed hi propinquitate conjuncti & amicitia. *f* Naufragis & advenis benefacimus, inquit Seneca 1. 1. de Benef. *illi discedunt debitores, debitores nobis Deos delegant, precanturque, ut illi pro se gratiam referant.* *g* Siqua numina, quæ justitiam respiciant, & rectas mortalium actiones mentesque advertant. *h* Quamdiu umbræ lustrabunt convexa i. e. latera & ambitus montium. *i* Ex opinione vet. philosophorum, qui putabant astra ali humoribus marinis, fluvialibus, terrenis. *k* Barbaris; subtesta fide, feris moribus, rapto viventibus; quorum injurias, etiam nos novos incolas cogit res dura, amoliri & *late fines custode tueri.* *l* Telamonis filium ex Hesione, qui quoniam a Trojano bello fratris Ajacis mortem non ultus rediit, a patre non exceptus, Salamine exul, Sidona venit, & cum patre meo Belo Cyprium insulam vastavit, ibique novam Salaminam condidit, inde mihi nota omnia de Græcis & Trojanis.

Finibus

Finibus expulsum patriis, nova regna petentem
Auxilio Beli: genitor tum Belus opimam
Vastabat Cyprum, & victor ditione tenebat.
Tempore jam ex illo casus mihi cognitus urbis
Trojanæ, nomenque tuum, regesque Pelasgi,
Ipse hostis Teucros insigni laude ferebat,
Seque ortum *m* antiqua Teucrorum à stirpe volebat.
Quare agite, ô tectis juvenes succedite nostris.
Me quoque per multos similis fortuna labores
Jactatam, hac demum voluit consistere terra,
Non ignara mali, miseris succurrere disco.
Sic memorat; simul Æneam in regia ducit
Tecta; simul divûm templis indicit *n* honorem.
Nec minus interea sociis ad littora mittit
Viginti tauros, magnorum *o* horrentia centum
Terga suum, pingues centum cum matribus agnos:
p Munera, lætitiamque dei.
At domus *q* interior regali splendida luxu
Instruitur, mediisque parant convivia tectis.
Arte laboratæ *r* vestes, ostroque superbo:
Ingens *s* argentum mensis, cælataque in auro
Fortia facta patrum, series longissima rerum,
Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.
Æneas (neque enim patrius consistere mentem
Passus amor) rapidum ad naves præmittit Achatem;
Ascanio *r* ferat hæc, ipsumque ad mœnia ducat.
Omnis in Ascanio chari stat cura parentis.
Munera præterea Iliacis erepta ruinis
Ferre jubet, pallam signis, auroque rigentem,
Et *u* circumtextum croceo velamen acantho,
Ornatus *x* Argivæ Helenæ, quos illa Mycenis,
Pergama cum peteret, *y* inconcessosque Hymenæos,
Extulerat matris Ledæ mirabile *z* donum.
Præterea sceptrum, Ilione quod gesserat olim
Maxima natarum Priami, colloque monile
a Baccatum, & *b* duplicem gemmis auroque coronam.
Hæc celerans, iter ad naves tendebat Achates.
At Citherea novas artes, nova pectore versat

m Non tantum ab Hesione regis Laomedontis filia, sed a Teucro, qui in Troade cum Dardano genero regnavit. unde Trojani Teucri dicti.
n Sacrificii, supplicationum, festi, convivii.
o Sues C. quorum terga setis horrebant.
p Bacchi læta munera, vinum. ut infra, *Adsit lætitiæ Bacchus dator.* Agellius legi vult *dii* pro *dei*, quem adi l. 9. c. 14.
q Ad magnificentiam convivii facit recessus penitior.
r Aulæa, stragulaque purpurea.
s Scyphi & alia vasa argentea, aureaque a cælatura & vetustate preciosa. ut in quibus origo, incrementa & res gestæ regum Assyriorum insculpta fuerint. *t* Referat, nunciet. *u* Cycladem cujus oræ prætexebantur aureo opere acanthum herbam referente. *x* Græcæ, Lacedæmoniæ. Sic Homerus, Ἀργείης Ἑλένης. *y* Paridis adulteri, seu raptoris. *z* Et artificium ipsius, quod ipsa fecerat. *a* Margaritis distinctum. *b* Coronam auream duplici gemmarum ordine distinctam.

Consilia,

Consilia, ut faciem mutatus & ora Cupido
Pro dulci Ascanio veniat, donisque *c* furentem
c Incendat reginam, atque *d* ossibus implicet ignem.
Quippe domum *e* timet ambiguam, Tyriosque bilingues.
Urit atrox Juno: & sub *f* noctem cura recursat.
Ergo his aligerum dictis affatur amorem:
Nate, meæ vires, mea magna potentia solus,
Nate patris summi, qui tela *g* Typhoëa temnis;
Ad te confugio, & supplex tua numina posco.
Frater ut Æneas pelago tuus omnia circum
Littora jactetur, odiis Junonis iniquæ,
Nota tibi, & nostro doluisti sæpe dolore.
Hunc Phœnissa tenet Dido, blandisque moratur
Vocibus; & vereor, quo se *h* Junonia vertant
Hospitia, *i* haud tanto cessabit cardine rerum.
Quocirca capere ante dolis, & cingere flamma
Reginam meditor, ne *k* quo se numine mutet;
Sed magno Æneæ mecum teneatur amore.
Qua facere id possis, nostram nunc accipe mentem.
Regius, accitu chari genitoris, ad urbem
l Sidoniam puer ire parat, mea *m* maxima cura;
Dona ferens pelago, & flammis restantia Trojæ:
Hunc ego sopitum somno super alta Cythera,
Aut super *n* Idalium sacrata sede recondam:
Ne qua scire dolos, *o* mediusve occurrere possit.
Tu faciem illius noctem non amplius unam
p Falle dolo, & notos pueri puer indue vultus:
Ut cum te gremio accipiet lætissima Dido,
Regales inter mensas, laticemque Lyæum,
Cum dabit amplexus, atque oscula dulcia figet,
Occultum inspires *q* ignem, fallasque *q* veneno.
Paret amor dictis charæ genitricis, & alas
Exuit, & gressu gaudens incedit lüli.
At Venus Ascanio placidam per membra quietem
r Irrigat, & fotum gremio dea tollit in altos
Idaliæ lucos; ubi mollis amaracus illum
Floribus, & dulci aspirans complectitur umbra,
Jamque ibat dicto parens, & dona Cupido
Regia portabat Tyriis, duce lætus Achate.

c In furorem amoris impellat incendatque.
d Medullis insinuet amoris ignem.
e Ne ab infestæ Junonis odio incitati leves Tyrii res novas moliantur
f Nox enim solitaria & curarum parens.
g Quibus Jupiter Typhoeum confecit.
h Junonis Carthagini suæ timentis.
i Non omissura est hanc occasionem, cujus in articulo & momento totius negotii sui quasi cardo vertitur.
k Junonio, aut alio quovis.
l Carthaginem a Sidoniis & Tyriis conditam.
m Spes nepotum, quibus debetur fato imperium Italiæ, Romæ, orbis.
n Montem Cypri, Veneri sacrum. *o* Interventu suo importunus. *p* Assume, teque illi assimila. *q* Amoris. *r* Physice. irrigato scilicet a fumo & vaporibus cerebro, quibus resolutis obstruuntur nervi & meatus sensorii, impediturque spirituum animalium fluxus.

Cum venit, *f* aulæis jam se regina superbis
t Aurea composuit sponda, *u* mediamque locavit.
Jam pater Æneas, & jam Trojana juventus
Conveniunt stratoque super discumbitur ostro.
Dant manibus famuli lymphas, Cereremque canistris
Expediunt, tonsisque ferunt mantilia villis.
Quinquaginta intus famulæ, quibus ordine longo
Cura penum struere, & *x* flammis adolere penates.
Centum aliæ, totidemque pares ætate ministri,
Qui dapibus mensas onerent, & pocula ponant.
Nec non & Tyrii per limina læta frequentes
Convenere toris jussi discumbere pictis.
Mirantur dona Æneæ, mirantur Jülum,
y Flagrantesque dei vultus, simulataque verba,
Pallamque, & pictum croceo velamen acantho.
Præcipuè infelix *z* pesti devota futuræ
Expleri mentem nequit, ardescitque tuendo
Phœnissa, & puero pariter, donisque movetur.
Ille, ubi complexu Æneæ, colloque pependit,
Et magnum *a* falsi implevit genitoris amorem,
Reginam petit. hæc oculis, hæc pectore toto
Hæret, & interdum gremio fovet inscia Dido,
Insideat quantus miseræ deus. at memor ille
b Matris Acidaliæ, paulatim abolere Sichæum
Incipit, & *c* vivo tentat prævertere amore
Jampridem resides animos, desuetaque corda.
d Postquam prima quies epulis, *e* mensæque remotæ,
Crateras magnos statuunt, & vina *f* coronant,
Fit strepitus tectis, vocemque per ampla volutant
Atria: dependent lychni laquearibus aureis
Incensi, & noctem flammis funalia vincunt.
Hic regina *g* gravem gemmis, auroque poposcit,
Implevitque mero pateram, *h* quam Belus, & omnes
A Belo soliti. tum facta silentia tectis.

f Quæ vel parietibus appensa, vel sub cameris extensa, ad defendendum pulverem. Horat. Sat. 8. l. 2.
t Ipsa aureo insignis cultu? an, sponda aurea per Synæresin? hoc potius.
u Qui locus in lecti discubitorii & triclinii ratione honestissimus: apud Numidas, inquit Sallustius præcipue. Ergo Æneas in summo loco, ut l. 2. in imo Ascanius falsus, quem *gremio fovet inscia Dido insideat quantus miseræ Deus.*
x Libaminum nidore & thuris odore sufire.
y Amorem conciliantes etiam in Cupidine dissimulante deum & simulante puerum. *z* Amori exitiali. *a* Qui & ipse putabat hunc esse Ascanium suum. *b* Mandati sibi negotii a matre quæ Acidalia dicta ab Acidalio fonte Bœotiæ, Veneri & Gratiis sacro. *c* Redivivo. *d* Inter primam & secundam mensam vacat libationibus, hilaritati, Musicæ. *e* Fercula prioris mensæ. namque in mensa manente statuuntur crateres, & facta libatio. *f* Corolla florea sertoque cingunt: aut mero ὑπερχεῖλες ad labrum usque pocula implent. vide quæ ad calcem 3. Georg. *Socii cratera coronant.* 3. Æn. *Anchises magnum cratera corona Induit.* *g* Pateram ex auro gravem, gemmis distinctam, vetustate nobilem. *h* Quam Belus Priscus, & ab illo omnes reges Phœniciæ solebant implere in libationibus.

i Juppiter (hospitibus nam te dare jura loquuntur)
Hunc lætum Tyriisque diem, Trojaque profectis 736
Esse velis, nostrosque hujus meminisse minores.
Adsis lætitiæ Bacchus dator, & bona Juno:
Et vos ô cœtum Tyrii celebrate faventes.
Dixit, & in mensa *k* laticum libavit honorem, 740
Primaque libato *l* summo tenus attigit ore,
Tum *m* Bitiæ dedit *n* increpitans: ille impiger hausit
Spumantem pateram, & pleno se proluit *o* auro.
Post alii proceres. cithara *p* crinitus Jopas
q Personat aurata, docuit quæ maximus Atlas. 745
Hic canit *r* errantem Lunam, *s* Solisque labores:
t Unde hominum genus & pecudes, *u* unde imber & ignes;
x Arcturum, pluviasque Hyadas geminosque Triones.
Quid tantum Oceano properent se tingere soles
Hiberni; vel quæ tardis mora noctibus obstet. 750
Ingeminant plausum Tyrii, Troësque sequuntur:
Nec non & vario noctem sermone trahebat
Infelix Dido, *y* longumque bibebat amorem,
Multa super Priamo rogitans, super Hectore multa:
Nunc quibus Auroræ venisset *z* filius armis; 755
Nunc quales Diomedis equi, nunc quantus Achilles.
Imo age, & à prima dic hospes origine nobis
a Insidias, inquit, Danaum, casusque tuorum,
b Erroresque tuos; nam te jam *c* septima portat
Omnibus errantem terris & fluctibus æstas. 760

i Dido libans precatur Jovem Xenium.
k Vinum, laticum honorem, florem Liberi.
l Modeste & verecunde.
m Sacerdoti primo, *ut alii*, magistro equitum. Nannius 5. misc. c. 8.
n Moratn. ille ergo *impiger hausit.*
o Vino ex aurea patera.
p Ex more citharœdorum, qui Apollinem præsidem suum crinitum æmulabantur.
q Canit ergo ab Atlante summo philosopho & astronomiæ peritissimo edoctus carmen physicum.
r Lunæ cursus varios secundum latitudinem & altitudinem.
s Solis cursus, ascensus & descensus, unde longiores æstate dies, hieme breviores.
t Rerum ortus & interitus, hominum, cæterorumque animalium.
u Causas meteorum.
x Cœli siderumque motus, situs ortus, obitus.
y Tractim, sensimque, *vel* alte fixum, mansurumque.
z Memnon.
a Argumentum secundi libri.
b Argumentum tertii libri.
c Septimus annus inchoatus. namque sub fine ejusdem, Iris sub persona Beroes impellens Troadas ad incendium navium, in Sicilia, ait: *Septimæ post Trojæ excidium jam vertitur æstas.*

ÆNEIDOS LIB. II.

ARGUMENTUM.

Didonis voluntati morem gerens Æneas, Excidii Trojani seriem narrat; ea est hujusmodi. Græci decimo belli Trojani anno, attritis jam viribus, virtutique diffidentes, ad dolum confugiunt: nocteque ea quæ urbis incendium antecessit, fugam simulantes, circa Tenedum latitant, relicto in agro Trojano equo ligneo tantæ magnitudinis, ut

portis urbis recipi non posset: ejus utero lectissimum quemque procerum includunt. Trojani partim fraude Sinonis impulsi, partim Laocoontis supplicio territi, diruta muri parte, equum in arce statuunt. Nocte intempesta Græci a Tenedo profecti, per eam muri ruinam, qua equus erat introductus, urbem invadunt. Sinon reserato equi utero armatos emittit: omnia ferro flammisque fœdantur. Æneas interim ab Hectore in somnis admonetur, ut sibi fuga consulat, deosque patrios incendio eripiat. Ille tamen honestam mortem turpi fugæ præferens, frustra in arma ruit: satis feliciter primus impetus succedit Trojanis, donec Choræbi consilium sequuti, sumptis Græcorum armis, suorum telis obruuntur. Interea Priami regia oppugnatur, Priamusque ipse a Pyrrho Achillis filio interficitur. Æneas itaque frustra tentatis omnibus, cum jam nihil spei reliquum esset, sacra Anchisæ patri committit, eoque in humeros suos sublato, assumptisque Ascanio filio Creüsaque uxore, fugam arripit. Græci a tergo insequuntur. In eo tumultu Creüsam uxorem amittit: cujus quærendæ causa, per totam urbem oberranti, obvia fit uxoris umbra, virumque mortis suæ certiorem facit: ipse ad socios revertitur, quo jam magnus virorum mulierumque numerus confluxerat, ejus auspicium, quocunque terrarum abducere vellet, sequi paratus.

* Ne forte, quas concepi, quasque in promptu habeo explicationes, variæque authorum sententiæ super hujus secundi libri historia, equi sc. Duratei insidiis & Ilii excidio ipsam equi molem exsuperent, atque adeo marginis exundantis terminum *Nec recipi in portis, nec duci in mœnia possint*, veniam mihi præfato, Lectorem, Si cui curæ in tantum ambitiosæ sint, ut ex incertis velit hæc impenso studio reddere sibi incertiora, exorare liceat, ut Græcos autores, qui tamen Græca hæc tradunt fide, adire velit; atque hi post Homerum ejusque enarratorem Eustathium maxime, sunt Dictys Cretensis, Dares Phrygius, Tryphiodorus de Ilii excidio, Lycophron & ejus commentator Is. Tzetzes, Q. Calaber, alias Cointus Smyrnæus libris 12. & 13. Lectione item digna erit Dionis Chrysostomi orario Troica, *Quod Ilium non fuerit captum.* Hos deinde sequuti Latini, Petronius in ἁλώσεως tabula, Hyginus 108. Fab. & alibi: Josephus Iscanus de bello Trojano libris 6. Cornelio Nepoti falso adscriptis; Lauri Rhodomanni Troica, & si qui sunt alii.

* Conticuere omnes, [a] intentique ora tenebant:
Inde [b] toro pater Æneas sic orsus [b] ab alto:
Infandum regina jubes renovare dolorem;
Trojanas ut opes, & lamentabile regnum
Eruerint Danai; quæque ipse miserrima vidi,
Et quorum pars magna fui. quis talia fando
[c] Myrmidonum, [d] Dolopumve, aut duri miles [e] Ulysси,
Temperet à lacrymis? & jam nox humida cœlo
[f] Præcipitat, suadentque [g] cadentia sidera somnos.

a Ora in eum conversi cum silentio attendebant. *b* A summo lecti loco in quo discubuit Æneas, uti in medio Dido, in imo Ascanius. l. priore. v. *mediamque locavit.* Namque ut altus sit gradibusque scansilis, quod volunt, non placet. *c* Milites hi Achillis, a rege Thessalorum Myrmidono dicti. vel, ut habet fabula notiss. e formicis. 7. Ovid. Met. Μύρμων τ' ἐξάπιζον ἀνδρώσας στρατον, &c. Lycophr. *d* Militum Pyrrhi, ut alii, Phœnicis. *e* Secundæ formæ declin. Nominativo tetrasyllabo Ulysseus, Ulyssei, contracte Ulyssi. *f* Se. *g* Ad occasum vergentia, exacta jam media nocte, & appropinquante aurora.

Sed

Sed si tantus amor casus cognoscere nostros,
Et breviter Trojæ supremum audire laborem:
Quamquam animus meminisse horret, luctuque refugit,
Incipiam. Fracti bello, fatisque repulsi
h Ductores Danaum, tot jam labentibus annis,
Instar montis *i* equum divina *k* Palladis arte
Ædificant, sectaque intexunt abjete costas.
l Votum pro reditu simulant: ea fama vagatur.
Huc delecta virûm sortiti corpora furtim
Includunt cæco lateri: penitusque cavernas
Ingentes, uterumque armato milite complent.
Est in conspectu Tenedos, notissima fama
Insula, dives opum, Priami dum regna manebant:
Nunc tantum sinus, & statio malefida carinis:
Huc se provecti deserto in littore condunt,
Nos abiisse rati, & vento petiisse *m* Mycenas.
Ergo omnis longo solvit se Teucria luctu,
Panduntur portæ, juvat ire, & Dorica castra,
Desertosque videre locos, littusque relictum.
n Hic Dolopum manus, hic sævus tendebat Achilles:
o Classibus hic locus, hic acies certare solebant.
Pars stupet innuptæ donum exitiale Minervæ,
Et molem mirantur equi; primusque Thymœtes
Duci intra muros hortatur, & arce locari,
Sive *p* dolo, seu jam Trojæ sic fata ferebant.
At Capys, & quorum melior sententia menti,
Aut pelago Danaum insidias, suspectaque dona
Præcipitare jubent, subjectisque urere flammis;
Aut terebrare cavas uteri, & tentare latebras.
Scinditur incertum studia in contraria vulgus.
Primus ibi ante omnes, magna comitante caterva
q Laocoon *r* ardens summa decurrit ab *s* arce:
Et *t* procul: ô miseri, quæ tanta insania, cives?
Creditis avectos hostes? aut ulla putatis

h Tot jam volventibus annis, Ductores Danaum delecti prima virorum. Lucret. 1.

i Machinamne subruendis muris? an portam, cujus insigne equus, qua ab Antenore aperta immissi Græci? an equitatus Græcorum, a quo victi Trojani? an mons Hippius, unde ex insidiis adorti exercitum Trojanum, in urbem irruerint Græci? an classis qua advecti? Plaut. in Rudente, *Nempe equo ligneo per vias cærulas estis advectæ.* An denique

monstrum aliquod arietis aut machinæ bellicæ, quam ab enormi magnitudine, particula ἵππος, intendit, quasi ἱππομηχανήν. *k* Παλλάδος ἐπισήμου. Calaber 12. *l* Cum inscriptione, *Danai Minervæ dono dant.* Hygin. fab. 108. & Simmiæ πέλεκυς. *Stipant graves Equi recessus Danai, & in voto latent.* Petronius, & mox. *Ibat juventus capta, dum Trojam capit.* *m* Græciam. *n* Ex persona Trojani alicujus civibus suis castrametationem indicantis. *o* Manipulis exercitus procinctis. forte & simpliciter navibus. *p* In ultionem sc. crudelitatis Priami, qui Thymœtis uxorem cum infante interficiendos curaverat. *q* Vates & sacerdos Apollinis, de quo mox plura. *r* Indignatione & ira. *s* Ἀκροπόλεα. cui præses Pallas, infra, *summasque petunt Tritonidis arces.* 2. Ecl. *Pallas quas condidit arces ipsa colat.* *t* A longe, & in cursu exclamavit: o miseri.

Dona carere dolis Danaûm? sic notus Ulysses?
Aut hoc incluſi ligno occultantur Achivi;
Aut hæc in noſtros fabricata eſt machina muros,
Inſpectura domos, venturaque deſuper urbi:
Aut aliquis latet error. equo ne credite Teucri.
Quicquid iſt eſt, timeo Danaos & dona ferentes.
Sic fatus, validis ingentem viribus haſtam
In latus, inque y feri curvam compagibus alvum
Contorſit. ſtetit illa tremens, uteroque recuſſo,
Inſonuere cavæ gemitumque dedere cavernæ.
Et ſi fata deûm, ſi mens non læva fuiſſet,
Impulerat ferro Argolicas fœdare latebras:
Trojaque nunc ſtares, Priamique arx alta maneres.
Ecce, manus juvenem interea poſt terga revinctum
Paſtores, magno ad regem clamore trahebant
Dardanidæ, qui ſe ignotum venientibus ultro,
Hoc ipſum ut ſtrueret, Trojamque aperiret Achivis,
Obtulerat fidens animi, atque in utrumque paratus,
Seu verſare dolos, ſeu certæ occumbere morti.
Undique viſendi ſtudio Trojana juventus
Circumfuſa ruit, certantque illudere capto.
Accipe nunc Danaûm inſidias, a & crimine ab uno
Diſce omnes.
Namque, ut conſpectu in medio turbatus inermis
Conſtitit, atque oculis Phrygia agmina circumſpexit:
Heu quæ nunc tellus, inquit, quæ me æquora poſſunt
Accipere? aut quid jam miſero mihi denique reſtat?
Cui neque apud Danaos uſquam locus: inſuper ipſi
Dardanidæ infenſi pœnas cum ſanguine poſcunt.
Quo gemitu converſi animi, compreſſus & omnis
Impetus: hortamur fari, quo ſanguine cretus;
Quidve ferat, memoret; quæ ſit fiducia capto.
Ille hæc, depoſita tandem formidine, fatur:
Cuncta equidem tibi, rex, fuerint quæcunque, fatebor
Vera, inquit, neque me Argolica de gente negabo:
Hoc primum; b nec, ſi miſerum fortuna Sinonem
Finxit, vanum etiam mendacemque improba finget.
Fando aliquid ſi forte tuas pervenit ad aures
c Belidæ nomen Palamedis, & inclyta fama

* Quæ defenſores mœnium deſuper urbi ventura opprimat. Vegetius 4. 1. 19. c.

x Ἐχθρῶν δ' ἄδωρα δῶρα, κοὐκ ὀνήσιμα. Sophocl. Ajax.

y Equi Durii. de eodem Petronius: *hoc simulo ferus Inciſus.*

z Πολλὰ δολόφρονα φῶτα δαίζον. mox, Οὐαθ' ὁμῶς κἠγίνας ἀπὸ μηλέων ἐτάμοντο Πάμπαν ἀεικίζοντες. Calaber 12 l. Tryphiodorus refert advenisse πανάθλια γυῖα κομίζοντα, Αἰμαλιδῶ· ἐίγγις, &c. quibus ſc. videri poſſet a ſuis cæſus.

a Et ex hoc ſcelere conjecturam facias univerſæ gentis Danaum. Scal. ex uno criminoſo, b Mirus artifex viam ſibi ad inſidias ſtruit; qui, ubi ſe veracem profitetur maxime, tum mentiatur maxime: ſed dolis ita conſarcinatis ut falſis vera miſceat, hæc illis fidem faciant. ut in ſeq.

c Ex Amymone Beli filia Neptunus genuit Nauplium Palamedis patrem.

Glo-

Gloria: *d* quem falsa sub proditione Pelasgi
Insontem, infando indicio, qui bella vetabat,
Demisere neci, nunc cassum lumine lugent.
Illi me comitem, & *e* consanguinitate propinquum,
Pauper in arma pater primis huc misit ab annis.
f Dum stabat regno incolumis, regnumque vigebat
Consiliis, & nos aliquod nomenque decusque
Gessimus, invidia postquam pellacis Ulyssi
(Haud ignota loquor) superis concessit ab oris:
Afflictus vitam in tenebris, luctuque trahebam,
Et casum insontis mecum indignabar amici:
Nec tacui demens: & me, fors si qua tulisset,
Si patrios unquam remeassem victor ad Argos,
Promisi ultorem, & verbis odia aspera movi:
Hinc mihi prima mali labes: hinc semper Ulysses
Criminibus terrere novis: hinc spargere voces
In vulgum ambiguas, & quærere conscius *g* arma.
Nec requievit enim, donec *h* Calchante ministro. *i*
Sed quid ego hæc autem nequicquam * ingrata revolvo?
Quidve moror? *k* si omnes uno ordine habetis Achivos,
Idque audire sat est: jamdudum sumite pœnas.
Hoc Ithacus velit, & magno mercentur Atridæ.
Tum vero ardemus scitari, & quærere causas,
Ignari scelerum tantorum, artisque Pelasgæ.
Prosequitur *l* pavitans, & ficto pectore fatur.
Sæpe fugam Danai Troja cupiere relicta
Moliri, & longo fessi *m* discedere bello.
Fecissentque utinam. sæpe illos aspera ponti
Interclusit hyems, & terruit Auster euntes.
Præcipue cum jam hic trabibus contectus acernis
Staret equus, toto sonuerunt æthere *n* nimbi.
Suspensi *o* Eurypylum scitatum oracula Phœbi
Mittimus: isque adytis hæc tristia dicta reportat.
Sanguine placastis ventos, & *p* virgine cæsa,

d Cujus prudentiæ cum inviderent Ulysses, detectus ab illo insaniæ simulatæ, atque in frumentatione illi inferior, struxit Palamedi insidias, accusavit proditionis, prolatis literis adulterinis, & auro quod in illius tentorio abscondi curaverat, effosso. unde a Græcis Palamedes saxis est obrutus.
e Falsum; namque Ulyssis erat propinquus, filius Æsinii fratris Anticleæ, quæ Ulyssis mater.
f Palamedi enim delatum est subinde summum imperium, Agamemnoni abrogatum.
g Sua, i. artes dolosque.

h Vate & augure præstantissimo. *i* Apostopesis. * Nullam mihi gratiam, nullam veniam a vobis impetratura. *k* Si ex æquo Græcos omnes hosti illi odio prosequimini, jam satis audivistis, quod ultra dicturus eram in rem vestram, non valebit ad gratiam: proinde oportuit jampridem de me sumpsisse pœnas. pergratum hoc erit Ulyssi & Atridis. *l* Simulato pavore, ad fidem veri timoris. *m* Al. *decedere*. *n* Tempestates caligine, tonitru, fulgure mistæ, quæ religionem objecerunt & navigandi metum. *o* Filium Astyoches, quæ soror Priami. *p* Iphigenia Agamemnonis filia, quam sibi immolandam poscebat Diana indignata Agamemnoni ob cervam sibi sacram ab illo in Aulide cæsam, ventosque negarat. Cujus tamen Dea miserta, cervam illius loco summisit.

Cum primum Iliacas Danai veniſtis ad oras :
Sanguine quærendi reditus [q] animaque litandum
Argolica. vulgi quæ vox ut venit ad aures,
Obſtupuere animi, geliduſque per ima cucurrit
Oſſa tremor, cui fata parent, quem poſcat Apollo.
Hic Ithacus vatem magno Calchanta tumultu
Protrahit in medios : quæ ſint ea numina divûm
Flagitat : & mihi jam multi crudele canebant
Artificis ſcelus, & taciti ventura videbant.
Bis quinos ſilet ille dies, [ſ] tectuſque recuſat
Prodere voce ſua quenquam, aut opponere morti.
Vix tandem magnis Ithaci clamoribus actus,
[t] Compoſito rumpit vocem, & me deſtinat aræ.
Aſſenſere omnes, & quæ ſibi quiſque timebat,
Unius in miſeri exitium converſa tulere.
Jamque dies infanda aderat : mihi ſacra parari,
Et [u] ſalſæ fruges, & circum tempora [x] vittæ,
Eripui (fateor) letho me ; & vincula rupi,
Limoſoque lacu per noctem obſcurus in ulva
Delitui, dum vela darent ; ſi forte dediſſent.
Nec mihi jam [y] patriam antiquam ſpes ulla videndi,
Nec dulces natos, exoptatumque parentem :
Quos illi fors ad pœnas ob noſtra repoſcent
Effugia, & culpam hanc miſerorum morte piabunt.
Quod te per ſuperos, & conſcia numina veri,
Per, ſiqua eſt, quæ reſtat adhuc mortalibus uſquam
Intemerata fides, oro ; miſerere laborum
Tantorum, miſerere animi non digna ferentis.
His lacrymis vitam damus, & miſereſcimus ultro.
Ipſe viro primus manicas, atque arcta levari
Vincla jubet Priamus, dictiſque ita fatur amicis :
Quiſquis es, amiſſos hinc jam obliviſcere Grajos :
[z] Noſter eris, mihique hæc ediſſere vera roganti.
Quo molem hanc immanis equi ſtatuere ? quis author ?
Quidve petunt ? quæ religio ? aut quæ machina belli ?
Dixerat. Ille dolis inſtructus, & arte [a] Pelaſga,
Suſtulit exutas vinclis ad ſidera palmas :
Vos [b] æterni ignes, & non violabile veſtrum
Teſtor numen, ait : vos aræ, enſeſque nefandi,
Quos fugi ; [c] vittæque deûm quas hoſtia geſſi :
Fas mihi [d] Grajorum ſacrata reſolvere jura :

[q] Duo, inquit Macrob. 3. l. 5. c. ſunt hoſtiarum genera : unum, quo per exta voluntas Dei diſquiritur; alterum, in quo ſola anima Deo ſacratur.
[r] Exitium, mortem.
[ſ] Domi ſuæ abditus, invitus prodere voce quenquam.
[t] Pactus, coactuſque ab Ulyſſe.
[u] Mola, far toſtum, ſale miſtum, qua victimæ frons, cultri & foci ſpargebantur.
[x] Faſciæ quibus victimæ obnubebantur.
[y] Ἀργὸς μοὶ πόλις ἐστὶν, &c. Sinon apud Tryphiodorum.
[z] Civis noſter, juris noſtri, alluſum ad verba Imperatoris Rom. transfugam in fidem ſuam recipientis.
[a] Mala, vafra.
[b] Veſtales. unde in nonnullis lib. legitur, *& non violabile Veſtæ Teſtor numen.* Alii *ſidera* intelligunt ad quæ ſuſpiciens palmas ſuſtulit.
[c] Vittæque quas diis devota hoſtia geſſi.
[d] Ejurare Græcos & ſacramenta eorum quibus obligor.

Fas

Fas odisse viros, atque omnia ferre sub auras,
e Siqua tegunt; *f* teneor patriæ nec legibus ullis.
Tu modo promissis maneas, servataque serves
Troja fidem, si vera feram, si magna rependam.
Omnis spes Danaum, & cœpti fiducia belli
Palladis auxiliis semper stetit: *g* impius ex quo
Tydides sed enim, scelerumque inventor Ulysses,
Fatale aggressi sacrato avellere templo
Palladium, cæsis summæ custodibus arcis,
Corripuere sacram effigiem, manibusque cruentis
h Virgineas ausi divæ contingere vittas:
Ex illo fluere, ac retro sublapsa referri
Spes Danaum, fractæ vires aversa deæ mens.
Nec dubiis ea signa dedit *i* Tritonia monstris.
Vix positum castris simulacrum: arsere coruscæ
Luminibus flammæ arrectis: salsusque per artus
Sudor iit: terque ipsa solo (mirabile dictu)
k Emicuit, parmamque ferens, hastamque trementem.
Extemplo tentanda fuga canit æquora Calchas:
Nec posse Argolicis exscindi Pergama telis,
l Omnia ni repetant Argis, *m* numenque reducant,
Quod pelago, & curvis secum advexere carinis.
Et nunc, quod patrias vento petiere *n* Mycenas,
Arma, deosque parant comites, pelagoque remenso
o Improvisi aderunt. ita digerit omnia Calchas.
Hanc pro Palladio *p* moniti, pro numine læso
Effigiem statuére, *q* nefas quæ triste piaret.
Hanc tamen immensam Calchas attollere molem
Roboribus textis, cœloque educere jussit;
Ne recipi in portis, aut duci in mœnia possit,
r Neu populum antiqua sub religione tueri.
Nam si vestra manus violasset dona Minervæ,
Tum magnum exitium (quod dii prius omen in ipsum
Convertant) Priami imperio, Phrygibusque futurum.
Sin manibus vestris vestram ascendisset in urbem,
Ultro Asiam magno *s* Pelopeia ad mœnia bello
Venturam, & nostros ea fata manere nepotes.
Talibus insidiis, perjurique arte Sinonis
Credita res; captique dolis, lacrymisque coacti;
Quos neque Tydides, nec *t* Lariss æus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinæ.

e Signa Graji tecta & secreta habent.
f Al. *teneat.*
g Sed enim ex quo tempore impius Tydides, &c.
h Palladis ἀὰ παρθένε, μισογύναικος.
i Pallas. Τριτογένεια. vide Etymologistas.
k Exiliit.
l Auspicia nisi de novo petant Argis; quia sub prioribus illis infeliciter cessit bellum.
m Et Palladium in Græciam asportatum relucant. Aliis placet exp. & numen læsum reconcilient.
n Græciam. Synecd.
o Quod vere nimis accidit.
p Oraculo Apollinis. Petron. *Cum Delio profante casi vertices* Idæ, &c. vel, monita Pallade, ut Calaber. l. 12.
q Diomedis & Ulyssis sacrilegium & profanationem Palladii. *r* Ne Trojanos sub priore religione tueri posset. *s* Græcas urbes bello tentaturam, a Pelope qui nomen indidit Peloponneso. *t* Larissa Thessaliæ opp. cujus in vicinia fuit Phthia Achillis patria.

Hic aliud [u] majus miseris, multoque tremendum
Objicitur magis, atque improvida pectora turbat.
Laocoon, [x] ductus Neptuno sorte sacerdos,
Solennes taurum ingentem mactabat ad aras.
Ecce autem [y] gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago, pariterque ad littora tendunt:
Pectora quorum inter fluctus arrecta, jubæque
Sanguineæ exsuperant undas, pars cætera pontum
Pone legit, sinuatque immensa volumine terga.
Fit [y] sonitus spumante salo: jamque arva tenebant,
Ardentesque oculos suffecti sanguine, & igni,
Sibila lambebant [z] linguis vibrantibus ora.
Diffugimus visu exsangues. illi [a] agmine certo
Laocoonta petunt, & primum parva duorum
Corpora natorum serpens amplexus uterque
Implicat, & miseros morsu depascitur artus.
[b] Post ipsum auxilio subeuntem, ac tela ferentem
Corripiunt, spirisque ligant ingentibus, & jam
Bis medium amplexi, bis collo squamea circum
Terga dati, [c] superant capite, & cervicibus altis.
Ille simul manibus tendit divellere nodos,
Perfusus sanie vittas, atroque veneno:
Clamores simul horrendos ad sidera tollit.
[d] Quales mugitus, fugit cum saucius aras
Taurum, & [e] incertam excussit cervice securim.
At gemini lapsu [f] delubra ad summa dracones
Effugiunt, [g] sævæque petunt Tritonidis arcem:
Sub pedibusque deæ, clypeique sub orbe teguntur.
Tum vero tremefacta novus per pectora cunctis
[h] Insinuat pavor, & scelus expendisse merentem
Laocoonta ferunt, sacrum qui cuspide robur
Læserit, & tergo sceleratam intorserit hastam.
Ducendum ad sedes simulacrum, orandaque divæ
Numina, conclamant.
[i] Dividimus muros, & mœnia pandimus urbis.
Accingunt omnes operi, [k] pedibusque rotarum
Subjiciunt lapsus, & stuppea vincula collo

[u] Multa hic mœsta litera in *majus*, *miseri*, *multo*, *magis*, &c. sicut infra, serpentina litera s *sonitus*, *spumante salo*, *suffecti*, *sanguine*, *sibila*, &c.

[x] Erat quidem Apollinis sacerdos; sed quia alius certus Neptuni sacris deerat, ille idem sorte ductus Neptuno.

[y] Omnia norunt Græci. νήσους διπλὰς, Lycophr. unam tantum Calaber, sed hanc καλύδνην. nomina etiam serpentum Lesches, πόρκεα & Καριβοίαν. nec non filiorum Laocoontis nom. Antiphuntem & Thymbræum. Hygin. 135.

[z] Quæ ob celerem motum creduntur trisulcæ.

[a] Tractu, lapsu. [b] *Accumulat ecce liberum funus parens, infirmus auxiliator. Petron.* [c] Supereminent. [d] Ὡς ὅτε ταῦρος Ηρυγὼν, &c. Il. 19. [e] Ictu fallente nec toto impactam. [f] Templum Palladis, in arce Trojana. [g] Ulciscentis munus suum a Laocoonte læsum. [h] Se. [i] Supra Scæam portam. *murum* autem ambitum, *mœnia* munimen esse volunt. [k] Ποσσὶν ὑπὸ βριαροῖσιν ἐύτροχα δούρατα θῆκεν. Calaber. 12.

Inten-

Intendunt, scandit fatalis machina muros
Fœta armis, circum pueri innuptæque puellæ
Sacra canunt, *l* funemque manu contingere gaudent:
Illa subit, mediæque *m* minans illabitur urbi.
O patria, ô divûm domus Ilium, & *n* inclyta bello
Mœnia Dardanidum! quater ipso in limine portæ
Substitit, atque utero sonitum quater arma dedere.
Instamus tamen immemores, cæcique furore:
Et monstrum infelix sacrata sistimus arce.
Tunc etiam fatis aperit *o* Cassandra futuris
Ora, dei jussu, non unquam credita Teucris.
Nos delubra deûm miseri, quibus ultimus esset
Ille dies, festa velamus fronde per urbem.
Vertitur interea cœlum, & ruit Oceano nox.
Involvens umbra magna terramque, polumque,
p Myrmidonumque dolos: fusi per mœnia Teucri
Conticuere; sopor fessos complectitur artus.
Et jam Argiva Phalanx instructis navibus ibat
A Tenedo. *q* tacitæ per amica silentia lunæ,
Littora nota petens, *r* flammas cum regia puppis
Extulerat: fatisque deûm defensus iniquis,
Inclusos utero Danaos, & pinea furtim
Laxat claustra Sinon. Illos patefactus ad auras
Reddit equus, lætique cavo se robore promunt
s Tisandrus, Sthenelusque duces, & dirus Ulysses,
t Demissum lapsi per funem, Athamasque, Theasque,
Pelidesque Neoptolemus, primusque Machaon,
Et Menelaus, & ipse *u* doli fabricator Epeus.
Invadunt *x* urbem somno, vinoque sepultam.
Cæduntur vigiles; portisque patentibus omnes
Accipiunt socios, atque agmina *y* conscia jungunt.

l Durateum solenni lætitia inducunt, & debita thensis Deorum εὐλαβείᾳ, quibus lora prætenduntur, quæ gaudent manu tenere, & tangere qui eas ducunt. Asconius ad 3. Verrin. *m* Nutans. Juvenalis 3. Sat. de plaustris Pinum vehentibus, *nutant alte populoque minantur.* *n* Mysiæ totius domitrix. *o* Cui vaticinii munus dederat Apollo virginitatis libamen pactus, qua fraudatus fidem illi vera dicenti sustulit. *p* Græcorum. Synecd. *q* Non erat coitus aut interlunium, uti silentem lunam a nonnullis appellari scribit Plinius l. 16. Namque mox, *oblati per lunam Hypanisque Dymasque.* & Petronius in ἁλώσει. *Jam plena Phœbe candidum extulerat jubar.* Quid ergo? Solventibus a Tenedo & Trojam appellentibus nondum exorta erat luna, mox urbe capta lucebat? An, cum Parrhasio, lunam silentem pro nocte intempesta intelligi placet, quia tunc omnia tacent? vide Jani Parrhasii argumenta contra Ang. Politianum, & testimonia in prima ejus epistola ad Jo. Lascarim. *r* Pro more navigationis nocturnæ, ubi puppis regia, *the Admiral*, præfert facem sociæ classi, ut sequatur ducem. An Sinoni datum intelligemus solutarum navium signum, uti opportune laxaret claustra equi? Sinon certe facem extulisse fertur; nec non Helena, 6. Æn Et Antenor apud Lycophronem Ἀπεμπολητὴς τῆς φυταλμίας χθονὸς φλέξας, &c. *s* Catalogum eorum qui conscenderunt equum dabit Calaber. l. 12. & Tryphiodorus. *t* Hinc conjicere licet altitudinem equi. *u* Equi. *x* *Sepultos Priamidas nocte & mero.* Petr. *y* Socia, armis, insignibus & tesseris sibi invicem nota.

Tempus erat, quo prima quies mortalibus ægris
Incipit, & dono divum gratissima serpit.
In somnis ecce ante oculos mœstissimus Hector
Visus adesse mihi, largosque effundere fletus,
z Raptatus bigis, ut quondam, aterque cruento
Pulvere, perque pedes trajectus lora tumentes.
Hei mihi, qualis erat, quantum mutatus ab illo
Hectore, qui redit a exuvias indutus Achillis,
Vel Danaum Phrygios jaculatus puppibus ignes!
Squallentem barbam; & concretos sanguine crines,
Vulneraque illa gerens, quæ circum plurima muros
Accepit patrios, ultro flens ipse videbar
Compellare virum, & mœstas expromere voces.
O lux Dardaniæ, spes ô fidissima Teucrum,
Quæ tantæ tenuere moræ? quibus Hector ab oris
b Exspectate venis? ut te post multa tuorum
Funera, post varios huminumque urbisque labores
Defessi aspicimus? quæ causa indigna serenos
Fœdavit vultus? aut cur hæc vulnera cerno?
c Ille nihil; nec me quærentem vana moratur:
Sed graviter gemitus imo de pectore ducens,
Heu fuge, nate dea, teque his, ait, eripe flammis.
Hostis habet muros; ruit alto à culmine Troja.
Sat patriæ Priamoque datum; si Pergama dextra
Defendi possent, etiam d hac defensa fuissent.
e Sacra, suosque, tibi commendat Troja penates.
Hos cape fatorum comites, his mœnia quære;
Magna pererrato statues f quæ denique ponto.
Sic ait, & manibus g vittas, h Vestamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.
Diverso interea miscentur mœnia luctu:
Et magis atque magis (quanquam i secreta parentis
Anchisæ domus, arboribusque obtecta recessit)
k Clarescunt sonitus, armorumque ingruit horror.
Excutior somno, & summi fastigia tecti
Ascensu supero, atque arrectis auribus asto.
☞ l In segetem veluti cum flamma furentibus Austris
☞ Incidit: m aut rapidus montano flumine torrens

z Ab Achille cæsus, loris trajectus pedes, bigis raptatus. Il. 22.
a Quas Patroclo armis Achillis induto detraxerat.
b Diu desiderate.
c Ille nihil respondit mihi intempestive roganti. neque n. vacabat.
d Hac mea Sed, Æn. 11. *Hectoris Æneæque manu victoria Grajum Hæsit.*
e Penates qui fuerint vide supra l. 1. ad illud. *victosque penates.*
f Lavinium.
g Fascias, velamina, pepla Deorum.
h Cujus nomine ignis cultus & ἄσβεστος in ἑστίᾳ servatus, quæ religio a Persis, quibus ignis pro Deo tanquam solis symbolum ad Græcos, inde ad Romanos fluxit. *Nec tu aliud Vestam quam vivam intellige Flammam.* Ovid. 6. Fast. Sed vide Clariss. V. I. Seldeni Syntagma de Diis Syris 2. cap. 7. & Plutarch. l. 7. Sympos. 4. qu.
i In regione urbis Lyrnessia, Idam versus. Strabo. 13. l.
k Clarius audiuntur, increbrescunt.
l Hom. Il. 2. Ἠΰτε πῦρ ἀΐδηλον: & Il. 11. Ὡς δ' ὅτε πῦρ.
m Ὡς δ' ὅτε χείμαρρος ποταμὸς κατ' ὄρεσφι ῥέοντες. Il. 4.

Ster-

Sternit agros, sternit sata læta, boumque labores,
Præcipitesque trahit sylvas: stupet inscius alto
Accipiens sonitum saxi de vertice pastor.
Tum vero manifesta fides, Danaumque patescunt
Insidiæ: jam [n] Deiphobi dedit ampla ruinam
Vulcano superante domus: jam [o] proximus ardet
Ucalegon: [p] Sigæa igni freta lata relucent.
Exoritur clamorque virûm, clangorque tubarum,
Arma amens capio, nec sat rationis in armis:
Sed glomerare manum bello, & concurrere in arcem
Cum sociis ardent animi: furor, iraque mentem
Præcipitant, pulchrumque mori succurrit in armis.
Ecce autem telis Panthus elapsus Achivûm,
Panthus [q] Otriades, [r] arcis Phœbique sacerdos,
Sacra manu, [s] victosque deos, parvumque nepotem
Ipse trahit, cursuque amens ad [t] littora tendit.
Quo res summa loco, [u] Panthu? [x] quam prendimus arcem?
Vix ea fatus eram, gemitu cum talia reddit:
[y] Venit summa dies & ineluctabile tempus
Dardaniæ. fuimus Troës, fuit Ilium, & ingens
Gloria Teucrorum, ferus [z] omnia Juppiter Argos
Transtulit: incensa Danai dominantur in urbe:
Arduus armatos mediis in mœnibus astans
Fundit equus: Victorque Sinon incendia miscet
Insultans. portis alii bipatentibus adsunt;
[a] Millia quot magnis nunquam venere Mycenis.
Obsedere alii telis angusta viarum
Oppositi. stat ferri acies mucrone corusco
Stricta, parata neci, vix primi prælia tentant
Portarum vigiles, & [b] cæco Marte resistunt.
Talibus Otriadæ dictis, & [c] numine divûm
In flammas, & in arma feror: quo tristis [d] Erynnis,
Quo fremitus vocat, & sublatus ad æthera clamor.
Addunt se socios, Ripheus, & maximus [e] armis
Iphitus, oblati [f] per lunam, Hypanisque, Dymasque,
Et lateri agglomerant nostro; juvenisque [g] Chorœbus

[n] Filii Priami, cui post Paridis fatum nupsit Helena, de quo plura 6. Æneid.
[o] Proxima illi domus Ucalegonis ardet.
[p] Pontus sub Sigæo promontorio.
[q] Otrei filius ad distinctionem alterius, qui Euphœbi f.
[r] Phœbi, in summa etiam arce culti.
[s] Qui cum non transiissent evocati ad victores, comitabantur victos.
[t] Al. *limina* sed vide infra quæ ad *jacet ingens littore truncus*.
[u] Crasis in vocativo.
[x] Siquidem Minervæ arx, unde tu fugis, ab hoste sit occupata.

[y] Rogas, Ænea, quo loco sit *res summa*? ah nullo, venit *summa dies* & exitium irremediabile: *Quis fons, quis torrens* inquit Macrob. l. 5. c. 1. *quod mare tot fluctibus, quot hic verbis inundavit*? Non ultra sumus, & miserum est fuisse. [z] Fortunam, opes, imperium a nobis ad Græcos victores. [a] Amplificatio numeri, qui formidini major semper apparet. [b] Confuso in tenebris, nocturno prælio. [c] Furore iraque divinitus immisso, itaque ——— [d] ——— Furiæ q. ἔρις νοῦ. [e] Al. *annis*, quia infra. *Iphitus ævo jam gravior*. [f] Revide notam ad *tacitæ per amica silentia lunæ*, hoc libro. [g] De quo 13. Il. & Calaber. 13. l. Νήπιος, οὐδ' ἀπόνητο γάμων, ὧν οὕνεκ' ἵκανεν.

Mygdonides; illis qui ad Trojam forte diebus
Venerat, insano Cassandræ incensus amore:
Et g gener auxilium Priamo, Phrygibusque ferebat
g Infelix, qui non sponsæ præcepta furentis
Audierat.
Quos ubi confertos audere in prælia vidi,
Incipio super his. Juvenes, h fortissima frustra
Pectora (si vobis audentem extrema cupido est
Certa sequi, quæ sit rebus fortuna videtis.
i Excessere omnes, adytis arisque relictis,
Dii, quibus imperium hoc steterat) succurritis urbi
Incensæ, k moriamur, & in media arma ruamus.
Una salus victis nullam sperare salutem.
☞ Sic animis juvenum furor additus. Inde l lupi ceu
Raptores atra in nebula, quos improba ventris
Exegit m cœcos rabies, catulique relicti
Faucibus exspectant n siccis; per tela, per hostes
Vadimus haud dubiam in mortem, mediæque tenemus
Urbis iter: nox atra cava circumvolat umbra.
Quis cladem illius noctis, quis funera fando
Explicet? aut possit lacrymis æquare labores?
Urbs antiqua ruit, o multos dominata per annos,
Plurima perque vias sternuntur p inertia passim
Corpora, perque domos & relligiosa deorum
Limina, nec soli pœnas dant sanguine Teucri:
Quondam etiam victis redit in q præcordia virtus.
Victoresque cadunt Danai, crudelis, ubique
Luctus, ubique pavor, & r plurima mortis imago.
Primus se Danaum, magna comitante caterva,
Androgeos offert nobis, socia agmina credens,
Inscius, atque ultro verbis compellat amicis:
Festinate viri; nam quæ tam sera moratur
Segnities? alii rapiunt incensa feruntque
ſ Pergama; vos celsis nunc primum à navibus t itis?
Dixit: & extemplo (neque enim responsa dabantur
Fida satis) sensit medios u delapsus in hostes.
Obstupuit, retroque pedem cum voce repressit.
☞ x Improvisum aspris veluti qui sentibus anguem
Pressit humi nitens, trepidusque repente refugit
Attollentem iras, & cærula colla tumentem.

h Fortissima pectora, sed frustra frustra enim contenditis succurrere urbi jam incensæ.
i Dii Tutelares, si non elicio carmine evocati ad hostes transierint, certe urbe in hostium potestatem redacta, jam excessere, *profanatis sacris peritura Troja perdidit primum Deos.* Petron.
k Ruamus morituri. Hyst. prot.
l Λύκοι ὡς Ὠμοφάγοι, Iliad. 16. Omnia intendunt; lupos natura raptores urget famelica rabies, στοργὴ in catulos, opportunitas caliginis.
m Cujuscunque periculi securos.
n Jejunis quidem; sed sitientibus alimentum humidum, quod a calore nativo continuo absumitur.
o Annos 312.
p Cæsa cadavera.
q Corda, quæ fortitudinis sedes.
r *Mille simul lethi facies*, Sil. 4.
ſ Trojam. Trojanas opes ab incendio ereptas.
t Venitis.
u Hellenismus, delapsum.
x Ὡς δ' ὅτι τίς τε δρήκοντα ἰδὼν ——— Il. 3.

Haud

Haud secus Androgeos visu tremefactus abibat.
Irruimus, densis & circumfundimur armis:
Ignarosque loci passim, & formidine captos
Sternimus: aspirat primo fortuna labori.
Atque hic *y* exultans successu, animisque Choroebus,
O socii, qua prima, inquit, fortuna salutis
Monstrat iter, quaque ostendit se dextra, sequamur.
Mutemus clypeos, Danaumque *z* insignia nobis
Aptemus: *dolus, an virtus, quis in hoste requirat?*
Arma dabunt ipsi. sic fatus, deinde *a* comantem
Androgei galeam, clypeique insigne decorum
Induitur, laterique Argivum accommodat ensem.
Hoc Ripheus, hoc ipse *b* Dymas, omnisque juventus
Læta facit: spoliis se quisque recentibus armat.
c Vadimus immisti Danais *d* haud numine nostro,
Multaque per cæcam congressi prælia noctem
Conserimus; *e* multos Danaum demittimus Orco.
Diffugiunt alii ad naves, & litora cursu
Fida petunt: pars ingentem formidine turpi
Scandunt rursus equum, & nota conduntur in alvo.
Heu nihil f invitis fas quenquam fidere divis.
Ecce, trahebatur passis Priameïa virgo
Crinibus *g* à templo Cassandra, adytisque Minervæ,
Ad cœlum tendens ardentia lumina frustra;
Lumina: nam teneras *h* arcebant vincula palmas.
Non tulit hanc speciem, furiata mente Choroebus:
Et sese medium injecit moriturus in agmen.
Consequimur cuncti, & densis incurrimus armis.
Hic primum ex alto delubri culmine telis
Nostrorum obruimur, oriturque miserrima cædes
Armorum *i* facie, & Grajarum errore jubarum.
Tum Danai gemitu, atque ereptæ virginis ira
Undique collecti invadunt, acerrimus *k* Ajax,
Et gemini Atridæ, Dolopumque exercitus omnis.
☞ *l* Adversi rupto ceu quondam turbine venti
Confligunt Zephyrusque, Notusque, & lætus Eois
Eurus equis: stridunt sylvæ; sævitque *m* tridenti
Spumeus, atque imo *m* Nereus ciet æquora fundo.

y Consultissime juveni imprudenti dantur partes audaciæ & temeritatis, quæ in ipsos reciderint autores.
z Clypeis insculpta subjicitur enim. *Clypeique insigne decorum.*
a Cristatam.
b Distinguendum hic censent, ut de se loquatur Æneas, *hoc ego, hoc Dymas.*
c *Se quoque principibus permistum agnovit Achivis.* l. 1.
d Alienis auspiciis, Græcorum, sc. quorum in armis pro Græcis habiti. vel, *adverso non favente*, ut Tibullus. *Audiat aversa non meus aure Deus.* Horat. Epod.

ventis iturus non suis. *e* Πολλὰς ἡρώων ψυχὰς ἄϊδι περίαψεν. Il. α: *f* Αἰκητι θεῶν *g* Quo supplex confugerat in summo discrimine Cassandra, Choroebo desponsata. Ilio capto ab Ajace Oilei vitiata, in prædæ divisione Agamemnoni cessit. cum ipso a Clytemnestra in convivio trucidata. *h* Continebant, stringebant. *i* Simulata specie armorum Græcorum quibus induti eramus. *k* Oilei f. namque Telamonius jam non erat. *l* Ὡς δ' ἄνεμος δύποντον —— Il. 9. *m* Ponitur pro Neptuno, Deus maris pro Deo maris, namque Neptuni proprius est tridens.

Illi etiam, si quos obscura nocte per umbram
Fundimus insidiis, totaque agitavimus urbe,
Apparent: primi clypeos mentitaque tela
Agnoscunt, atque ora sono *n* discordia signant.
Ilicet obruimur numero: primusque Chorœbus
Penelei dextra, *o* divæ armipotentis ad aram
Procumbit, cadit & Ripheus, justissimus unus
Qui fuit in Teucris, & servantissimus æqui.
Diis aliter visum. pereunt Hypanisque Dymasque,
Confixi à sociis nec te tua plurima, Panthu
Labentem pietas, *p* nec Apollinis infula texit.
Iliaci cineres, & flamma extrema meorum,
Testor; in occasu vestro nec tela, nec ullas,
Vitavisse *q* vices Danaûm; &, si fata fuissent
Ut caderem, meruisse manu. divellimur inde
Iphitus, & Pelias mecum: quorum Iphitus ævo
Jam graviot, Pelias & vulnere tardus Ulyssi.
Protinus ad sedes Priami clamore vocati.
Hic vero ingentem pugnam, ceu cætera nusquam
Bella forent, nulli tota morerentur in urbe:
Sic Martem indomitum, Danaosque ad tecta ruentes
Cernimus, obsessumque acta *r* testudine limen.
Hærent parietibus scalæ; postesque sub ipsos,
Nituntur gradibus: clypeosque ad tela sinistris
Protecti objiciunt; prensant fastigia dextris.
Dardanidæ contra, turres, ac tecta domorum
Culmina convellunt (his se quando ultima cernunt
Extrema jam in morte parant defendere telis)
Auratasque trabes, veterum decora alta parentum
Devolvunt. alii strictis mucronibus imas
Obsedere fores: has servant agmine denso.
Instaurati animi regis succurrere tectis,
Auxilioque levare viros, vimque addere victis,
Limen erat, *s* cæcæque fores, & pervius usus
Tectorum inter se Priami, postesque relicti
A tergo: infelix qua se, dum regna manebant,
Sæpius Andromache ferre incomitata solebat
Ad *t* soceros, & avo puerum *u* Astyanacta trahebat.
Evado ad summi fastigia culminis; unde
Tela manu miseri jactabant irrita Teucri.
Turrem in præcipiti stantem, summisque sub astra

n Lingua disc. *vel*, tessera.
o Palladis.
p Neque te protexit religio; ratiove habita est sacerdotii, cujus insigne infula Apollinis quam gerebas. Velamentum sc. capitis sacerdotalis, vittas habens laneas, albas coccineis intextas, utrinque dependentes.
q Ut paterer vulnera & cædem a Danais, non segnius atque ipse iis inferebam.
r Testudo proprie erat tabulatum coriis & ciliciis contextum; adversus tela & incendium: qua tecti oppugnatores muros appropinquabant. Subita testudo erat series scutorum supra capita sublatorum, continuata in morem squammarum.
s Secretæ & paucis notæ aut animadversæ, ψευδοθύριον.
t Priamum & Hecubam, socerum & socrum Andromaches.
u Filium Hectoris q. urbis principem ἄστεος ἄνακτα. dictum & Scamandrium, ab aliis Nesum.

Edu-

Eductam tectis, unde omnis Troja videri,
Et Danaum solitæ naves, & Achaica castra:
Aggressi ferro circum, qua summa labantes
Junctúras tabulata dabant, convellimus altis
Sedibus, impulimusque: ea lapsa repente ruinam
Cum sonitu trahit, & Danaum super agmina late
Incidit. ast alii subeunt; nec saxa, nec ullum
Telorum interea cessat genus.
Vestibulum ante ipsum, primoque in limine x Pyrrhus
Exultat telis, & luce coruscus y ahena.
☞ z Qualis ubi in lucem coluber a mala gramina pastus
Frigida sub terra tumidum quem bruma tegebat,
Nunc positis novus exuviis, nitidusque juventa,
Lubrica convolvit sublato pectore terga
Arduus ad solem, & b linguis micat ore trisulcis.
Una ingens Periphas, & equorum agitator Achillis,
Armiger Automedon: uno omnis c Scyria pubes
Succedunt tecto, & flammas ad culmina jactant.
Ipse inter primos correpta dura bipenni
Limina perrumpit, postesque à cardine vellit
Æratos. jamque excisa trabe, firma cavavit
Robora, & ingentem lato dedit ore fenestram.
Apparet domus intus, & atria longa patescunt:
Apparent Priami, & veterum penetralia regum:
d Armatosque vident stantes in limine primo.
At domus interior gemitu, miseroque tumultu
Miscetur: penitusque cavæ plangoribus ædes
Femineis ululant. ferit aurea sidera clamor.
Tum pavidæ tectis matres ingentibus errant,
Amplexæque tenent e postes, atque oscula figunt.
Instat vi patria Pyrrhus: nec claustra, nec ipsi
Custodes sufferre valent: labat f ariete crebro
Janua, & emoti procumbunt cardine postes.
Fit via vi: rumpunt aditus, primosque trucidant
Immissi Danai, & late loca milite complent.
☞ g Non sic aggeribus ruptis cum spumeus amnis
Exiit, oppositasque evicit gurgite moles,
Fertur in arva furens cumulo, camposque per omnes
Cum stabulis armenta trahit. vidi ipse furentem

x Achillis fil ex Deidamia Lycomedis filia.
y Armorum sc. ex ære, aut etiam ferro, pro quo æs a veteribus usurpatum. χαλκῷ δ' ὅπλων ἐπὶ χαὶ ὀρείτερος ἄνδρα μάχην Βερεκώς καὶ φάσμακα, &c. Il. 22. unde & Lycophroni dictus Σκύριος δράκων.
a Potentia ad λειχηνίδα exuendam. fœniculum. Plin. 8. 27. vel, ad venenum efficaciora. lege quæ Brodæus habet 28. c. 7. l. Misc.
b Lingua, quæ ob celerem motum triplex videtur.
c E Scyro insula, & patria Pyrrhi.
d Defensores regiæ, quos mox custodes vocat.
e Quos religione sacros & sibi familiares, extremo amplexu, osculo & vale dicto salutant.
f Aries erat trabs ingens ferro præmunita, transversis asseribus, intra testudinem plerumque suspensa librata quæ a multitudine retroacta ad majorem impetum, deinde emissa propellebatur ad quassanda, labefactanda, diruendaque mœnia.
g Οὔτε γὰρ ἀμπεδίον ποταμὸς πλήσαντι ἐοικὼς χαμάδις ῥέῳ, &c. Il. 8. & 5. Atque in hac simil. quadrata omnia.

Cæde

Cæde Neoptolemum, geminoſque in limine Atridas:
Vidi Hecubam, *h* centumque nurus, Priamumque per aras
Sanguine fœdantem, *i* quos ipſe ſacraverat ignes.
Quinquaginta illi thalami, ſpes tanta nepotum,
k Barbarico poſtes auro, ſpoliiſque ſuperbi
Procubuere: tenent Danai, qua deficit ignis.
Forſitan & Priami fuerint quæ fata, requiras.
Urbis ubi captæ caſum, convulſaque vidit
Limina tectorum, & medium in penetralibus hoſtem:
Arma diu ſenior deſueta trementibus ævo
Circumdat nequicquam humeris, & *l* inutile ferrum
Cingitur, ac denſos fertur moriturus in hoſtes.
m Ædibus in mediis, nudoque ſub ætheris axe
Ingens ara fuit, juxtaque veterrima laurus
Incumbens aræ, atque umbrâ complexa penates.
n Hic Hecuba, & natæ *o* nequicquam altaria circum,
Præcipites atra ceu tempeſtate columbæ
Condenſæ, & divum amplexæ ſimulacra tenebant.
Ipſum autem ſumptis Priamum juvenilibus armis
Ut vidit; Quæ mens tam dira, miſerrime conjux,
Impulit his cingi telis? aut quo ruis? inquit.
Non tali auxilio, nec defenſoribus iſtis
Tempus eget: non, ſi ipſe meus nunc afforet Hector.
Huc tandem concede; hæc ara tuebitur omnes;
Aut moriere ſimul. ſic ore effata, recepit
Ad ſeſe, & ſacra longævum in ſede locavit.
Ecce autem elapſus Pyrrhi de cæde Polites,
Unus natorum Priami, per tela, per hoſtes
Porticibus longis fugit, & vacua atria luſtrat
Saucius. illum ardens infeſto *p* vulnere Pyrrhus
Inſequitur: jam jamque manu tenet, & premit haſta.
Ut tandem ante oculos evaſit, & ora parentum,
Concidit, ac multo vitam cum ſanguine fudit;
Hic, Priamus, quanquam in *q* media jam morte tenetur,
Non tamen abſtinuit, nec voci, iræque pepercit.
At tibi pro ſcelere, exclamat, pro talibus auſis,
Dii (ſi qua eſt cœlo pietas, quæ talia curet)
Perſolvant grates dignas, & præmia reddant
Debita; qui nati coram me cernere lethum
Feciſti, & patrios fœdaſti funere vultus.
At non ille, ſatum quo te mentiris, Achilles
Talis *r* in hoſte fuit Priamo: ſed jura, fidemque
Supplicis erubuit, corpuſque exangue ſepulchro

h Quinquaginta filiorum uxores, natas totidem. vel numerum finitum pro infinito.
i Quos ipſe pervigiles ſacraverat in ara Jovis Hercei
k Phrygio. ſed Græcis ceteræ omnes gentes habitæ barbaræ.
l Utpote unius, illiuſque capularis ſenis.
m Intra ædium ſepta ἕρκεα, ſub dio & in impluvio erat ara Jovis, inde *Hercei* dicti, ut & penates hic culti.
m Huc, ad aſylum, confugerat Hecuba cum natis, nuribus, &c.
o Sed fruſtra, namque hinc per vim & ſcelus abſtractæ.
p Telo vulnus minante.
q Manifeſta, & certa.
r In me, utcunque hoſte, cui ſupplici & Hectoris cadaver redempturo jus fidemque ſervavit. Hom. Il. ult.

Reddidit Hectoreum, meque in mea regna remisit.
Sic fatus senior, telumque *f* imbelle sine ictu
Conjecit: rauco quod protinus *t* ære repulsum, 545
Et summo clypei *u* nequicquam umbone pependit.
Cui Pyrrhus; *x* Referes ergo hæc, & nuncius ibis
Pelidæ genitori; illi mea tristia fata,
Degeneremque Neoptolemum narrare memento. 549
Nunc morere. Hæc dicens, altaria ad ipsa tremen-
tem
Traxit, &, in multo lapsantem sanguine nati;
Implicuitque comam læva, dextraque coruscum
Extulit, ac lateri capulo tenus abdidit ensem.
Hæc finis Priami fatorum: hic exitus illum 554
Sorte tulit, Trojam incensam, & prolapsa videntem
Pergama, *y* tot quondam populis, terrisque superbum
y Regnatorem Asiæ. *z* jacet ingens littore truncus:
Avulsumque humeris caput, & *a* sine nomine corpus.
At me tum primum sævus circumstetit horror;
Obstupui. subiit chari genitoris imago, 560
Ut regem *b* æquævum crudeli vulnere vidi
Vitam exhalantem: subiit deserta Creüsa,
Et direpta domus, & parvi casus Jüli.
Respicio, & quæ sit me circum *c* copia lustro.
Deseruere omnes defessi, & corpora saltu 565
Ad terram misere, aut ignibus ægra dedere.
d Jamque adeo super unus eram, cum limina Vestæ
Servantem, & tacitam secreta in sede latentem
e Tyndarida aspicio: dant clara incendia lucem
Erranti, passimque oculos per cuncta ferenti. 570
Illa sibi infestos eversa ob Pergama Teucros,
Et pœnas Danaûm, & deserti conjugis iras
Permetuens, Trojæ & patriæ communis *f* Erynnis,
Abdiderat sese, atque *g* aris invisa sedebat.
Exarsere ignes animo: subit ira, cadentem 575
Ulcisci patriam, & *h* sceleratas sumere pœnas.
i Scilicet hæc *k* Spartam incolumis, patriasque *l* Mycenas
Aspiciet? partoque ibit regina triumpho?
Conjugiumque domumque, patres natosque videbit,

f Imbecille, invalidum, sine viribus ad ictum, & vulnus.
t Clypeo ereo.
u Nihil aut leviter penetrans.
x Sarcasmus.
y Ab Æsopo ad Calcum fl. extenso imperio, super principes octo, præter auxiliares & socios. Strab. 13. lib.
z Alludsum a Poeta volunt ad hist. Pompeji a Ptolemæi satellitibus cæsi, cujus truncus, capite abscisso, in littore jacuit. Negant enim Priamo ablatum caput aut in littore cecidisse. Alii a Pyrrho raptatum Priamum ferunt ad tumulum Achillis in Sigæo, ibique propelitus cæsum. Alii Trojam in littore conditam. adi Fr. Floridum l. 1. subcis. c. 10. Manilium clare. *Priamumque in litore truncum, cui nec Troja rogus.* 4. l. *a* Non agnoscendum, ablato capite. vel, sine honore sepulturæ & inscriptione nominis. *b* Patri meo æquævum. *c* Sociorum. *d* Versus 22. qui sequuntur, non admittunt quidam, ut qui Deiphobo casum suum referenti l. 6. Æn. non consonent, ideoque amoros a Tucca, Varoque, tanquam adulterini irrepserint. *e* Helenam Jovis e Leda Tyndari uxore filiam. *f* Furibundi hujus belli fax. *g* Ad quas confugerat. *h* De scelerata Helena. *i* Æstuans apud se deliberatio Æneæ Helenam stomachantis. *k* Suam patriam. *l* Menelai conjugis sibi patriam.

m Ilia-

m Iliadum turba, & Phrygiis comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troja arserit igni?
Dardanium toties sudarit sanguine littus?
Non ita. namque etsi nullum memorabile nomen
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem;
Extinxisse nefas tamen, & sumpsisse merentis
Laudabor pœnas: n animumque explesse juvabit
Ultricis flammæ, & o cineres satiasse meorum.
Talia jactabam: & furiata mente ferebar:
Cum mihi se, non ante oculis tam clara, videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, confessa deam, qualisque videri
Cœlicolis, & quanta solet: dextraque prehensum
Continuit, p roseoque hæc insuper addidit ore.
Nate, quis indomitas tantus dolor excitat iras?
Quid furis? aut quonam nostri tibi cura recessit?
Non prius aspicies, ubi fessum ætate parentem
Liqueris Anchisen? q superet conjuxne Creüsa,
Ascaniusque puer? quos omnes undique Grajæ
Circum errant acies: &, ni mea cura r resistat,
Jam flammæ s tulerint, inimicus & s hauserit ensis.
Non tibi Tyndaridis facies invisa Lacænæ,
Culpatusve Paris, verum inclementia divûm
Has evertit opes, sternitque à culmine Trojam.
Aspice (namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam: tu nequa parentis
Jussa time, neu præceptis parere recusa)
Hic, ubi disjectas moles, avulsaque saxis
Saxa vides, mistoque undantem pulvere fumum:
t Neptunus muros, magnoque emota tridenti
Fundamenta quatit, totamque à sedibus urbem
Eruit. hic u Juno Scæas sævissima portas
Prima tenet, sociumque furens à navibus agmen
Ferro accincta vocat.
x Jam summas arces Tritonia (respice) Pallas
Insedit, nimbo effulgens, & y Gorgone sæva.
Ipse Pater Danais animos, viresque secundas
Sufficit: ipse Deos in Dardana suscitat arma.
Eripe nate fugam, finemque impone labori.
Nusquam abero, & tutum patrio te limine sistam.
Dixerat; & spissis noctis se condidit umbris.

m Captivarum.
n Animum vindictæ cupidine inflammatum.
o Umbras civium & manes hac hostia, bis inferiis placasse.
p Æn. 1. *rosea cervice refulsit.* rosa flos Veneris.
q Supersit in vita.
r Restitisset.
s Tulisset & hausisset ensis inimicus.
t Neptuno murorum & fundamentorum discutiendi partes dat, ut qui θεμελιοῦχος, σεισίχθων, ἐννοσίγαιος.
u Junoni portas, ut quæ regnis præsideat.
x Palladi arces, ut quæ ipsius inventum & cura. *Pallas quas condidit arces Ipsa colat.* Et in arce Trojana præcipuus hujus Deæ cultus & Palladium, memor utraque judicii Paridis.
y Ægide in qua caput Medusæ. v. l. 8. Æneid. *ipsamque in pectore divæ Gorgona.*

Appa-

Apparent diræ facies, inimicaque Trojæ
Numina magna deûm.
Tum vero omne mihi visum considere in ignes
Ilium, & ex imo verti [z] Neptunia Troja.
☞ [a] Ac veluti summis antiquam in montibus ornum
Cum ferro accisam, crebrisque bipennibus instant
Eruere agricolæ certatim: illa usque minatur,
Et tremefacta comam concusso vertice nutat:
Vulneribus donec paulatim evicta, supremum
Congemuit, traxitque jugis avulsa ruinam.
Descendo, ac ducente [b] Deo flammam inter & hostes
Expedior: dant tela locum, [c] flammæque recedunt.
Ast ubi jam patriæ perventum ad limina sedis,
Antiquasque domus; genitor, quem tollere in altos
Optabam primum montes, primumque petebam,
Abnegat excisa vitam producere Troja,
Exiliumque pati. Vos ô quibus integer ævi
Sanguis, ait, solidæque suo stant robore vires,
Vos agitate fugam.
Me si cœlicolæ voluissent ducere vitam,
Has mihi servassent sedes. [d] satis una, superque
Vidimus excidia, & captæ superavimus urbi.
Sic ô, sic [e] positum affati discedite corpus.
Ipse [f] manu mortem inveniam, miserebitur hostis,
Exuviasque petet: [g] facilis jactura sepulchri est.
Jampridem invisus divis, & inutilis annos
Demoror, ex quo [h] me divûm pater, atque hominum rex
Fulminis afflavit ventis, & contigit igni.
Talia perstabat memorans, fixusque manebat.
Nos contra effusi lacrymis, conjuxque Creusa,
Ascaniusque, omnisque domus; ne vertere secum
Cuncta pater, fatoque urgenti incumbere vellet.
Abnegat, inceptoque, & sedibus hæret in iisdem.
Rursus in arma feror, mortemque miserrimus opto.
Nam quod consilium, aut quæ jam fortuna dabatur?
Mene efferre pedem, genitor, te posse relicto
Sperasti? [i] tantumque nefas patrio excidit ore?

[z] A Neptuno & Apolline condita aut muris cincta.
[a] Αἴγειρος ὥς &c. Il. 4. Ἀλλ' ὥς τις τ' ἐν ὄρεσσι πελωρίη ὤψοθι πεύκη, &c. Apoll. 4. Arg.
[b] Venere, numine Veneris, quæ mas & femina perhibetur, a Cypriis barbata culta. quin & θεοὺς utriusque esse generis autumant. vid. Macrob. 3. Saturn. 8. c.
[c] *Raptosque ex ignibus ignes, Cedentemque viro flammam qui templa ferebat.* Manil. 4. lib.
[d] Satis superque est, quod Trojam ab Hercule sub Laomedonte semel excisam vidimus, expugnatæ urbi superstites.
[e] Vox funebris & Libitinaria. Me pro mortuo & conclamato hic relinquite; ex more, ter Vale dicto. Æn. 11. *Æternumque Vale.*
[f] Vel mea, vel hostis, qui, si minus mei misereatur, ut spoliet tamen, adjutrice manu mortem meam promovebit.
[g] *Nec tumulum curo, sepelit natura relictos.* Mecœnas. *capit omnia tellus, Quæ genuit, cœlo tegitur qui non habet urnam.* Lucan.
[h] Gloriantem φιλότητι μιγήναι εὐστεφάνῳ Κυθηρείῃ. hym. Homer. oculis mulctavit.
[i] Tam iniquum de pietate mea judicium, ut velim te deserere cædi expositum; aut ut tu velis nos hic morantes una perire.

Si

Si nihil ex tanta ſuperis placet urbe relinqui,
Et ſedet hoc animo, perituræque addere Trojæ
Teque, tuoſque juvat: patet iſti janua letho:
Jamque aderit multo Priami de ſanguine Pyrrhus,
k Natum ante ora patris, patrem qui obtruncat ad aras.
Hoc erat, alma parens, quo me per tela, per ignes
Eripis? aut mediis hoſtem in penetralibus, utque
Aſcaniumque, patremque meum, juxtaque Creüſam
Alterum in alterius mactatos ſanguine cernam?
Arma, viri, ferte arma, vocat lux ultima victos,
Reddite me Danais; ſinite inſtaurata reviſam
Prælia. nunquam omnes hodie moriemur inulti.
Hic ferro accingor rurſus, clypeoque ſiniſtram
Inſertabam aptans, meque extra tecta ferebam.
l Ecce autem complexa pedes in limine conjux
Hærebat, parvumque patri tendebat Iülum;
Si periturus abis, & nos rape in omnia tecum!
Sin aliquam expertus ſumptis ſpem ponis in armis,
Hanc primum tutare domum. Cui parvus Iülus,
Cui pater, & conjux quondam tua dicta relinquor?
Talia vociferans, gemitu tectum omne replebat.
Cum ſubitum, dictuque oritur mirabile m monſtrum.
Namque manus inter, mœſtorumque ora parentum,
Ecce n levis ſummo de vertice viſus Iüli
Fundere lumen apex, tactuque innoxia molli
Lambere flamma comas, & circum tempora paſci.
Nos pavidi trepidare metu, crinemque flagrantem
Excutere, & ſanctos reſtinguere fontibus ignes.
At pater Anchiſes oculos ad ſidera lætus
Extulit, & cœlo palmas cum voce tetendit.
Jupiter omnipotens, precibus ſi flecteris ullis,
Aſpice nos; hoc tantum: & ſi pietate meremur,
Da deinde auxilium pater, atque hæc omina firma.
Vix ea fatus erat ſenior: ſubitoque fragore
Intonuit o lævum; & de cœlo lapſa per umbras
p Stella facem ducens multa cum luce cucurrit.
Illam ſumma ſuper labentem culmina tecti
Cernimus Idæa claram ſe condere ſylva,
Signantemque vias: tum longo limite ſulcus
Dat lucem, & late circum loca q ſulphure fumant.

k Politen in conſpectu Priami, ſupr.
l Ita Andromache Il. 6. Hectorem ad bellum prodeuntem remorari domique continere laborat. Παῖδ' ἐπὶ κόλπον ἔχουσα.
m Prodigium.
n Ignis lambens a capite diffuſus regni præſagium agnoſcit Anchiſes augurii non imperitus, cæteris timentibus. Alluſum volunt ad hiſt. Servii Tulli. v. Liv. de Lavinia, l. 7.
o Quod boni eſt ominis. Quæ enim nobis læva, a Diis dextra proveniunt. Vel, quia auſpicia captantibus & Meridiem ſervantibus, læva auguria ſunt ab Oriente, quæ melior cœli pars. Æneid. 9. plura.
p Et hæc etiam proſpera, firmat omen, ſignatque viam fugæ, ducto claro lucis tractu ab Anchiſæ domo ad Antandrum ſub Ida.
q Sulphureæ materiæ fuiſſe fulmina, faces & alios ignes divinos opinabantur veteres, atque hinc θεῖον ſulphuri nomen.

Hic

Hic vero victus genitor se tollit ad auras,
Affaturque deos; & sanctum sidus adorat.
Jam jam nulla mora est; sequor, & qua ducitis, adsum.
Dii patrii servate [r] domum, servate nepotem:
Vestrum hoc augurium, [s] vestroque in numine Troja est:
Cedo equidem, nec, nate, tibi comes ire recuso.
Dixerat ille: & jam per mœnia clarior ignis
Auditur, propiusque æstus incendia volvunt.
Ergo age, chare pater, [t] cervici imponere nostræ:
Ipse subibo humeris, nec me labor iste gravabit:
Quo res cunque cadent unum & commune periclum,
Una salus ambobus erit: mihi parvus Iulus
Sit comes, & [u] longe servet vestigia conjux.
Vos famuli, quæ dicam animis advertite vestris.
Est urbe egressis tumulus, templumque vetustum
[x] Desertæ Cereris juxtaque antiqua [y] cupressus
Relligione patrum multos servata per annos.
Hanc ex diverso sedem veniemus in unam.
Tu, genitor, cape sacra manu, patriosque penates:
[z] Me bello è tanto digressum, & cæde recenti,
Attrectare nefas, donec me flumine vivo
Abluero.
Hæc fatus, [a] latos humeros, subjectaque colla
Veste super, fulvique insternor pelle leonis,
Succedoque oneri dextra se parvus Iülus
Implicuit, sequiturque patrem non passibus æquis.
Pone subit conjux, ferimur per opaca locorum:
Et me, quem dudum non ulla injecta movebant
Tela, neque adverso glomerati ex agmine Graji,
Nunc omnes terrent auræ, sonus excitat omnis
Suspensum, & pariter comitique onerique timentem.
Jamque propinquabam portis, omnemque videbar
Evasisse viam, subito cum creber ad aures
Visus adesse pedum sonitus. [b] genitorque per umbram
Prospiciens, Nate, exclamat, fuge nate, propinquant;
Ardentes clypeos, atque æra micantia cerno.
Hic mihi nescio, quod trepido [c] male numen amicum

[r] Familiam, genus.
[s] Arbitrio vestro cadit antiqua Troja, stabit nova.
[t] Adi Senecam 3. l. Benefic. c. 37. ubi hanc Æneæ ut & Cataneorum fratrum pietatem examinat, vide & Æliani var. hist. l. 3. c. 22. & Q. Calabrum l. 13.
[u] E longinquo sequatur, ne ab hoste advertamur multi simul.
[x] An quia Cereris fana in recessibus semper fundata, ad memoriam derelictæ Cereris & orbatæ filia rapta? An quia arvorum Dea, extra urbem posita? an quia cultus jam desuetus per decennalem obsessionem?
[y] Quæ arbor Diti sacra. & funeribus devota juxta aras & templa conseri solita.
[z] A cæde, aut etiam funere venientibus nefas sacra adire, nisi fluviali aqua prius lotis ac purificatis.
[a] Ὡς παῖς ἐσθλὸς ἀμύμονος Αγχίζας Αστυλιπὼν, δηίοισι καταιθόμενον πυρὶ πολλῷ, Υἷα καὶ πατέρα σφὸν ἀναρπάζας, φορέεσκε, Τὸν μὲν ἐπὶ πλατὺν ὦμον ἐφεσσάμενος, &c. Quintus Calaber l. 13.
[b] Anchises territus pavensque videtur sibi per imaginationis umbram videre quæ non sunt, certe, quæ cæco, utpote fulminis afflato ventis, conspici nequaquam possent.
[c] Inimicum numen, infestus Dæmon, aut etiam Deus, quem malorum æque ac bonorum authorem dixere gentes.

Con-

Confusam eripuit mentem: namque avia cursu
Dum sequor, & nota excedo regione viarum,
Heu misero conjux fatone erepta Creüsa
Substitit, erravitne via, seu lassa resedit,
Incertum: *d* nec post oculis est reddita nostris.
Nec prius amissam respexi, animumque reflexi,
Quam *e* tumulum antiquæ Cereris, sedemque sacratam
Venimus: hic demum collectis omnibus, una
Defuit, & comites, natumque virumque fefellit.
Quem non incusavi amens hominumque deorumque?
Aut quid in eversa vidi crudelius urbe?
Ascanium, Anchisenque patrem, Teucrosque penates
Commendo sociis & curva valle recondo.
Ipse urbem repeto, & cingor fulgentibus armis.
Stat casus renovare omnes, omnemque reverti
Per Trojam, & rursus caput objectare periclis.
Principio muros, *f* obscuraque limina portæ,
Qua gressum extuleram, repeto; & *g* vestigia retro
Observata sequor per noctem & *h* lumine lustro.
Horror ubique animos, simul ipsa silentia terrent.
Inde domum si forte pedem si forte tulisset,
Me refero: irruerant Danaï, & tectum omne tenebant.
Ilicet ignis edax summa ad vestigia vento
Volvitur; exsuperant flammæ; furit æstus ad auras.
Procedo ad *i* Priami sedes, arcemque revisо.
Et jam porticibus *k* vacuis, Junonis asylo
Custodes lecti Phœnix, & dirus Ulysses
Prædam asservabant. huc undique Troïa *l* gaza
Incensis erepta adytis mensæque deorum,
Crateresque auro solidi, captivaque *m* vestis
n Congeritur. *o* pueri & pavidæ longo ordine matres
Stant circum.
Ausus quin etiam voces jactare per umbram,
Implevi clamore vias: mœstusque Creüsam
Nequicquam ingeminans, iterumque iterumque vocavi.
Quærenti, & tectis urbis sine fine furenti
Infelix simulacrum, atque ipsius umbra Creusæ
Visa mihi ante oculos & *p* nota major imago.
Obstupui, *q* steteruntque comæ, & vox faucibus hæsit.
Tum sic affari, & curas his demere dictis:
Quid tantum *r* insano juvat indulgere labori,
O dulcis conjux? non hæc sine numine divûm

d Umbra tantum illius apparuit, ut mox.
e De quo modo dictum, nota K.
f Per noctem. Alii leg. *obsessaque limina portæ.*
g Viam remetior.
h Oculis. non face nec incendii lumine.
i Qui Creusæ pater.
k Amplis.
l Vox Perfica, quæ regiam pecuniam & ærarium proprie significat.
m Vestes & ornamenta simulachrorum.
n In commune præda postea dividenda.
o Captivi abducendi.
p Territis imagines apparent augustæ, humanis & notis majores.
q Stupore adeo lapsus est in quantitate syllabæ cui corripiendæ Grammatici Systolen adhibent. *r* Immenso & inutili vehementi.

Eve-

Eveniunt; nec te hinc comitem asportare Creüsam
Fas: haud *s* ille sinet superi regnator Olympi.
Longa tibi exilia, & vastum maris æquor arandum.
Ad terram Hesperiam venies: ubi *t* Lydius, arva
Inter opima virûm, leni fluit agmine Tibris.
Illic res lætæ, regnumque, & regia conjux
Parta tibi: lacrymas *u* dilectæ pelle Creüsæ.
x Non ego Myrmidonum sedes, Dolopumve superbas
Aspiciam: aut Grajis servitum matribus ibo
Dardanis, & divæ Veneris nurus:
y Sed me magna deûm genitrix his detinet oris.
Jamque vale, & nati serva communis amorem.
Hæc ubi dicta dedit, lacrymantem & multa volentem
Dicere, deseruit, tenuesque recessit in auras.
z Ter conatus ibi collo dare brachia circum;
Ter frustra comprensa manus effugit imago
Par levibus ventis, volucrique simillima somno.
Sic demum socios, consumpta nocte, reviso,
Atque hic ingentem comitum affluxisse novorum
Invenio admirans *a* numerum, matresque, virosque,
Collectam exilio pubem, miserabile vulgus.
Undique convenere, animis opibusque parati,
In quascunque velim pelago deducere terras.
Jamque *b* jugis summæ surgebat Lucifer Idæ,
Ducebatque diem: Danaique obsessa tenebant
Limina portarum; nec spes *c* opis ulla dabatur.
Cessi, & sublato montem genitore petivi.

s Δεικτικῶς digito in cœlum intento.
t Thuscus. Namque Lydi, Tyrrheno duce, in hac Italiæ parte consederant, *ubi Lydia quondam Gens bello præclara, jugis insedit Hetruscis*, l. 8. & 10.
u Super me Creusa tibi dilecta.
x Neque enim in manus hostium veni inter captivas abducenda.
y De Creusa memoriæ proditum est (inquit Pausanias in Phocicis) a Deum matre & Venere Græcis præreptam esse, & vindicatam in libertatem. *z* Τρὶς μὲν ἐφορμήθην, ἑλέειν τέ μι θυμὸς ἄνωγε, Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ ἴκελον, ἢ καὶ ὀνείρῳ Ἔπτατο. Odyss. 11. *a* Si Dareti Phrygio credimus. 3400. *b* Sol & stellæ Poetis, ex opinione & sensu vulgi dicuntur montes prospicere & ex pelago oriri. *c* Servandæ aut recuperandæ urbis.

ÆNEIDOS LIB. III.

ARGUMENTUM.

EVersa Troja, Æneas collectis suorum reliquiis, quæ cædi flammisque supererant, parataque apud Antandrum viginti navium classe, primum in Thraciam defertur: ubi cum futuræ urbis fundamenta poneret, territus Polydori a Polymnestore cæsi prodigiis, Delum petit. Consultoque sibi Apollinis oraculo, cum antiquam gentis suæ matrem, hoc est, primam originis suæ terram repetendam didicisset, falsa Anchisæ patris interpretatione adductus, Cretam contendit. Verum cum ibi quoque, positis jam mœnibus, gravissima peste exagitaretur, in somnis monitus a diis penatibus, relicta Creta Italiam petit. Ibi subito oborta tempestate, primum ad Strophades insulas appulsus, ab Harpyis infestatur, mox Actium delatus, in honorem Apollinis ludos celebrat. Inde Corcyram

ram prætervectus; Epirum tenet: quæ id temporis Heleno Priami filio parebat, cui post Pyrrhi cædem Andromache in conjugium cesserat. Helenus Æneam hospitio excepit, omnique humanitatis genere complectitur, imminentiumque terra marique periculorum certiorem facit. Æneas, relicta Epiro, Tarentum, primamque Italiæ oram prætervectus, ad eam Siciliæ partem, quæ Ætnæ monti adjacet, appellitur. Ibi Achæmenidem ab Ulysse in Cyclopis antro desertum, supplicem recipit, edoctusque ab eo de Cyclopum feritate, inde anchoras solvit: memorque præceptorum Heleni, vitatis Charybdis & Scyliæ periculis, Siciliæ litora longo circuitu circumvectus, tandem Drepanum advehitur, ubi Anchises tum senio, tum longæ navigationis jactatione fatigatus fatis concedit. Inde Italiam petiturus immissa ab Æolo subita tempestate, in Africam ejicitur: quam partem libro primo exsequitur.

POstquam [a] res Asiæ, Priamique evertere gentem
[b] Immeritam visum superis, ceciditque superbum
Ilium, & omnis humo fumat [c] Neptunia Troja:
Diversa exilia, & [d] desertas quærere terras
[e] Auguriis agimur divûm: classemque sub ipsa
[f] Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ,
Incerti quo fata ferant, ubi sistere detur:
Contrahimusque viros, vix prima inceperat æstas;
Et pater Anchises dare fatis vela jubebat.
Litora tum patriæ lacrymans, portusque relinquo,
[g] Et campos, ubi Troja fuit. feror exul in altum
Cum sociis, natoque, [h] penatibus, & magnis diis.
Terra procul vastis colitur [i] Mavortia campis,
(Thraces arant) [k] acri quondam regnata Lycurgo;
[l] Hospitium antiquum Trojæ sociique penates,
Dum fortuna fuit. feror huc, & littore curvo
Mœnia prima loco, fatis ingressus iniquis;
[m] Æneadasque meo nomen de nomine fingo.
Sacra [n] Dionææ matri, divisque ferebam
Auspicibus cœptorum operum, superoque [o] nitentem
Cœlicolûm regi mactabam in littore [p] taurum.
Forte fuit juxta tumulus, [q] quo cornea summo

[a] Imperium Trojanum, florentissimum in Phrygia minore, quæ in Asia, *Columen eversum occidit Pollentis Asiæ.* Sen. Troj.
[b] Invidiose, in Deos & fata rejectum.
[c] A Neptuno mœnibus cincta.
[d] Ab incolis desertas. adeoque vacuas. *vel*, a Dardano quondam derelictas, Italas sc. *hinc Dardanus ortus, Huc repetit.* 7. Æn.
[e] Imperiis, fatis, oraculis, prodigiis, ut priore lib.
[f] Oppido ad radicem montis in quo Paris inter Deas judicarat. montes autem Idæ numerant 4 Phalacran, Lecton, Pergamon, Gargaron.
[g] *Ecce*, inquit Macrobius l. 5. c. 1. *pauciſsimus verbis maximam civitatem hauſit & abſorpſit: non reliquit illi nec ruinam.* quam tamen dilataverat. l. 2. *venit ſumma dies*, &c.
[h] De penatibus l. 1. & alibi. magni Dii sunt illi majorum gentium, Jupiter, Neptunus. Apollo, &c. Enniano disticho inclusi.
[i] Bellicosa. unde Marti patria assignatur.
[k] Severo. vites enim omnes succidi jussit, exosus Thracum ebrietatem
[l] Jus hospitale, & religiosa societatis fœdera.
[m] Ænon Thraciæ opp. ab Ænea conditum agnoscunt Geographi.
[n] Veneri, Jovis ex Dione filiæ.
[o] Nitidum, utpote pinguem & saginatum, *vel*, candidum, ex religione, quia Diis superis candidæ offerebantur victimæ, Diis inferis nigræ.
[p] Sacrificium non litabant, itaque monstro secuturo prævium. Alii tamen taurum rite Jovi immolari tradunt.
[q] Ex corno arb. semina, quæ fruticosa.

Virgulta

Virgulta, & denſis haſtilibus horrida r myrtus.
Acceſſi, viridemque ab humo convellere * ſylvam
Conatus, ramis tegerem ut frondentibus aras:
Horrendum & dictu video mirabile monſtrum.
Nam, quæ prima ſolo ruptis radicibus * arbos
Vellitur, huic atro liquuntur ſanguine guttæ;
Et terram tabo maculant. mihi frigidus horror
Membra quatit, gelidusque coit formidine ſanguis.
Rurſus & alterius lentum convellere * vimen
Inſequor, & cauſas penitus tentare latentes:
Ater & alterius ſequitur de cortice ſanguis.
Multa movens animo, ſ nymphas venerabar agreſtes,
t Gradivumque patrem, Geticis qui præſidet arvis:
u Rite ſecundarent viſus, omenque levarent.
Tertia ſed poſtquam majora * haſtilia nixu
Aggredior: genibuſque adverſæ obluctor arenæ;
(Eloquar, an ſileam?) gemitus lacrymabilis imo
Auditur tumulo, & vox reddita fertur ad aures.
Quid miſerum, Æneа, laceras? jam parce ſepulto.
Parce pias ſcelerare manus. x non me tibi Troja
Externum tulit; haud cruor hic de ſtipite manat.
Heu fuge crudeles terras, fuge littus avarum:
Nam Polydorus ego: hic confixum y ferrea texit
Telorum y ſeges, & jaculis increvit acutis.
Tum vero ancipiti mentem formidine preſſus
z Obſtupui: ſteteruntque comæ, & vox faucibus hæſit.
a Hunc Polydorum auri quondam cum pondere magno
Infelix Priamus furtim mandarat alendum
b Threicio regii c cum jam diffideret armis
Dardaniæ, cingique urbem obſidione videret.
Ille, ut opes fractæ Teucrûm, & fortuna receſſit,
Res Agamemnonias, victriciaque arma ſequutus,
d Fas omne abrumpit: Polydorum obtruncat, & auro
Vi potitur. *Quid non mortalia pectora cogis*
Auri e ſacra fames? poſtquam pavor oſſa reliquit,
Delectos populi ad proceres, primumque parentem
Monſtra Deûm refero, & quæ ſit ſententia poſco.
Omnibus idem animus, ſcelerata excedere terra,
Linquere pollutum hoſpitium, & dare f claſſibus Auſtros.

r *At myrtus validis haſtilibus, & bona bello Cornus*, 2. Georg. * Frondes, frutices.

ſ Hamadryades, arborum præſides & inquilinas nativas.

t Gradivumque patrem, Geticis qui præſidet arvis: veritus ne forte ipſarum ſanguinem elicuiſſem.

t Martem, Thraciæ præſidem & Deum.

u Monſtrum hoc in melius verterent.

x Sed civem, propinquum, cognatum.

y Jacula cornea myrteaque ferro armata, quæ e ſepulchro enata conſtituunt hoc virgultum. Alluſumque volunt ad haſtam a Romulo ex Aventino in palatium jactam, quæ radice acta in arborem excrevit.

z Idem habetur verſus ſub fine ſec. lib. quem adi.

a Adi Euripidis Hecubam, & Ovid. 13. Met. & Dictyn. Cret.

b Polymneſtori, cui Ilione maxima natarum Priami nupſerat.

c In ſpem reſtaurandi regni Troj. quod ipſe Priamus in ſe redempto expertus fuerat. *Conſilium ſapiens, ſceleris niſi præmia magnas Adjeciſſet opes.* 13. Met. Ovid.

d Jus hoſpitale & ſocia fœdera violat.

e Exſecranda cupido.

f Hypallage.

Ergo g instauramus Polydoro funus, & ingens
Aggeritur tumulo tellus: stant manibus aræ
Cæruleis mœstæ vittis, atraque cupresso:
Et circum Iliades crinem de more solutæ,
Inferimus tepido spumantia cymbia lacte,
Sanguinis & sacri pateras, animamque sepulchro
Condimus, & magna supremum voce ciemus.
Inde, ubi prima h fides pelago, placataque venti
Dant maria, & lenis crepitans vocat Auster in altum;
Deducunt socii naves, & littora complent.
Provehimur portu: i terræque urbesque recedunt.
Sacra mari colitur medio gratissima k tellus
l Nereïdum matri, & Neptuno m Ægæo:
Quam n pius o Arcitenens, oras & littora circum
Errantem, p Mycone celsa Gyaroque revinxit:
Immotamque coli dedit, & q contemnere ventos.
Huc feror, hæc fessos tuto placidissima portu
Accipit. egressi veneramur Apollinis urbem.
Rex r Anius, rex idem hominum, Phœbique sacerdos,
Vittis & sacra redimitus tempora lauro,
Occurrit, veterem Anchisen agnoscit amicum.
Jungimus hospitio dextras, & tecta subimus.
Templa dei s saxo venerabar structa vetusto.
Da propriam, t Thymbræe, domum, da mœnia fessis,
Et genus, & mansuram urbem: serva altera Trojæ
Pergama relliquias Danaûm, atque immitis Achilli.
Quem sequimur? quove ire jubes? ubi ponere sedes?
Da, pater, augurium, atque animis illabere nostris.
Vix ea fatus eram: tremere omnia visa repente,
Liminaque, laurusque dei, totusque moveri
Mons circum, & mugire u adytis x cortina reclusis.

g Errantes Polydori manes revocamus, placamus; ac rite condimus sepulchro; honore adhibito tumuli, geminæ aræ, vittis & funerea cupresso velatæ, luctu solenni; inferiis novi lactis & sanguinis hostiarum; supremo Vale dicto. adi 6. l. in funere Misseni, & 11. l. fun. Pallantis.

h Per opportunam anni tempestatem, cœli clementiam, maris tranquillitatem.

i Oculus quippe nos quiescere judicans, motu conspecto quasi semet retractans, terram retro tendere opinatur. k Delos inf. dicta prius Ortygia. l Doridi. m Ægea urbs erat Euboeæ, ubi templum Neptuni Ægæi. Strabo lib. 9. unde & nomen mari Ægæo. quod tamen alii a scopulo αἴγα referente dictum autumant: alii a fluctibus protervis & αἰγῶν more insultantibus. n In matrem, quam ultus est Pythone interempto, in natalem Delon, quam prius errantem fixit. o Apollo, κλυτότοξος, ἀργυρότοξος. p Insula, quæ Ovid. 7. Met. *humilis*, sed in qua mons celsus Dimastus. q Non ultra ventis agi, aut moveri. r Filius Apollinis ex Staphyli filia, quem regno & sacerdotio Deli pater honoravit. Quin & olim apud varias gentes ipsi Reges atque Imperatores, iidem Sacerdotes erant & Pontifices. s Ubi templum Delphicum, aliaque in Græcia incendiis, prædonibus, ac terræ motibus diruta essent, Delium intactum semper manebat eodem saxo. Macrob. 3. l. 6. c. Sat- t Apollo, cui templum fuerat cultusque in Thymbræo campo prope Trojam. u Adytum erat secretior templi pars, ubi pegma exstructum & ——— x ——— Tripos, quem Pythia oraculum editura conscendebat, cujus velamentum erat ex ære, vel auro. hæc, cortina dicebatur. 6. l. Æn. adi Diodorum Sic. lib. 16. de origine Delphici oraculi differentem. Vide quæ & nos ad Senecæ Oedip. v. 33.

Sub-

Submissi petimus terram, & vox fertur ad aures:
[y] Dardanidæ [z] duri, quæ vos à stirpe parentum
Prima tulit tellus, eadem vos ubere læto
Accipiet reduces: [a] antiquam exquirite matrem,
Hic [b] domus Æneæ cunctis dominabitur oris,
[c] Et nati natorum, & qui nascentur ab istis.
Hæc Phœbus: mistoque ingens exorta tumultu
Lætitia, & cuncti, quæ sint ea mœnia, quærunt,
Quo Phœbus vocet errantes, jubeatque reverti.
Tum genitor, veterum volvens monumenta virorum,
Audite, ô proceres, ait, & spes discite vestras.
Creta Jovis magni medio jacet insula [d] ponto:
Mons Idæus ubi, & gentis cunabula nostræ.
[e] Centum urbes habitant magnas, uberrima regna:
Maximus unde pater (si rite audita recordor)
Teucras [f] Rhœteas primum est advectus ad oras,
[g] Optavitque locum regno, nondum Ilium, & arces
Pergameæ steterant: habitabant vallibus imis.
[h] Hinc mater cultrix Cybele, Corybantiaque æra,
Idæumque nemus; hinc fida silentia sacris;
Et juncti currum dominæ subiere leones.
Ergo agite, & divûm ducunt qua jussa, sequamur.
Placemus ventos, & [i] Gnossia regna petamus;
Nec longo distant cursu: (modo Jupiter adsit)
Tertia lux classem Cretæis sistet in oris.
Sic fatus, meritos aris mactavit honores;
Taurum Neptuno, taurum tibi, pulcher Apollo,
Nigram [k] Hyemi pecudem, Zephyris felicibus albam.
Fama volat [l] pulsum regnis cessisse paternis
Idomenea ducem, desertaque litora Cretæ,
Hoste vacare domos, sedesque astare relictas.
Linquimus [m] Ortygiæ portus, pelagoque volamus,

[y] A Dardano oriundi, qui & ipse ortum habuit ex Italia, quam vel hinc innuere voluit Oraculum ab illis repetendam.
[z] Variis laboribus exerciti.
[a] Terram patriam. Allusum simul ad historiam Bruti & Tarquiniorum Liv. 1.
[b] Æneæ posteri in Italia, Roman. Imperium.
[c] Καὶ παῖδες παίδων, τοίκεν μετόπισθε γένωνται. Iliad. 20.
[d] Mediterraneo.
[e] Ἑκατόμπολιν Cretam.
[f] Phrygias, a Rhœtea Trojæ promontorio.
[g] Elegit.
[h] Hinc æ Teucro inductus cultus matris Cybeles, Corybantum cymbala quibus Jovis nascentis vagitus celabatur; Idæ nomen & religio; silentium in sacris; Deæ *Turrigeræque urbes, bijugique ad fræna leones.* ut 10. l. Æneid. [i] Cretam. cujus urbes insignes, Gortyne, Cydon, Cnossus. [k] Tempestati, pro Deo consecratæ a Romanis. Cicero 3. de Natura Deorum. *Caper & agna tempestatibus.* Horatius Epod. 10. & Aristoph. in Ranis, ejusque Scholiastes. [l] Regno a suis pulsum, quod a Troja redeunti sibi filium gratulatum progressum immolare parabat; ex voto, oblaturum se quod primum occurreret. Alii tradunt prohibitum regno a Leucone, qui Idomenei in bello Trojano absentis, uxorem vitiarat, & regnum occupaverat. [m] Deli, ita appellatæ ab ea Ortygia quæ in Ætolia est. Alii a coturnicibus, quæ ὄρτυγες, & ibi frequentes.

[n] Bacchatamque jugis Naxon, [o] viridemque Donysam,
Oliaron, [p] niveamque Paron, [q] sparsasque per æquor
Cycladas, & crebris legimus freta consita terris.
[r] Nauticus exoritur vario certamine [r] clamor:
Hortantur socij, Cretam proavosque petamus.
Prosequitur surgens à puppi ventus euntes,
Et tandem antiquis [s] Curetum allabimur oris.
Ergo avidus muros aptatæ molior urbis,
[t] Pergameamque voco, & lætam cognomine gentem
Hortor amare [u] locos, arcemque attollere tectis.
Jamque fere sicco subductæ litore puppes:
[x] Connubiis, arvisque novis operata juventus:
Jura domosque dabam, subito cum tabida membris,
Corrupto cœli tractu, miserandaque venit
Arboribusque satisque [y] lues, & lethifer annus.
Linquebant dulces animas, aut ægra trahebant
Corpora: tum steriles exurere [z] Sirius agros;
Arebant herbæ, & victum seges [a] ægra negabat.
Rursus ad oraclum [b] Ortygiæ, Phœbumque remenso
Hortatur pater ire mari, veniamque precari:
Quem fessis finem rebus ferat; unde laborum
Tentare auxilium jubeat, quo vertere cursus.
Nox erat, & terris animalia somnus habebat.
Effigies sacræ divûm, [c] Phrygiique penates,
Quos mecum à Troja, mediisque ex ignibus urbis
Extuleram, visi ante oculos astare jacentis
In somnis, multo manifesti lumine, qua se
Plena per [d] insertas fundebat Luna fenestras.
Tum sic affari, & curas his demere dictis:
Quod tibi delato Ortygia dicturus Apollo est,
Hic canit, & tua nos en ultro ad limina mittit.
Nos te, Dardania incensa, tuaque arma secuti;
Nos tumidum sub te permensi classibus æquor,
Iidem venturos tollemus in astra nepotes,
Imperiumque [e] urbi dabimus. tu mœnia [f] magnis

[n] Bacchi Orgiis celebratam. ut 2. Georgic. *Virginibus bacchata Lacænis Taygeta.* Alii *Baccatam* leg. i. vitibus consitam.
[o] A pabulo quo abundat? an a marmore viridi insignem insulam?
[p] Niveo marmore nobilem.
[q] Unde & σποράδες dictæ hæ insulæ. & *freta hæc terris consita.* Præferunt alii lectionem *concita* æstu scil. crebro & reciprocis undis.
[r] Hortantium se invicem, κέλευσμα.
[s] Qui primi ins. Cretæ cultores.
[t] Urbem. Pergamum inter Cretæ urbes agnoscunt Geographi vet.
[u] Domos privatas exstruere, & arcem juxta in editiore loco ad defensionem. [x] Conjugiis fundare familias, agros signare & colere cœpere juvenes: sed non nisi auspiciis sumptis & peractis sacris. [y] Pestis. redi ad 3. Georg. sub fin. libri. [z] Stella in ore Canis. *Iam rapidus torrens sitientes Sirius Indos Ardebat*, &c. Georgic. [a] Et ipsa lue tacta. [b] Deli, supra. [c] De his lib. 1. & 2. supra. [d] *Cum lumina Solis insertim fundunt radios per opaca domorum.* Lucan. 2. [e] Romæ. [f] Nepotibus, posteris. vaticinium Calchantis de Æneæ nepotibus & Romano Imperio lege apud Q. Calabrum lib. 13.

Magna

Magna para, longumque fugæ ne linque laborem.
Mutandæ sedes; non hæc tibi littora suasit
Delius, aut Cretæ jussit considere Apollo.
g Est locus (Hesperiam Graji cognomine dicunt)
Terra antiqua, potens armis, atque ubere gleba:
Oenotrii coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse, ducis de nomine gentem.
Hæ nobis propriæ sedes; hinc h Dardanus ortus,
h Iasiusque pater, genus à i quo principe nostrum.
Surge age, & hæc lætus longævo dicta parenti
Haud dubitanda refer. k Coritum, terrasque require
l Ausonias. Dictæa negat tibi Jupiter arva.
Talibus attonitus visis, ac voce deorum
(Nec sopor illud erat, sed coram agnoscere vultus,
m Velatasque comas, præsentiaque ora videbar:
Tum gelidus toto manabat corpore sudor)
Corripio è stratis corpus, tendoque supinas
Ad cœlum cum voce manus, & munera libo
n Intemerata focis. perfecto lætus o honore
Anchisen facio certum, remque ordine pando.
p Agnovit prolem ambiguam, geminosque parentes,
Seque novo veterum deceptum errore locorum.
Tum memorat; Nate Iliacis exercite fatis,
Sola mihi tales casus Cassandra canebat.
Nunc repeto hæc generi portendere debita nostro,
Et sæpe Hesperiam, sæpe Itala regna vocare.
Sed quis ad Hesperiæ venturos littora Teucros
Crederet? q aut quem tum vates Cassandra moveret?
Cedamus Phœbo, & moniti meliora sequamur.
Sic ait: & cuncti dictis paremus ovantes.
Hanc quoque deserimus sedem paucisque relictis
Vela damus, vastumque cava trabe currimus æquor.
Postquam altum tenuere rates, r nec jam amplius ullæ
Apparent terræ, cœlum undique, & undique pontus:
Tum mihi cæruleus supra caput adstitit imber,
s Noctem, hyememque ferens, & inhorruit unda tenebris.
Continuo venti volvunt mare, magnaque surgunt
Æquora, dispersi jactamur gurgite vasto.

g Habentur quatuor hi versus l. 1. ex ore Ilioneï. Adi.
h Iasius & Dardanus filii Coriti regis Hetruriæ, de hæreditate patris defuncti decertarunt. Siculus Hispaniæ rex Atlantis filius litteris Iasii accitus fratres pacavit. Dardanus postea Iasium fratrem per scelus interceptum peremit. Quod parricidium ulturus avunculus Siculus Dardanum Hetruria expulit. Ille primum Samothraciam, inde in Asiam delatus, Ilium condidit. ab illo Erichthonius, Tros, Ilus, Laomedon, Priamus.
i Dardano.
k Hetruriæ opp. a Corito rege, nota præced.
l Italas, ab Ausone Ulyssis & Calypsus filio. m Vittatas. n Rite perfecta. o Sacrificio. p Agnovit statim errorem suum, ex geminis originis autoribus, Dardano ex Italia, Teucro ex Creta profecto. q Vaticiniorum fide sublata, *Dei jussa non unquam credita Teucris.* supra. Æneid. 2. adi. r Οὐδέ τις ἄλλη Φαίνετο γαιάων, ἀλλ' οὐρανὸς ἠδὲ θάλασσα. Δὴ τότε κυανέην νὺφ' ἑλίκην. Odyss. 12. s Caliginem & tempestatem.

Involvêre diem nimbi, & nox humida cælum
Abstulit; [t] ingeminant abruptis nubibus ignes.
Excutimur cursu, & cæcis erramus in undis.
Ipse diem, noctemque negat discernere cœlo,
Nec meminisse viæ media [u] Palinurus in unda.
Tres adeo incertos cæca caligine [x] soles
Erramus pelago, totidem sine sidere noctes.
Quarto terra die primum se attollere tandem
Visa, aperire procul montes, ac volvêre fumum.
Vela cadunt: remis insurgimus; haud mora, nautæ
Adnixi torquent spumas, & cærula verrunt.
Servatum ex undis [y] Strophadum me littora primum
Accipiunt. Strophades Grajo stant nomine dictæ
Insulæ in Iônio magno: quas dira Celæno,
[z] Harpyiæque colunt aliæ: [a] Phineïa postquam
Clausa domus, mensasque metu liquere priores.
Tristius haud illis monstrum, nec sævior ulla
Pestis, & ira deûm Stygiis sese extulit undis.
Virginei volucrum vultus, fœdissima ventris
[b] Proluvies, uncæque [c] manus, & pallida semper
Ora fame.
Huc ubi delati portus intravimus, ecce
Læta boum passim campis armenta videmus,
Caprigenumque pecus, nullo custode, per herbam.
Irruimus ferro, & divos, ipsumque [d] vocamus
In prædam partemque Jovem. tunc littore curvo
Exstruimusque toros, dapibusque epulamur opimis.
At subito horrifico lapsu de montibus adsunt
Harpyiæ, & magnis quatiunt clangoribus alas.
Diripiuntque dapes, contactuque omnia fœdant
Immundo: tum vox tetrum dira inter odorem.
Rursum in secessu longo sub rupe cavata,
Arboribus clausi circum, atque horrentibus umbris
Instruimus mensas, [e] arisque reponimus ignem.
Rursum ex [f] diverso cœli, cæcisque latebris
Turba sonans prædam pedibus circumvolat uncis;
Polluit ore dapes. sociis tunc, arma capessant,
Edico, & dira bellum cum gente gerendum.
Haud secus, ac jussi faciunt, tectosque per herbam
Disponunt enses, & scuta latentia condunt.

[t] Micant fulgura, crepant tonitrua.
[u] Gubernator regiæ navis. de quo v. l. 5.
[x] Dies.
[y] Ἀπὸ τ῀ στροφῆς. quod Calais & Zethus Boreæ filii alati huc usque Harpyias persequuti, revertebantur in Arcadiam ab Iride moniti ne ulterius Jovis canes persequerentur. cum prius Plotæ dictæ fuissent hæ insulæ.
[z] Monstra volucria & rapacia, unde & nomen, tria, Aello, Ocypete, Celæno.
[a] Phineus rex Arcadiæ liberos ex priore uxore, suasu Harpalices superductæ iis novercæ excæcavit. Hanc impietatem Dii ulti & ipsum oculis privarunt, missis insuper his monstris, quæ cibos ejus fœdarent. [b] Retrimentorum sordes. [c] Ungues. [d] Voto in partem prædæ advocamus, mox, *arisque reponimus ignem.* [e] Quasi ad succidaneas hostias, cum prioribus non litatum esset. [f] Tractu.

Ergo

Ergo ubi delapsæ sonitum per curva dedere
Litora, dat signum specula g Misenus ab alta
h Ære cavo: invadunt socii, & nova prælia tentant.
Obscenas i pelagi ferro fœdare volucres.
Sed neque vim plumis ullam, nec vulnera tergo
Accipiunt, celerique fuga sub sidera lapsæ,
Semesam prædam, & vestigia fœda relinquunt.
Una in præcelsa consedit rupe Celæno,
Infelix vates, rupitque hanc pectore vocem:
Bellum etiam pro cæde boum, stratisque juvencis,
k Laomedontiadæ, bellumne inferre paratis?
Et patrio insontes Harpyias pellere regno?
Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta:
Quæ Phœbo pater omnipotens, mihi Phœbus Apollo
Prædixit, vobis * furiarum ego maxima pando.
Italiam cursu petitis, ventisque vocatis
Ibitis Italiam, portusque intrare licebit.
Sed non ante datam cingetis mœnibus urbem,
l Quam vos dira fames, nostræque injuria cædis
Ambesas subigat malis absumere mensas.
Dixit, & in sylvam pennis ablata refugit.
At sociis subita gelidus formidine sanguis
Diriguit: cecidere animi: nec jam amplius armis,
Sed votis precibusque jubent exposcere m pacem:
* Sive deæ, seu sint * diræ, obscenæque volucres.
At pater Anchises, passis de litore palmis
Numina magna vocat, meritosque indicit n honores.
Dii prohibete minas: dii talem avertite casum:
Et placidi servate pios. Tum litore funem
Diripere, excussosque jubet laxare rudentes.
Tendunt vela Noti: fugimus spumantibus undis,
Qua cursum ventusque, gubernatorque vocabant.
Jam medio apparet fluctu nemorosa Zacynthos,
Dulichiumque, Sameque, & o Neritos ardua saxis.
Effugimus scopulos Ithacæ, Laërtia regna:
Et terram altricem p sævi execramur Ulyssis.
Mox & q Leucatæ nimbosa cacumina montis,
Et formidatus nautis aperitur Apollo.
Hunc petimus fessi, & parvæ succedimus * urbi:
Anchora de prora jacitur, stant litore puppes.
Ergo insperata tandem tellure potiti,

g Tubicen. de quo in lib. 6.
h Lituo, tuba.
i Terræ & Fonti, ut alii, Neptuni filias. inde mox, regno patrio. i. Neptunio insula. sc.
k Trojani perfido Laomedonte oriundi.
* Easdem enim Harpyas & Furias esse volunt, apud Inferos sc. Furias & Canes; apud Superos, Diras & Aves; in medio, Harpyias.
l Exspectatam ex hujus vaticinii diritate famem, sublatam eluſamque habes lib. 7. ubi mensæ adoreæ placentam eduliis substratam etiam consumi vorarique, per jocum dixit Julus.
m Et veniam.
n Sacrificia.
o Mons Ithacæ.
p Trojæ domitoris.

q Promontorii Epiri, a petris λεύκαις dicti.
r Propter scopulos naufragos evitatum promontorium in quo fanum Apollinis.
* Actio.

ſ Rei votorum in Strophadibus a nobis conceptorum, vel etiam, lætigratias acturi, quod Græcas evaſiſſemus urbes & hoſtes. alluſum ſimul ad luſtrum Rom. quia ludi iſti quinquennales.

ſ Luſtramurque Jovi, votiſque incendimus aras,
t Actiaque u Iliacis celebramus litora ludis.
Exercent patrias, oleo labente, paleſtras
Nudati ſocii. juvat evaſiſſe tot urbes
Argolicas mediosque fugam tenuiſſe per hoſtes.
Interea x magnum Sol circumvolvitur annum;
Et glacialis hyems Aquilonibus aſperat undas.
Ære cavo clypeum, magni geſtamen y Abantis,
Poſtibus adverſis figo, & rem carmine ſigno;
z Æneas hæc de Danais victoribus arma.
Linquere tum portus jubeo, & conſidere tranſtris,
Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.
Protinus * aërias Phæacum abſcondimus arces,
Litoraque Epeiri legimus, portuque ſubimus
Chaonio, & celſam Buthroti aſcendimus urbem.
Hic incredibilis rerum fama occupat aures,
Priamiden Helenum b Grajas regnare per urbes,
Conjugio Æacidæ Pyrrhi, ſceptriſque potitum.
Et c patrio Andromachen iterum ceſſiſſe marito.
Obſtupui; miroque incenſum pectus amore
Compellare virum, & caſus cognoſcere tantos.
Progredior portis, claſſes, & littora linquens.
Solennes tum forte dapes, & d triſtia dona,
Ante urbem in luco e falſi Simoëntis ad undam
Libabat f cineri Andromache, maneſque vocabat
Hectoreum ad tumulum, viridi quem ceſpite g inanem,
Et h geminas, cauſam lacrymis, ſacraverat aras.
Ut me conſpexit venientem, & Troïa circum
Arma amens vidit, magnis exterrita i monſtris,
Diriguit viſu in medio; calor oſſa reliquit:
k Labitur, & longo vix tandem tempore fatur:
Verane te facies, verus mihi nuncius affers,
Nate dea? viviſne? aut, ſi lux alma receſſit,
Hector ubi eſt? dixit, lacrymaſque effudit, & omnem
Implevit clamore locum. vix pauca l furenti

u Lucta, ſc. pancratio, palæſtra, idque nudi & uncti.
x Suum, i. Solarem. non Lunarem, nec tamen Mundanum nec Platonicum. y Græci alicujus ab Ænea victi & ſpoliati: namque de Abante Trojano mentio rurſus l. 10. z Titulo hoc; *Æneas hæc de Dan.* &c. arma detracta dicavit. a Corcyram e conſpectu amittimus. b Sortitum partem Epiri, ut cui poſt cædem Pyrrhi ceſſerit uxor ejus Andromache cum regno. c Trojano. Hectori ſc. prius nupſerat Andromache, ut ut Thebana. d Parentalia, anniverſaria. e Repræſentati hic in Epeiro ab Heleno & nuncupati ad memoriam Trojani illius ſi. f Hectoris. g Cenotaphium; honorarium. h Ut Ecl. 5. *Ecce duo tibi, Daphni, duoque altaria Phœbo.* bimis ſc. honorabant Deos & heroas. i Viſo miro & inexſpectato. k Animi deliquio. l Affectu & dolore conſternatæ.

Sub-

Subjicio, & raris turbatus vocibus hisco.
Vivo equidem, vitamque extrema per omnia duco.
Ne dubita; nam vera vides.
Heu, quis te casus dejectam conjuge tanto
Excipit: aut quæ digna satis fortuna revisit?
Hectoris Andromache, Pyrrhin' connubia servas?
[m] Dejecit vultum, & demissa voce loquuta est:
O felix una ante alias [n] Priameia virgo,
Hostilem ad tumulum Trojæ sub mœnibus altis
Jussa mori: [o] quæ sortitus non pertulit ullos,
Nec victoris heri tetigit captiva cubile.
Nos patria incensa, diversa per æquora vectæ,
[p] Stirpis Achilleæ fastus, juvenemque superbum,
Servitio [q] enixæ tulimus. qui deinde secutus
[r] Ledæam Hermionem; Lacedæmoniosque hymenæos,
Me famulam, famuloque Heleno transmisit habendam.
Ast illum, ereptæ magno inflammatus amore
Conjugis & [s] scelerum furiis agitatus Orestes
Excipit incautum, [t] patriasque obtruncat ad aras.
Morte Neoptolemi, regnorum reddita cessit
Pars Heleno: qui Chaonios cognomine campos,
Chaoniamque omnem Trojano à [u] Chaone dixit:
[x] Pergamaque Iliacumque jugis hanc addidit arcem.
Sed tibi qui cursum ventri, quæ fata dedere?
Aut quis te ignarum nostris deus appulit oris?
Quid puer Ascanius? superatne, & vescitur aura?
[y] Quem tibi jam Troja.
Ecquæ jam puero est amissæ cura [z] parentis?
Ecquid in antiquam virtutem, animosque viriles
Et pater Æneas, & avunculus excitat Hector?
Talia fundebat lacrymans, longosque ciebat
Incassum fletus, cum sese à mœnibus heros
Priamides multis Helenus comitantibus offert:
Agnoscitque suos, lætusque ad mœnia ducit,
Et multum lacrymas verba inter singula fundit.
Procedo, & [a] parvam Trojam [a] simulataque magnis

[m] Pudibunda.
[n] Polyxena a Pyrrho ad placandos patris manes mactata ad tumulum Achillis.
[o] Quæ sortitione cessit nemini Græcorum, ut ego & reliquæ Trojanæ primariæ.
[p] Pyrrhi.
[q] Pyrrho enim peperit filium Molossum dictum.
[r] Filiam Helenæ, quam peperit Leda, & Menelai, a quo desponsata sibi fuerat, repetit Pyrrhus, & ipse ab Oreste dum sacris operaretur, cæsus.
[s] Ob interfectam a se matrem Clytemnestram.
[t] Sibi patriæque fatales. Achilles enim a Paride ad aram Apollinis Thymbræi extra Trojam, Neoptolemus Delphis ad aram item Apollinis ab Oreste interfectus.
[u] Fratre suo qui, ita poscente oraculo, devoverat se ut servarentur socii Heleni, grassante sæva inter eos peste.
[x] Repræsentata & delineata ad formam antiquæ Trojæ.
[y] Ἀποσιώπησις. sensu & versu imperfectis. supplent alii. *Quem tibi jam Troja peperit fumante Creusa.*
[z] Creusæ, non *patriæ*, ut volunt, quia Creusæ mortem Andromache scire non poterat.
[a] Ad repræsentationem veteris Trojæ, ut supra, *falsi Simoentis*, ubi Pergama, Xanthus, Scæa porta.

Pergama, & b arentem Xanthi cognomine rivum
Agnosco, Scææque c amplector limina portæ.
Nec non & Teucri socia simul urbe fruuntur,
Illos porticibus rex d accipiebat in amplis.
Aulai in medio libabant pocula Bacchi,
Impositis auro dapibus; pateraſque tenebant.
Jamque dies, alterque dies processit: & auræ
Vela vocant, tumidoque inflatur carbasus Austro.
His vatem aggredior dictis, ac talia quæso:
Trojugena e interpres divûm, qui numina Phœbi,
Qui f tripodas, g Clarii lauros, qui sidera sentis,
Et h volucrum linguas, & præpetis omina pennæ,
Fare age (namque i omnem cursum mihi prospera dixit
Religio: cuncti suaserunt numine divi
Italiam petere, & terras tentare repostas:
Sola novum, dictuque nefas, Harpyia Celæno
k Prodigium canit, & tristes denunciat iras,
Obscenamque famem) quæ prima pericula vito,
Quidve sequens tantos possim superare labores.
Hic Helenus, cæsis primum de more juvencis,
Exorat l pacem divûm, vittasque m resolvit
Sacrati capitis, meque ad tua limina, Phœbe,
Ipse manu multo n suspensum numine ducit.
Atque hæc deinde canit divino ex ore sacerdos.
Nate dea (nam te o majoribus ire per altum
o Auspiciis manifesta fides: sic fata deûm rex
Sortitur, volvitque vices: is vertitur ordo)
Pauca tibi è multis, quo tutior hospita lustres
Æquora, & Ausonio possis considere portu,
Expediam dictis. prohibent nam cætera Parcæ
Scire p Helenum, farique vetat Saturnia Juno.
Principio Italiam, quam tu jam rere propinquam,
Vicinosque, ignare, paras invadere portus,
Longa procul longis via dividit invia terris.
Ante & q Trinacria lentandus remus in unda,
Et r salis Ausonii lustrandum navibus æquor,
ſ Infernique lacus, t Æææque u insula Circes,

b Sic & Horatio Epod. 13. & Lucano 7. l. *parvus & in sicco serpebat pulvere Xanthus.*
c Veneror in memoriam portæ illius Trojanæ, quæ ad σκαιὰν lævam sita.
d Convivio excepit. q. cœna adventitia.
e Θεοπροπέων, vaticinandi perite ex afflatu numinis, astrologia & augurio.
f Suggesti genus, quod conscendebat Pythia
g Apollinis, cui sacra Claros inf. vel ut alii, urbs Colophoniorum.
h Oscines & præpetes observans.
ex cantu sc. & volatu avium divinans. i Hypallage. omnis religio mihi dixit cursum prosperum. k Supra, hoc libro. l Et veniam. m Ut demissæ penderant. ritu sacro. n Religiose anxium & sollicitum. o Majoribus fatis, quam quæ auspiciis egeant. Jovis sc. p Me. q Sicula a tribus promontoriis Siciliæ, Lilybæo, Pachyno, Peloro. r Maris Italici. infra, hoc eod. lib. ſ Lib. 6. t Ab Æa urbe Colchorum dictæ. u Lib. 7.

Quam tuta possis urbem componere terra.
Signa tibi dicam: tu condita mente teneto.
* Cum tibi sollicito secreti ad flumina undam,
Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus
Triginta capitum fœtus enixa jacebit,
Alba solo recubans, albi circum ubera nati;
Is locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Nec tu [x] mensarum morsus horresce futuros;
Fata viam invenient, aderitque vocatus Apollo.
[y] Has autem terras, Italique hanc litoris oram,
Proxima quæ [z] nostri perfunditur æquoris æstu,
Effuge: cuncta [a] malis habitantur mœnia Grajis.
[b] Hic & Narycii posuerunt mœnia Locri:
[c] Et Salentinos obsedit milite campos
Lyctius Idomeneus: [d] hic illa ducis Melibœi
Parva Philoctetæ subnixa Petilia muro.
Quin, ubi transmissæ steterint trans æquora classes,
Et positis aris jam vota in litore solves;
Purpureo [e] velare comas adopertus amictu,
Nequa inter sanctos ignes in honore deorum
Hostilis facies occurrat, & omnia turbet.
Hunc socii morem sacrorum, hunc ipse teneto,
Hac casti maneant in religione nepotes.
Ast ubi digressum Siculæ te admoverit oræ
Ventus, [f] & angusti rarescent claustra Pelori:
Læva tibi tellus, & longo læva petantur
Æquora circuitu: dextrum fuge litus, & undas.
Hæc loca vi quondam, & vasta convulsa ruina
(*Tantum ævi longinqua valet mutare vetustas*)
Dissiluisse ferunt; [g] cum protinus utraque tellus
Una foret, venit [h] medio vi pontus, & undis
Hesperium Siculo latus abscidit, arvaque & urbes
Litore diductas angusto interluit æstu.

* Adi l. 8. sub initio, ubi idem habetur vaticinium.
[x] Prodigii hujus exitum habes lib. 7.
[y] Hanc Italiæ partem, quæ e regione nobis adversa, sc. Calabriam, Apuliam, Lucaniam, &c. Magnam quondam Græciam dictam declina.
[z] Adriatici.
[a] Hostibus nostris, adeoque fidei malæ.
[b] Hic Græci a Narycio urbe Attica profecti condidere urbem Locros Epizephyrios.
[c] Idomeneus e Lycto Cretæ opp. pulsus consedit in Salentinis.
[d] Philoctetes ex Melibœa Thessaliæ urbe condidit Petiliam. [e] Phrygio more, ut mox, & orto ab Ænea; qui in litore Laurenti dum sacra faceret velato capite, non agnitus est ab Ulysse, qui ibi forte appulerat. Alii referunt ad Diomedem sacris intervenientem. Sed &, arceri a sacris profanos solenne erat, ne mysteria non initiati funestarent. unde vela viis, foribus, fenestris prætensa, & despectio e fenestris interdicta. Macrob. Sat. lib. 1. cap. 6. [f] Per fretum, quod Rhegium Italiæ a Peloro Siciliæ dividit, navigare noli; quin ipsam Siciliam totam circumnaviga, devitabis inde Scyllæ & Charybdis pericula. [g] Cum continuatim una esset terra, i. e. continens, Italia & Sicilia. atque hoc ex fide vet. historicorum. [h] Terræ motu avulsum refert Strabo, unde & Rhegio nomen. lib. 6.

Dextrum Scylla latus, lævum *i* implacata Charybdis
Obsidet, atque imo barathri ter gurgite vastos
Sorbet in abruptum fluctus, rursusque sub auras
k Erigit alternos, & sidera verberat unda.
At Scyllam cæcis cohibet spelunca latebris
Ora exsertantem, & naves in saxa trahentem.
l Prima hominis facies, & pulchro pectore virgo
Pube tenus: postrema immani corpore Pistris,
Delphinum caudas utero commissa luporum.
Præstat Trinacrii metas lustrare Pachyni
m Cessantem, longos & circumflectere cursus,
Quam semel informem vasto vidisse sub antro
Scyllam, & cæruleis canibus resonantia saxa.
Præterea siqua est Heleno prudentia vati
Siqua fides, animum si veris implet Apollo;
Unum illud tibi, nate dea, præque omnibus unum
Prædicam, & repetens iterumque iterumque monebo.
Junonis magnæ primum prece numen adora:
Junoni cane vota libens, dominamque potentem
Supplicibus *n* supera donis: sic denique victor
Trinacria fines Italos mittere relicta.
Huc ubi delatus *o* Cumæam accesseris urbem,
p Divinosque lacus, & Averna sonantia silvis,
q Insanam vatem aspicies, quæ rupe sub ima
Fata canit, *r* foliisque notas, & nomina mandat.
Quæcunque in foliis descripsit carmina virgo,
Digerit in numerum, atque antro seclusa reliquit.
Illa manent immota locis, neque ab ordine cedunt.
Verum eadem, verso tenues cum cardine ventus
Impulit, & teneras turbavit *s* janua frondes:
Nunquam deinde cavo volitantia prendere *t* saxo,
Nec revocare situs, aut jungere carmina curat.
u Inconsulti abeunt, sedemque odere Sibyllæ.
Hic tibi nequa moræ fuerint dispendia tanti:
Quamvis increpitent socii, & vi cursus in altum
Vela vocet, possisque sinus implere secundos:
Quin adeas vatem, precibusque oracula poscas:
Ipsa canat, vocemque volens, atque ora resolvat.
Illa tibi Italiæ populos, venturaque bella,

i Al. *Impacata*. de Scylla rupe cujus cavernæ fluctibus allisis resonant, & de vorticoso Charybdis gurgite passim poetæ, & abunde Mythologi. Ov. 14. Metam.
k Al. egerit.
l Mulier superne, desinit in piscem, balænam vel Delphinas, sub utero latrantibus monstris, lupis ceu canibus succincta. ut 6. Ecl. μιξοπάρθεν & κύων. Lycophr.
m Cum viæ & temporis dispendio potius circumvectum, quam semel, &c.
n Sacrificiis expugnatam concilia.
o Cumas. lib. 6.
p Apollini sacros & Sibyllæ lacus Lucrinum & Avernum.
q Fatidicam, afflatam numine & furore divino, ut lib. 6. *r* In foliis palmæ scribi fata a Sibylla solita, scribit Varro & Æneid. l. 6. *s* Aperta, admittens ventum, *t* Rupe, antro. *u* Oraculi responso non accepto.

Et quo quemque modo fugiasque ferasque laborem.
Expediet; cursusque dabit venerata secundos.
Hæc sunt, quæ nostra liceat te voce moneri.
Vade age, & ingentem factis fer ad æthera Trojam.
Quæ postquam vates sic ore effatus amico est,
Dona dehinc auro gravia, *x* sectoque elephanto
Imperat ad naves ferri: stipatque carinis
Ingens argentum, *y* Dodonæosque lebetas,
Loricam *z* consertam hamis, auroque trilicem,
Et conum insignis galeæ, cristasque comantes,
Arma Neoptolemi sunt & *a* sua dona parenti.
Addit equos, additque *b* duces.
c Remigium supplet, socios simul instruit *d* armis.
Interea classem velis aptare jubebat
Anchises, fieret vento mora nequa *e* ferenti.
Quem Phœbi interpres multo compellat honore:
f Conjugio Anchisa Veneris dignate superbo,
Cura deum, *g* bis Pergameis erepte ruinis,
Ecce tibi Ausoniæ tellus; hanc arripe velis:
Et tamen hanc pelago præterlabare necesse est.
Ausoniæ pars illa procul, quam pandit Apollo.
Vade (ait) ô felix nati pietate. quid ultra
Provehor; & fando surgentes demoror Austros?
Nec minus Andromache digressu mœsta supremo,
Fert picturatas auri subtemine vestes.
Et *h* Phrygiam Ascanio chlamydem: *i* nec cedit honori,
Textilibusque onerat donis, ac talia fatur:
Accipe & hæc, *k* manuum tibi quæ monumenta mearum
Sint puer, & longum Andromaches testentur amorem
Conjugis Hectoreæ: cape dona extrema tuorum
O mihi sola mei *l* super Astyanactis imago:
Sic oculos, sic ille manus, sic ora ferebat:
Et nunc æquali tecum pubesceret ævo.
Hos ego digrediens lacrymis affabar obortis:
Vivite felices, quibus est fortuna peracta
Jam sua. nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies, nullum maris æquor arandum,
Arva neque Ausoniæ, *m* semper cedentia retro,
Quærenda. *n* effigiem Xanthi, Trojamque videtis,
Quam vestræ fecere manus: melioribus opto

x Ebore in laminas ductо.
y Ex ære Dodonæo, quod vaticiniis æque celebratur ac quercus Dodonæa.
z Consertam hamis aureis, iisque triplici serie connexis.
a Anchisæ data.
b Belline futuri? an navigationis? an forte equisones?
c Remiges.
d Nauticis armamentis.
e Secundo.
f Honesto verbo Veneris furtum velat.
g Primo, sub Hercule; secundo, sub Agamemnone, capta Troja.
h Acu pictam; proprie, opus & inventum Phrygum.
i Neque enim Andromache in honore munerum cedit Heleno. *k* Τοῦτο δίδωμι Μνῆμ' Ἐλένης χερῶν. Odyss. 15.
l Superstes qui superes. *m* *Italiam sequimur fugientem.* lib. 5. *n* Supra, *simus juvenes magnis Pergama, & arentem Xanthi cognomine rivum.*

Auſpiciis, & quæ fuerit minus obvia Grajis.
Siquando Tibrim, vicinaque Tibridis arva
Intraro, gentique meæ *o* data mœnia cernam,
p Cognataſque urbes *q* olim, populoſque propinquos
Epeiro Heſperia, quibus idem Dardanus autor,
Arque idem caſus: unam faciemus utramque
Trojam animis; maneat noſtros *q* ea cura nepotes.
Provehimur pelago, vicina *ſ* Ceraunia juxta;
Unde iter Italiam, curſuſque breviſſimus undis.
Sol ruit interea, & montes umbrantur opaci.
Sternimur optatæ gremio telluris ad undam
Sortiti remos; paſſimque in littore ſicco
Corpora curamus: feſſos ſopor *t* irrigat artus.
Nec dum orbem medium nox horis acta ſubibat:
Haud ſegnis ſtrato ſurgit Palinurus, & omnes
Explorat ventos, atque auribus aëra captat:
Sidera cuncta notat tacito labentia cælo,
u Arcturum, *x* pluviaſque Hyadas, *y* geminoſque Triones,
z Armatumque auro circumſpicit Oriona.
Poſtquam cuncta videt cœlo conſtare ſereno,
Dat clarum è puppi *a* ſignum, nos *b* caſtra movemus,
Tentamuſque viam, & velorum pandimus alas.
Jamque rubeſcebat ſtellis aurora fugatis,
Cum procul obſcuros colles, *c* humilemque videmus
Italiam. Italiam primus conclamat Achates:
Italiam læto ſocii clamore ſalutant.
Tum pater Anchiſes magnum cratera *d* corona
Induit, implevitque mero, Divoſque vocavit
Stans celſa in puppi.
Dii *e* maris, & terræ, tempeſtatumque potentes,
Ferte viam vento facilem, & ſpirate ſecundi.
Crebreſcunt optatæ auræ, portuſque pateſcit
Jam propior, *f* templumque apparet in arce Minervæ,
Vela legunt ſocii, & proras ad littora torquent.
Portus ab Eoo fluctu curvatur in *g* arcum,
Objectæ ſalſa ſpumant aſpergine cautes:

o Fatis.
p Hanc in Epiro veſtram; & in Italia noſtram.
q Tempore futuro.
r Fœderum & amicitiæ, de qua re lege Dionyſium Halicarnaſſæum, l. 1. Contraria huic imprecatio Didonis. l. 4.
ſ Acroceraunia, promontorium Epiri, e regione Italiæ. a fulmine, quo crebro feriuntur, dicta.
t A naturali ſomni cauſa.
u Stellam primæ magnitudinis, inter crura Bootæ.
x Septem ſtellas in fronte Tauri, quæ ortu ſuo & occaſu pluvias creant, ἀπὸ τοῦ ὕειν.
y Utramque urſam; quarum majorem, plauſtrum ſc. trahunt triones, boves.
z Sidus Auſtrale ſtellis 32 conſpicuum, ſtellato enſe fulgens.
a Tubæ; aut etiam vigiliis facem.
b Nautica. i. claſſem.
c Ita e longe proſpicientibus viſam, propter intervalli Sphæricam ſuperficiem. *vel* ab illa parte planam. vide quæ ad 2. Georg. ſub fine.
d Florea corolla vel ſerto, *Socii cratera coronant*, niſi forte interpretetur coronam, i. e. cratera ad marginem uſque repletum. *implevitque mero*
e Maris quod navigo; terræ, ad quam affecto; tempeſtatum, quæ viam expediant.
f In Japygiæ promontorio Salentino Minervæ eminebat arx; hodie *Caſtro*. Sub illo portus Veneris. Cluv. l. 4. 13.
g Sinum, receſſum, ſcopulos utrinque defendentes portum deſcriptum. vid. l. 1. Æn.

Ipſe

Ipse latet, gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli. refugitque à litore templum.
Quatuor hic (primum omen) equos in gramine vidi
Tondentes campum late, candore nivali.
Et pater Anchises, *h* Bellum, ô terra hospita, portas:
Bello armantur equi: bellum hæc armenta minantur.
Sed tamen iidem olim curru succedere sueti
Quadrupedes, & fræna jugo concordia ferre.
Spes est pacis, ait. tum numina sancta precamur
Palladis armisonæ, quæ prima accepit *i* ovantes,
k Et capita ante aras Phrygio velamur *l* amictu:
Præceptisque Heleni, dederat quæ maxima, ritè
Junoni Argivæ jussos adolemus honores.
Haud mora, continuo perfectis ordine votis,
Cornua velatarum obvertimus antennarum:
m Grajugenumque domos, suspectaque linquimus arva.
Hinc sinus *n* Herculei, *n* si vera est fama, Tarenti
Cernitur: attollit se *o* diva Lacinia contra,
p Caulonisque arces, & navifragum *q* Scylacæum.
Tum procul è fluctu *r* Trinacria cernitur Ætna,
s Et gemitum ingentem pelagi, pulsataque saxa
Audimus longe, fractasque ad litora voces:
t Exsultantque vada, atque æstu miscentur arenæ.
Et pater Anchises: Nimirum hæc illa Charybdis:
Hos Helenus scopulos, hæc saxa horrenda canebat:
Eripite, ô socii, pariterque insurgite remis.
Haud minus ac jussi faciunt: primusque *u* rudentem
Contorsit lævas proram Palinurus ad undas,
Lævam cuncta cohors remis, ventisque petivit.
u Tollimur in cœlum curvato gurgite: & iidem
Subducta ad manes imos descendimus unda.
Ter scopuli clamorem inter cava saxa dedere:
Ter spumam elisam, & *x* rorantia vidimus astra.
Interea fessos ventus cum sole reliquit:
Ignarique viæ Cyclopum allabimur oris.

h Belli præsagium interpretatur equum, ad bella natum ut in 1. l. de Carthagine, in cujus fundamentis reperiebatur *caput acris equi*. Et in contentione Neptuni cum Minerva de Athenis; quoniam vero quatuor, iique candidi, & curru succedere frænaque ferre sueti, in omen pacis convertit, agriculturæ sc. certaminibus, triumphis aptos. *i* Lætos. levium bellorum aut non justorum victores urbem ingrediebantur ovantes, equo vecti, vel etiam pedites, & ovem mactabant, ut triumphantes taurum. *k* Ex præcepto Heleni. supra, *Purpureo velare comas*, &c. video rationem ibid. *l* Rutilo. *m* Ab Heleno moniti ut partem illam Italiæ, quæ a Græcis ibi colonis, Magnæ Græciæ nomen sortita est, vitaremus. supra. *n* Neque enim plane stare vult Aristotelis fide, qui in libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων scribit Tarentum ab Hercule conditum ac Heracleam dictum. alii a Tara Herculis comite. *o* Junonis Laciniæ templum in promontorio cognomine juxta Crotonem. *p* Post Sagram Caulonia extat, prius Aulonia. Strab. 6. I. *q* Promontorium in Brutiis. vide Erythræi indicem. *r* Sicilia. a tribus promontoriis, ut supra. *s* *Nimirum hæc Scylla est.* *t* ——— *Nimirum hæc illa Charybdis.* *u* Tridentem dum secat fluctus. Metaph. a ruditu asinorum. *x* Aspergine irrorata.

Portus

Portus ab accessu ventorum immotus, & ingens
Ipse, sed horrificis juxta tonat *y* Ætna ruinis:
Interdumque atram *z* prorumpit ad æthera nubem,
Turbine fumantem piceo, & candente favilla:
Attollitque globos flammarum, & sidera *a* lambit.
Interdum scopulos, avulsaque viscera montis
Erigit eructans, liquefactaque saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoque exæstuat imo.
Fama est, *b* Enceladi semiustum fulmine corpus
Urgeri mole hac, ingentemque insuper Ætnam
Impositam, ruptis flammam exspirare *c* caminis;
Et fessum quoties *d* mutat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & cœlum subtexere fumo.
Noctem illam tecti in sylvis immania monstra
Perferimus: nec quæ sonitum det causa videmus.
Nam neque erant astrorum ignes, nec lucidus *e* æthrâ
Sidereâ polus: obscuro sed nubila cœlo:
Et lunam in nimbo nox *f* intempesta tenebat.
Postera jamque dies primo surgebat Eoo,
Humentemque aurora polo dimoverat umbram:
Cum subito è sylvis, macie confecta suprema,
Ignoti *g* nova forma viri, miserandaque cultu
Procedit, supplexque manus ad litora tendit.
Respicimus: dira illuvies, *h* immissaque barba.
Consertum tegmen spinis: at *i* cætera Grajus,
Et quondam patriis ad Trojam missus in armis.
Isque ubi Dardanios habitus, & Troïa vidit
Arma procul; paulum aspectu conterritus hæsit,
Continuitque gradum: mox sese ad littora præceps
Cum fletu precibusque tulit. per sidera testor,
Per superos, atque hoc cœli *k* spirabile lumen:
Tollite me Teucri: quascumque abducite terras.
Hoc *l* fat erit. *m* scio me Danais è classibus unum,
Et bello Iliacos fateor petiisse penates.
Pro quo, si sceleris tanta est injuria nostri,
Spargite me in fluctus, vastoque immergite ponto.

y De Ætna, monte Siciliæ flammivomo, post philosophos, geographos, Poetas majorum & minorum gentium, & in his Cornelii Severi poema inscriptum Ætnam, & Virgilio adscriptum, vide Cluverii Siciliam. l. 1. c. 8. & Jovianum Pontanum defendentem Virgilium contra Agellium. l. 17. c. 10. & Macrobium c. 17. l. 5. Saturn. calumniantes Virgilium parum feliciter æmulatum esse Pindari Ætnam descriptione Pythiorum, vide & Jul. Scal. l. 5. Poet. c. 4.

z Eructat, evomit.

a Tremulo motu, ad instar vibratæ linguæ, ascendens. *b* Fil. Titanis & Terræ, qui quum cœlo bellum cum aliis gigantibus inferret, a Jove fulminatus atque Ætnæ subjectus est. Quod tamen nonnulli de Typhoeo narrant. Placet autem Poetæ a vera causa, viscеribus sc. sulphureis a vento per cavernosam terram accensis, discedere ad fabulas. *c* Fornacibus, cratere. *d* Alii, *mutat*. *e* Splendore ætheris, λυκάνθρωπος V. Ovid. Metamor. 15. l. *h* Promissa. *i* Per vel quoad cætera, ἢ τ' ἄλλα. *k* Aerem, cujus beneficio ex æquo spiramus. *l* Beneficii loco abunde, effugisse Cyclopas. *m* Fateor.

Si pereo manibus hominum, periisse juvabit.
Dixerat. & [n] genua amplexus, genibusque volutans
Hærebat: qui sit, fari, quo sanguine cretus,
Hortamur, quæ deinde agitet fortuna, fateri.
Ipse pater [o] dextram Anchises, haud multa moratus,
Dat juveni, atque animum præsenti [o] pignore firmat.
Ille hæc, deposita tandem formidine, fatur:
Sum patria ex Ithaca comes [p] infelicis Ulyssi,
Nomine Achæmenides, Trojam genitore Adamasto
[q] Paupere ([r] mansissetque utinam fortuna) profectus.
Hic me, dum trepidi crudelia limina linquunt,
Immemores socii vasto Cyclopis in antro,
Deseruere. domus sanie, dapibusque cruentis,
Intus opaca, ingens: ipse arduus, altaque pulsat
Sidera (dii talem terris avertite pestem)
[s] Nec visu facilis, nec dictu affabilis ulli.
Visceribus miserorum, & sanguine vescitur atro.
[t] Vidi egomet, duo de numero cum corpora nostro,
Prensa manu magna medio resupinus in antro
Frangeret ad saxum, sanieque [u] aspersa natarent
Limina: vidi atro cum membra fluentia tabo
Manderet, & tepidi tremerent sub dentibus artus.
Haud impune quidem, nec talia passus Ulysses,
[x] Oblitusve sui est Ithacus discrimine tanto.
Nam simul expletus dapibus, vinoque sepultus,
Cervicem inflexam posuit, jacuitque per antrum
Immensam saniem eructans, ac frusta cruento
Per somnum commista mero: nos magna precati
Numina, sortitique vices, una undique circum
Fundimur, & [y] telo lumen terebramus acuto
Ingens, quod torva solum sub fronte [z] latebat,
Argolici clypei, aut Phœbeæ lampadis instar:
Et tandem læti sociorum ulciscimur umbras.
[a] Sed fugite ô miseri, fugite, atque ab littore funem
Rumpite.
Nam qualis, quantusque cavo Polyphemus in antro
Lanigeras claudit pecudes, atque ubera pressat;
Centum alii curva hæc habitant ad littora vulgo
Infandi Cyclopes, & altis montibus errant.
Tertia jam lunæ se cornua lumine complent,

[n] Misericordiæ veteres assignabant genua ut, & mentum; pudori os; sagacitati nasum; judicio aurem; fastui supercilium; virtuti & Fidei dextram.

[o] Fidei dextram.

[p] Vobis invisi, nec suis minus: quantum ad se ipsum, miserrimi, diutino sc. errore jactati.

[q] *Pauper in arma pater primis me misit ab annis.* Sinon. 2. l.

[r] Atque utinam propria quiessem pelle, intra fortunam meam utcunque pauperculam tutus, potius quam, &c.

[s] Cujus aspectum nemo ferat, nedum colloquium.

[t] Homer. Odyss. 9.

[u] Al. *exspersa.*

[x] Nec sibi, ubi opus, defuit, immemor veterum artium.

[y] Sudo oleaginea, præusta.

[z] Dormienti Cyclopi clausum. al. sub capillitio sento latens.

[a] Oratio ex abrupto turbida, timentis & fugam cum festinatione suadentis.

Cum

Cum vitam in ſylvis, inter deſerta ferarum
Luſtra domoſque traho, vaſtoſque ab *b* rupe Cyclopas
Proſpicio, ſonitumque pedum, vocemque tremiſco.
Victum infelicem baccas, lapidoſaque corna
Dant rami, & vulſis paſcunt radicibus herbæ.
Omnia colluſtrans, hanc primum ad litora claſſem
Conſpexi venientem: huic me, quæcunque fuiſſet,
Addixi. ſatis eſt gentem effugiſſe nefandam.
Vos animam hanc potius quocunque abſumite letho.
Vix ea fatus erat, ſummo cum monte videmus
Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole moventem
Paſtorem Polyphemum, & litora nota petentem:
Monſtrum horrendum, informe, ingens, cui lumen ademptum:
Trunca manum *c* pinus regit, & veſtigia firmat:
Lanigeræ comitantur oves, ea ſola voluptas
d Solamenque mali de collo fiſtula pendet.
e Poſtquam altos tetigit fluctus, & ad æquora venit,
Luminis effoſſi fluidum lavit inde cruorem,
Dentibus infrendens gemitu, *e* graditurque per æquor
Jam medium; nec dum fluctus latera ardua tinxit.
Nos procul inde fugam trepidi celerare, recepto
Supplice, ſic merito; tacitique incidere funem:
Verrimus & proni certantibus æquora remis.
Senſit, & ad ſonitum *f* vocis veſtigia torſit.
Verum ubi nulla datur dextram affectare poteſtas,
Nec potis Ionios fluctus æquare ſequendo,
Clamorem immenſum tollit; quo pontus & omnes
Intremuere undæ, penituſque exterrita tellus
Italiæ, curviſque immugiit Ætna cavernis.
At genus è ſylvis Cyclopum, & montibus altis
Excitum ruit ad portus, & litora complent.
Cernimus aſtantes nequicquam lumine torvo
h Ætnæos fratres, cœlo capita alta ferentes;
Concilium horrendum: quales cum vertice celſo
Aeriæ quercus, aut *i* coniferæ cypariſſi
Conſtiterant, *k* ſylva alta Jovis, lucuſve Dianæ.

b De qua deſcendunt qua errant. uti mox de Polyphemo. *ſummo cum monte videmus Ipſum inter pecudes vaſta ſe mole moventem.*

c Hinc immanem corporis vaſtitatem conjicere licet.

d Sunt qui quatuor voces ultimas; ſunt qui totum verſum Poetæ abdicant. quibus ſc. placet oves eſſe ſolam voluptatem. ſint modo, ſed & ſolamen admittant fiſtulam, moti authoritate Theocriti, Philoſtrati, Ovidii, Manilii. qui omnes Polyphemum inducunt, *cui fiſtula collo Hæreat.*

e Poſtquam undas littoreas emenſus in altum planumque mare venit. quam magnus Orion *Cum pedes incedit medii per maxima Nerei Stagna, viam ſcindens, humero ſupereminet undas.* lib. 10.

f Fluctuum remis agitatorum. ſupra, *fractaſque ad litora voces. & fugam trepidi celerare, tacitique incidere funem.* modo.

g Extra ictum enim, & periculum ſe expedierant Troes.

h Siculos Cyclopas. alluſum ſimul ad αἰτναῖος, immanis.

i Ferentes fructus ceu baccas imitantes formam ipſius arboris, quæ *metas imitata* eſt, κωνοειδής.

k Quercus enim ſacra Jovi; cupreſſus Dianæ infernæ.

Præcipites metus acer quocunque rudentes
Excutere, & ventis intendere vela [l] secundis.
Contra, jussa monent Heleni, Scyllam, atque Charybdin
Inter utramque viam, lethi discrimine parvo,
[m] Ni teneant cursus: certum est dare lintea retro.
Ecce autem Boreas angusta à sede [n] Pelori
Missus adest. vivo prætervehor ostia saxo
Pantagiæ, Megarosque sinus, [o] Thapsumque jacentem.
Talia monstrabat [p] relegens errata retrorsum
Litora Achæmenides, comes infelicis Ulyssi.
Sicanio prætenta sinu jacet insula, contra
[q] Plemmyrium undosum; nomen dixere priores
[r] Ortygiam. Alpheum fama est huc Elidis amnem
Occultas egisse vias subter mare: qui nunc
Ore, Arethusa, tui Siculis confunditur undis.
Numina magna loci jussi veneramur: & inde
Exsupero præpingue solum [s] stagnantis Helori.
Hinc altas cautes, [t] projectaque saxa Pachyni
Radimus: & fatis nunquam concessa moveri
Apparet [u] Camarina procul, campique Geloï,
[x] Immanisque Gela fluvii cognomine dicta:
[y] Arduus inde Agragas ostentat maxima longe
Mœnia, magnanimûm quondam generator equorum
Teque datis linquo ventis, [z] palmosa Selinis,
Et vada dura lego saxis [a] Lilybeïa cæcis.
Hinc [b] Drepani me portus, & [c] illætabilis ora
Accipit. hic pelagi tot tempestatibus actus,
Heu genitorem, omnis curæ, casusque levamen
Amitto Anchisen: hic me, pater optime, fessum

[l] Etiam iis qui nos a puppi secuti urgebant inter Siciliam atque Italiam. sed memores præceptorum Heleni quæ monebant ne teneremus cursum cum vitæ discrimine per angustum fretum inter Scyllam & Charybdim, retrorsum vela dare contendebamus. Cum subito mutatus numinis benignitate ventus nos in Austrum revectos Siciliam circumvehi impulit. [m] Prout Turnebus l. 17. c. 11. Vel, Nisi possunt tenere medium cursum. [n] Promontorii Siciliæ Septentrionem versus. [o] Fl. intra Taurum promontorium; sinum Megarensem, & Thapsum peninsulam, eamque humilem. Cluv. Sicil. 1. l. 11. c. [p] Per quæ errarat prius cum Ulysse. [q] Promontorium juxta Syracusas. [r] Insulam, quam pons Syracusis connectit. hic fons Arethusa ex quo ferunt per subterraneos cuniculos emergere Alpheum flumen Elidis. Αμπνευμα σεμνὸν Αλφειοῦ Ορτυγία. Pindarus Nem. Od. 1. [s] Inundantis & superfusi ad instar Nili. Cluv. 13. c. l. 1. Sicil. [t] Pachynum promontorium Siciliæ Austrum spectans. [u] Camarina urbs supra paludem cognominem, e cujus tetra exhalatione cum orta esset pestilentia, consultus a civibus Apollo, an siccanda esset, respondit; Μὴ κίνει Καμαρίναν. Illi autem contempto oraculo exsiccarunt, unde sedata pestilentia, sed per eam ingressi hostes urbem ceperunt. [x] Urbs magna a fluvio cognomine dicta. [y] In editissimo monte situm Agrigentum. unde equi nobiles missi ad agones Græciæ. [z] Sylvestrium palmarum fertilis, & apii, unde nomen. [a] Lilybeum, tertium Siciliæ promontorium, sub quo vada latentibus saxis periculum nautis facessunt. [b] Urbis ad radicem montis Erycis, a falce Saturni ibi projecta. vel, Cereris ibi a Vulcano accepta. δρέπανον enim falx est Αρπης Κρόνου τήδημα. Lycophr. [c] Amisso hic patre.

Dese-

Deseris, heu tantis nequicquam erepte periclis!
Nec vates Helenus, cum multa horrenda moneret,
Hos mihi prædixit luctus, non dira Celeno.
Hic labor extremus, longarum hæc meta viarum.
Hinc me digressum vestris deus appulit oris.
Sic pater Æneas intentis omnibus, unus
Fata renarrabat divûm, cursusque docebat.
Conticuit tandem, factoque hic fine quievit.

d Excidium narrabat Trojæ, & suos errores.

ÆNEIDOS LIB. I.

ARGUMENTUM.

DIdo amore Æneæ insaniens, animi sui morbum sorori aperit: ejusque consilium sequuta, ad nuptias animum adjicit. Juno quoque, ut Æneam facilius ab Italia averteret, agit cum Venere, ut ejus bona cum venia liceat Æneæ Elisam uxorem ducere: quoque id commodius fieri possit, se opportunitatem oblaturam ostendit. Postridie Æneas, & Dido venatum proficiscuntur. Ibi omnibus jam prædæ intentis, Juno subitam immittit tempestatem. Comites alius alio diffugiunt. Æneas & Dido in idem antrum conveniunt, ibique infaustis ominibus conjunguntur. Interim Jupiter Jarbæ Getulorum regis, (qui advenam sibi præferri iniquo animo ferebat,) precibus fatigatus, Mercurium mittit ad Æneam, jubetque ut relicta Africa in Italiam naviget. Ille Jovis imperio morem gerens, quæcunque ad navigationem erant necessaria, clam per socios parari jubet: Cæterum Dido ubi classem instaurari sensit, suspicata id quod res erat, graviter cum ipso expostulat, precibusque, & lacrymis tum per seipsam, tum per sororem, eum ab incepto revocare conatur. Æneas iterum in somnis a Mercurio admonitus, intempesta nocte anchoras solvit. Illa doloris impatiens, in editissima ædium parte, simulatione sacrorum ingentem pyram extruit, ablegataque Barce Sichæi nutrice, ne quid destinatæ morti impedimenti afferret, necem sibi conscivit.

Didonem interea moverat Æneæ 1 ardens virtus. 2 gentis honos, 3 flagrans oris venustas, 4 facundia prudens. 5 genus divinum. tacito itaque & ad tempus ire cœpit.

AT regina gravi jamdudum saucia cura,
Vulnus alit venis, & cæco carpitur igni.
Multa viri 1 virtus animo, multusque recursat
2 Gentis honos: hærent infixi pectore 3 vultus,
4 Verbaque: nec placidam membris dat cura quietem.
Postera Phœbea lustrabant lampade terras,
Humentemque aurora polo dimoverat umbram;
Cum sic unanimem alloquitur malesana sororem:

celato amore jam dudum accensa æstuare jam, atque in flammas

Anna

Anna soror, quæ me suspensam [a] insomnia terrent?
Quis novus hic nostris successit sedibus hospes!
Quem [3] sese [4] ore ferens! quam [1] forti pectore & armis!
Credo equidem (nec vana fides) [5] genus esse deorum.
Degeneres animos timor arguit. heu quibus ille
Jactatus fatis! quæ bella exhausta canebat!
Si mihi non animo fixum, immotumque sederet,
Ne cui me vinclo vellem sociare jugali,
Postquam primus [b] amor deceptam morte fefellit;
Si non pertæsum [c] thalami, tedæque fuisset:
[d] Huic uni forsan potui succumbere [e] cu pæ.
Anna (fatebor enim) miseri post fata Sichæi
Conjugis, & sparsos [f] fraterna cæde penates,
Solus hic inflexit sensus, animumque labantem
Impulit. agnosco veteris vestigia flammæ.
Sed mihi vel tellus optem prius ima dehiscat,
Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras,
Pallentes umbras Erebi, noctemque profundam;
Ante pudor, quam te violem, aut tua jura resolvam.
Ille meos, primus qui me sibi junxit, amores
Abstulit; ille habeat secum, servetque sepulchro.
Sic effata, [g] sinum lacrymis implevit obortis.
Anna refert: O luce magis dilecta sorori,
[h] Solane perpetuâ mœrens carpêre juventâ?
Nec dulces natos, [i] Veneris nec præmia noris?
Id [k] cinerem, aut manes credis curare sepultos?
Esto: ægram nulli quondam flexere mariti,
Non Libyæ, non ante Tyro despectus [l] Iärbas,
Ductoresque alii, quos Africa terra triumphis
Dives alit: placitone etiam pugnabis amori?
Nec venit in mentem quorum consederis arvis?
[m] Hinc Getulæ urbes, genus insuperabile bello,
Et Numidæ [n] infreni cingunt, & [o] inhospita Syrtis:

[a] Per reliquam noctem quæ a fine narrationis Æneæ superfuit ad auroram.
[b] Conjux Sichæus 1. lib. Æneid.
[c] Nuptiarum, quibus sternitur lectus genialis in aula, & præferuntur quinque faces e teda arbore de laricum genere.
[d] Singula hic verba emphasin habent & pondus inquit Scal.
[e] Digamiæ, secundis nuptiis. quarum nomen Ethnicis etiam infame habitum. Cæl. Rhod. l. 28. cap. 22.
[f] Fratris Pygmalionis manu, ut 1. Æneid.
[g] Gremium non sinum oculorum tantum, ut

volunt quidam. [h] Solitaria, sine consortis solatio & sobole. [i] Χρυσῆς Ἀφροδίτης. [k] Conjugis defuncti. [l] Rex Mauruſiorum. qui cum Elisæ per legatos ambiret nuptias, non sine belli, si recusaret, minis: illa trimestris spatii impetrata mora, ut prioris mariti manes placaret, in pyram, quam eo prætextu extruxerat, se conjecit, maluitque ardere, quam nubere. historiam lege apud Justinum lib. 18. contra cujus veritatem obtinuit Virgilii figmentum de Ænea. [m] Carthaginem a Meridie Getulia & deserta Libyæ, ab Ortu Syrtis major, ab Occasu Numidia sive Mauritania, a Septentrione mare, cingebant. [n] Qui equos non fræno regunt, sed virga tantum. *Et Massylæum virga gubernat equum.* Mart. l. 9. ep. 23. Gens tamen fera nec legibus nec imperio parens. Æn. 1. *cui condere Jupiter urbem, Justitiaque dedit gentes frenare superbas.* [o] Inportuosa & inaccessa, propter vada & reciprocos æstus, & accolas Nasamonas naufragiis & raptu victitantes. Duæ autem sunt Syrtes, vide quæ nos ad Lucanum. l. 1. v. 362.

Hinc

Hinc *p* deserta siti regio, lateque furentes
q Barcæi. quid bella Tyro surgentia dicam,
r Germanique minas?
Diis equidem auspicibus reor, & Junone secunda
Huc cursum Iliacas vento tenuisse carinas,
Quam tu urbem soror, hanc cernes! quæ surgere regna
Conjugio tali! Teucrum comitantibus armis
Punica se quantis attollet gloria rebus!
Tu modo posce deos veniam, *s* sacrisque litatis
Indulge hospitio, causasque innecte morandi,
Dum pelago desævit hyems, & aquosus *t* Orion,
Quassatæque rates, & non tractabile cœlum.
His dictis incensum animum inflammavit amore:
Spemque dedit dubiæ menti, solvitque pudorem.
Principio delubra adeunt, *u* pacemque per aras
Exquirunt: *x* mactant lectas de more bidentes
y Legiferæ Cereri, *z* Phœboque, patrique *a* Lyæo,
b Junoni ante omnes, cui vincla jugalia curæ.
Ipsa tenens dextra pateram pulcherrima Dido,
Candentis vaccæ *c* media inter cornua fundit:
Aut ante ora deûm pingues spatiatur ad aras,
Instauratque diem donis, *d* pecudumque reclusis
Pectoribus inhians, spirantia consulit exta.
Heu vatum ignaræ mentes, quid vota furentem,
Quid delubra juvant? *e* est *f* mollis flamma medullas
Interea, & tacitum vivit sub pectore vulnus.
Uritur infelix Dido, totaque vagatur
Urbe furens. qualis conjecta cerva sagitta,
Quam procul incautam nemora inter Cressia fixit
Pastor agens telis, liquitque volatile ferrum
g Nescius: illa fuga sylvas saltusque peragrat
h Dictæos; hæret lateri letalis arundo.
i Nunc media Æneam secum per mœnia ducit,
Sidoniasque ostentat opes, urbemque paratam.

p Libya deserta, neque fontes, neque fluvios habens, neque pluviam.
q Gens Africæ bellicosa. Turn. l. 22. c. 26.
r Pygmalionis, vindicaturi fugam suorum & thesauros abductos. l. 1.
s Venia impetrata, per sacrificia Diis accepta, καλλιερεῖα.
t Sidus navigantibus infestum, ortu & occasu tempestates ciens.
u Veniam, gratiam, explorant voluntatem Deorum sacrificando.
x Verba ritualia. de quibus l. 12. Æn.
y Θεσμοφόρῳ, quæ frugibus inventis, una leges, urbes, civilem vitam, conjugia sanxit. *z* Ut auspicia mitteret bona, quæ nuptiis felicibus prævia. *a* Lætitiæ libertatisque datori. 1. Æn. *b* Pronubæ & nuptiarum præsidi. *c* Setis inter cornua avulsis primum libata, sale deinde & farre fronti insperfis immolata, tum vino inter cornua fuso probata est hostia. *d* De extispicina, sive aruspicina, quo parcatur huic margini, regelandus es ad ea quæ nos late ad Senec. Oedip. Act 2. sc. 2. & Thyest. v. 769. & Lucanum l. 1. a versu 610. *e* Edit, consumit. *f* Al. *molleis*, molles. Catull. Epigr. 42. *Ignis mollibus ardet in medullis.* *g* Latens cervam dum percussit. vel Active: Nescius a se percussam cervam, adeoque non insequens. Ovid. v. Meram. *Quam si venabula Taurus corpore fixa gerat, fatique refugerit auctor.* *h* Dictys mons Cretæ, quæ celebris peritia sagittandi, cervis & Dictamno. *i* Affectus miserè amantis, & artes, quibus Æneam contineri, remorari, ambire studet.

Incipit

Incipit effari, mediaque in voce resistit.
Nunc eadem labente die convivia quærit:
Iliacosque iterum demens audire labores
Expoſcit, pendetque iterum narrantis ab ore.
Post ubi digressi, lumenque obscura vicissim
Luna premit, suadentque cadentia sidera somnos:
Sola domo mœret vacua, *k* stratisque relictis
Incubat; illum absens absentem auditque videtque:
Aut gremio Ascanium genitoris imagine capta,
Detinet, *l* infandum si fallere possit amorem.
Non cœptæ assurgunt turres: non arma juventus
Exercet, portusve aut propugnacula bello
Tuta parant: pendent opera interrupta, *m* minæque
Murorum ingentes, æquataque machina cælo.
Quam simul ac tali persensit peste teneri
Chara Jovis conjux, *n* nec famam obstare furori;
Talibus aggreditur Venerem Saturnia dictis.
o Egregiam vero laudem, & spolia ampla refertis
Tuque *p* puerque tuus; magnum, & memorabile nomen:
b Una dolo divûm si femina victa duorum est.
Nec me adeo fallit, veritam te mœnia nostra,
Suspectas habuisse domos Carthaginis altæ.
Sed quis erit modus? aut quo nunc *r* certamine tanto?
Quin potius pacem æternam, pactosque *s* Hymenæos
Exercemus? habes tota quod mente petisti:
Ardet amans Dido, traxitque per ossa furorem.
Communem hunc ergo populum paribusque regamus
Auspiciis: *t* liceat Phrygio servire marito,
Dotalesque tuæ Tyrios permittere dextræ.
Olli (sensit enim simulata mente loquutam,
Quo regnum Italiæ Libycas averteret oras)
Sic contra est ingressa Venus. Quis talia demens
Abnuat? aut *u* tecum malit contendere bello?
Si modo, quod memoras, factum *x* fortuna sequatur.
Sed fatis incerta feror, *y* si Jupiter unam
Esse velit Tyriis urbem, Trojaque profectis;
Miscerive probet populos, aut fœdera jungi,
Tu conjux, tibi fas animum tentare precando.
Perge, sequar. Tum sic excepit regia Juno:
Mecum erit iste labor. nunc qua ratione, quod instat

k Lectis, quibus modo discubuerat una cum Ænea, *l* Si explere mentem possit, satiataque patre in filii vultu conspecto amorem eludere & exstinguere. *m* Pinnæ murorum, unde propugnatores hostium impetus arcent, ἐπάλξεις. *Batlements.* *n* Adversa fama æque ac amore laborare. *o* Ironia, Rhetoribus notissima. *p* Cupido, pro Ascanio suppositus. *q* Emphatice omnia. *r* Subaudi. opus est? *s* Nuptias. vide quæ nos ad Senecæ Thebaid. v. 262. *t* Invidiose & virulenter, quasi in servitium turpe cum suis cessura sit, quæ Æneæ Phrygio nupserit. Cum respectu simul ad Rom. nuptias quæ per coemtionem fiebant. adi 1. Georg. *teque sibi generum Tethys emat omnibus undis.* *u* Emphatice. quæ regia Juno; regis filia, soror, uxor. *x* Consulto fatis, ubi adhibentur fortuna, fatum, voluntas Deorum. *y* Utrum, an.

Con-

Confieri poſſit, paucis (adverte) docebo.
Venatum Æneas, unaque [k] miſerrima Dido
In nemus ire parant, ubi primos craſtinus ortus
Extulerit Titan, radiiſque retexerit orbem.
His [a] ego nigrantem commiſta grandine nimbum,
[b] Dum trepidant alæ, ſaltuſque [c] indagine cingunt,
Deſuper infundam, & tonitru cœlum omne ciebo.
Diffugient comites, & [d] nocte tegentur opaca.
Speluncam Dido, dux & Trojanus eandem
Devenient. adero, & [e] tua ſi mihi certa voluntas,
[f] Connubio jungam ſtabili, propriamque dicabo.
Hic [g] Hymenæus erit. Non adverſata, petenti,
Annuit, atque dolis [h] riſit Cytherea repertis.
[i] Oceanum interea ſurgens Aurora reliquit:
It portis, [k] jubare exorto, delecta juventus:
Retia rara, plagæ, lato venabula ferro,
[l] Maſſyllique ruunt equites, & [m] odora canum vis.
Reginam thalamo cunctantem, ad limina primi
Pœnorum exſpectant. oſtroque inſignis & auro
Stat ſonipes, ac frena ferox ſpumantia mandit.
Tandem progreditur magna ſtipante caterva,
Sidoniam picto [n] chlamydem circundata limbo,
Cui pharetra ex auro, crines nodantur in aurum,
Aurea purpuream ſubnectit fibula veſtem.
Nec non & Phrygii comites, & lætus Jülus
Incedunt, ipſe ante alios pulcherrimus omnes
Infert ſe ſocium Æneas, atque [o] agmina jungit.
[p] Qualis, ubi hybernam [q] Lyciam, Xanthique fluenta
Deſerit, ac [r] Delum maternam inviſit Apollo,
Inſtauratque [s] choros; miſtique altaria circum
Creteſque Dryopeſque [t] fremunt, pictique Agathyrſi:
Ipſe jugis [u] Cynthi graditur, mollique fluentem

[k] Perdite amore saucia
[a] Rite ac jure, ut quæ aeris præſes.
[b] Dum hinc inde alæ citæ diſcurrunt equitum, qui cum clamore feras in obſtantes plagas impellunt.
[c] Serie plagarum, formidinibus vicissim interpoſitis, ad retinendas vel terrendas feras. nos ad Senecæ Hippolytum. 1. ſc. 1. act.
[d] Caligine tempeſtuoſa.
[e] Siquidem conjugii præſidi adſentiatur amoris dea.
[f] Hunc eundem verſum repete, 1. Æn.
[g] Hymenæi, nuptiæ. [h] Φιλομμειδὴς. [i] Ex opinione vulgi maritimi, cui ſidera e mari emergere videntur. cum relatione item ad fabuloſum Auroræ & Oceani conjugium. [k] Lucifero; vel etiam, Sole. [l] Numidæ, equites expediti. ſupra, hoc lib. militare. [m] Naris ſagacis canes. [n] Pallium non minus viatorium ac venatorium quam militare. [o] Comites, comitatum ſuum. [p] Οἷος δ' ἐκ νηοῦ Θυώδεος ἆσεν Ἀπόλλων Δῆλον ἀν' ἀγαθήν, &c. Apollonius 1. Argonaut. Qualis ubi vere novo ab hybernis ſuis ad æſtiva remigrans nos reviſit pulchrior & alacrior. [q] Aſiæ provinciam, in qua Xanthus fl. [r] Inſ. natalem Apollinis, Latonæ ſacram. [s] Sacris propemodum omnibus adhibiti chori; maxime Apollinis; qui & ipſe ὀρχηστὴς ſummus. hujus altaria circum gens omnis, Cretes ſaltandi peritiſſimi, Dryopes Parnaſſi accolæ, Agathyrſi Scythiæ pop. qui ſe pingunt, ut de Gelonis dictum 2. Georg. ſaltant, idque a ſiniſtris dextrorſum. Solis in Zodiaco curſum ſignantes, & a dextris ſiniſtrorſum cœli curſum notantes. [t] Cantantes. *Lætitia, plauſuque vias, ludiſque fremebant.* 8. Æneid. [u] Montis in Delo inſ.

Fronde

Fronde premit crinem fingens, atque implicat auro.
Tela ſonant humeris: haud illo x ſegnior ibat
Æneas; tantum egregio decus enitet ore.
Poſtquam altos ventum in montes atque invia luſtra,
Ecce feræ y ſaxi dejectæ vertice capræ
Decurrere jugis: alia de parte patentes
Tranſmittunt curſu campos, atque agmina cervi
Pulverulenta fuga glomerant, monteſque relinquunt.
At puer z Aſcanius mediis in vallibus acri
Gaudet equo, jamque hos curſu, jam præterit illos,
Spumantemque dari pecora inter a inertia votis
Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.
Interea magno miſceri b murmure cœlum
Incipit; inſequitur commiſta grandine nimbus.
Et Tyrii comites paſſim, & Trojana juventus,
Dardaniuſque nepos Veneris, diverſa per agros,
c Tecta metu petiere; ruunt de montibus amnes.
Speluncam Dido dux & Trojanus eandem
Deveniunt. d 1 prima & Tellus, & pronuba Juno
Dant ſignum: 2 fulſere ignes, & 3 conſcius æther
Connubii, ſummoque 4 ululârunt vertice Nymphæ.
Ille dies primus lethi, primuſque malorum
Cauſa fuit, neque enim ſpecie, famave movetur,
Nec jam furtivum Dido meditatur amorem:
Conjugium vocat, hoc prætexit nomine culpam.
e Extemplo Libyæ magnas it fama per urbes:
Fama, malum, quo non aliud velocius ullum:
Mobilitate viget, viresque acquirit eundo:
f Parva metu primo, mox ſeſe attollit in auras,
Ingrediturque ſolo, & g caput inter nubila condit.
Illam Terra parens, ira irritata deorum,
h Extremam (ut perhibent) Cæo, Enceladoque ſororem
Progenuit, pedibus celerem, & pernicibus alis,
Monſtrum horrendum, ingens; cui quot ſunt corpore plumæ,
Tot vigiles oculi ſubter, (mirabile dictu)
Tot linguæ, totidem ora ſonant, tot ſubrigit aures.

x Vegetus æque & alacer, tamque oris decore inſignis.
y Montis ſcopuloſi, quæ capreis ſive rupicapris ſedes.
z Verus Aſc. jam patri redditus, Veneris mandatis a ſuppoſititio illo peractis.
a Imbellia, capras, cervos, & quæ repugnare neſciant.
b Tonitru, tempeſtate ingruente.
c *Shelter.* latibula ferarum, cavas arbores, antra, rupes prominentes.
d Male ominata omnia.
1 Pro auſpiciis, Terræ motus & ſurda tonitrua:
2 Pro facibus nuptialibus, fulgura:
3 Pro auſpicibus aer ſolus conſcius:
4 Pro Puellis quæ ante thalamos a veſpere ad mediam noctem concinerent, ululârunt Nymphæ. fuerint ne illæ Orcades & Napeæ, aut, ut alii volunt, Diræ. e Imitamen hujus deſcriptionis habes apud Ovid. 12. Metam. quem adhibe hujus quaſi expoſitorem. *f* Hᵉ τ' ὀλίγη μὲν πρῶτα κορύσσεται, αὐτὰρ ἔπειτα Οὐρανῷ ἐστήριξε κάρη, καὶ ἐπὶ χθονὶ βαίνει. Homeri Eris. ſ. Iliad. vide hic vindicias Pontani in Antonio Dialogo a calumniis Macrobii. & Sealig. l. 5. Poet. cap. 3. g Quia autor rumorum fere incertus eſt. Scalig. ibid. h Amoturam a fratribus ſuis crimen cœli affectati, & ultorum Deos, furta eorum & delicta divulgando.

Nocte volat, *i* cœli medio, *k* terræque per umbram,
Stridens, nec dulci declinat lumina somno.
Luce sedet custos, aut summi culmine *l* tecti,
m Turribus aut altis, & magnas territat urbes;
Tam ficti pravique tenax, quam nuncia veri.
Hæc tum multiplici populos sermone replebat
Gaudens, & pariter facta, atque infecta canebat.
Venisse Æneam, Trojano à sanguine cretum,
Cui se pulchra viro dignetur jungere Dido.
Nunc hyemem inter se luxu, *n* quam longa, fovere,
o Regnorum immemores, turpique cupidine captos.
Hæc passim Dea fœda virûm diffundit in ora.
Protinus ad regem cursus detorquet Iärbam,
Incenditque animum dictis, atque aggerat iras.
Hic *p* Ammone satus, rapta Garamantide nympha,
Templa Jovi centum latis immania regnis,
Centum aras posuit, *q* vigilemque sacraverat ignem,
Excubias divûm æternas, pecudumque cruore
Pingue solum, & variis florentia limina sertis.
Isque amens animi, & rumore accensus amaro,
Dicitur ante aras, media inter numina divûm,
Multa Jovem *r* manibus *s* supplex orasse supinis.
Jupiter omnipotens, cui nunc Maurusia pictis
Gens epulata toris, *t* Lenæum libat honorem,
Aspicis hæc? an te genitor, cum fulmina torques
Nequicquam horremus? *u* cæcique in nubibus ignes
Terrificant animos, & *u* inania murmura miscent?
Femina, quæ nostris errans in finibus, urbem
Exiguam pretio posuit: cui litus arandum,
Cuique *x* loci leges dedimus, connubia nostra
Reppulit, ac *y* dominum Ænean in regna recepit.
Et nunc ille *z* Paris cum *a* semiviro comitatu
b Mœonia mentum mitra, crinemque *c* madentem
Subnixus, rapto potitur; nos munera templis
Quippe tuis ferimus, famamque fovemus inanem.

i Inter cœlum & terram media. *k* Noctis tenebras. *l* Privatarum ædium. *m* Regum aulis. *n* Quam longa est, i. totam hyemem. Neque tamen hyemem Carthagini insumebat. Hæc fama tam ficti pravique tenax quam nuncia veri. namque dicit Iris lib. 7. *Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas.* vide. *o* Hunc Italici, illam, Africani. *p* Jovis Ammonis, in arenosa regione Cyrenaica culti sub forma arietis, & nymphæ ex gente vel patre Garamante, filius. vide quæ nos ad Lucan. l. 9. *q* Ασβεστον in ἑστίᾳ servandum. supra. l. 2. ad *Æternumque adytis effert penetralibus ignem.* *r* Conversis ad cœlum palmis. *s* Exprobrans potius & expostulans indignabunde. *t* Vinum. Lenæus Bacchi nomen a ληνὸς torcular & lacus. *u* Bruta fulmina, καπνὸς ποιητικὸς ἄτεχνος καὶ ἄσβολος, Timon Luciani. *x* Pomœrii, ad mensuram corii bubuli, vel, locarii vectigalis. *y* Contemptim & Ironice. Juno supra, *Phrygio servire marito.* *z* Hic Paris alter, raptor. *a* Molli, corpore quidem viris, animo & cultu fœminis, spadonibus, Gallis. *b* Vide 9 l. quæ ad, *Et tunicæ manicas, & habent redimicula mitræ*, &c. *c*. Unguentis delibutum & nitidum.

Talibus

Talibus orantem dictis, *d* arasque tenentem
Audiit omnipotens, oculosque ad mœnia torsit
Regia, & oblitos famæ melioris amantes.
Tunc sic Mercurium alloquitur, ac talia mandat:
Vade age, nate, voca Zephyros, & labere pennis:
Dardanumque ducem (Tyria Carthagine qui nunc
e Exspectat, fatisque datas non respicit urbes)
Alloquere, & celeres defer mea dicta per auras.
Non illum nobis genitrix pulcherrima talem
Promisit, Grajûmque ideo *f* bis vindicat armis:
Sed fore, qui gravidam imperiis belloque frementem
Italiam regeret, genus alto à sanguine Teucri
g Proderet, ac totum sub leges mitteret orbem.
Si nulla accendit tantarum gloria rerum,
Nec super ipse sua molitur laude laborem;
Ascanione pater Romanas invidet arces?
Quid struit? aut qua spe *h* inimica in gente moratur?
Nec prolem Ausoniam, & Lavinia respicit arva?
Naviget. hæc summa est, hic nostri nuncius esto.
Dixerat. ille patris magni parêre parabat
Imperio, & primum pedibus *i* talaria nectit
Aurea, quæ sublimem alis, sive æquora supra,
Seu terram, rapido pariter cum flamine portant.
Tum *k* virgam capit: hac *l* animas ille evocat Orco
Pallentes, alias sub tristia Tartara mittit:
Dat somnos, adimitque, & lumina morte *m* resignat.
Illa fretus agit ventos, & turbida tranat
Nubila jamque volans apicem, & latera ardua cernit
n Atlantis duri, *o* cœlum qui vertice fulcit:
Atlantis cinctum assidue cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur & imbri:
Nix humeros infusa tegit: tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.
Hic primum *p* paribus nitens Cyllenius alis
Constitit: hinc toto præceps se corpore ad undas
Misit, *q* avi similis, quæ circum litora, circum

d Ex more precantium & jurantium.
e Moratus terit otia.
f A Diomede, ipsa, Iliad. 5. Iterum ab Achille, per Neptunum. Iliad. 20. & Æneid. 5.
g Propagaret, extenderet, proferret.
h Cum respectu ad hostile odium futurum inter Romanos & Carthaginenses.
i Πέδιλα πτερῶν τάξασθαι ἐχούσας.
k Caduceum, κηρυκεῖον. quod ab Apolline pro lyra a se inventa acceperat.
l Πομπαῖος sc. ψυχαγωγὸς & νεκροπομπός.
m Cum relatione ad veterum morem, a quibus oculi mortuorum in rogo aperiebantur, qui in morte domi clausi fuerant. quod munus Mercurio assignat.
n Cui quia ex viro in montem mutatus est, attribuit Poeta promiscue quæ sunt utriusque, saxa, pinus, flumina, nec non verticem, barbam, mentum, latera, &c. vide 4. Metamorph. Ovid.
o Montis vertex nubes superans aciem oculorum fugit, adeoque ab accolis vocatur Cæli columna. Allusum simul ad ipsum Atlanta regem Mauritaniæ, Astronomiæ perititissimum, cælique motus docentem.
p Æquatis, non motis, leni volatu.
q Laro, quæ Mercurii avis, & ex imitatione Homeri Odyss. 5. Σεύατ' ἔπειτ' ἐπὶ κύμασι κάρφει ὄρνιθι ἐοικώς. Alii *mergum* intelligi volunt.

Piscosos scopulos humilis, volat æquora juxta,
Haud aliter terras inter, cælumque volabat,
Litus arenosum Libyæ, ventosque secabat,
Materno veniens ab avo Cyllenia proles.
Ut primum alatis tetigit magalia plantis,
Æneam fundantem arces, ac tecta novantem
Conspicit. atque illi stellatus iaspide fulva
Ensis erat: Tyrioque ardebat murice læna
Demissa ex humeris: dives quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.
Continuo invadit: Tu nunc Carthaginis altæ
Fundamenta locas, pulchramque uxorius urbem
Exstruis, heu regni, rerumque oblite tuarum!
Ipse deûm tibi me claro demittit Olympo
Regnator, cœlum & terras qui numine torquet:
Ipse hæc ferre jubet celeres mandata per auras.
Quid struis? aut qua spe Libycis teris otia terris?
Si te nulla movet tantarum gloria rerum,
Nec super ipse tua moliris laude laborem:
Ascanium surgentem, & spes hæredis Iŭli
Respice, cui regnum Italiæ Romanaque tellus
Debentur. Tali Cyllenius ore loquutus,
Mortales visus x medio sermone reliquit,
Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
At vero Æneas adspectu obmutuit y amens:
z Arrectæque horrore comæ, & vox faucibus hæsit:
Ardet abire fuga, dulcesque relinquere terras,
Attonitus tanto monitu, imperioque Deorum.
Heu quid agat? quo nunc reginam a ambire furentem
Audeat affatu? & quæ prima exordia sumat?
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc:
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
Hæc b alternanti potior sententia visa est:
Mnesthea, Sergestumque vocat, fortemque Cloanthum:
Classem aptent taciti, socios ad litora cogant,
c Arma parent, & quæ sit rebus causa d novandis
Dissimulent. sese interea, quando optima Dido
Nesciat, & tantos rumpi non speret amores,
Tentaturum aditus, & quæ e mollissima fandi
Tempora, quis rebus dexter modus. ocyus omnes
Imperio læti parent, ac jussa facessunt.

r Atlante patre Majæ quæ mater Mercurii, educati in Cylleno, monte Arcadiæ.
s Capulus seu vaginæ frons, interprete Juvenale, 5. Satyr.
t Purpura murex piscis est e concharum genere, cujus in faucibus succus est quo tingitur purpura.
u χλαῖνα, vestis crassa arcendo frigori adhibita, ut & auguralis amictus.
x Non exspectato Æneæ responso.
y Consternatus animo.
z *Steteruntque comæ & vox faucibus hæsit*: Iliad. 2. & 3.
a Aggredi & verbis circumvenire.
b Varie agitanti; reciproco inter amorem Didonis & Jovis jussa æstu.
c Defensiva, adversus Pœnos, si opus sit: *vel etiam* navalia. quibus armetur classis. ut infra.
d De novo moliendis, mutandis. e Maxime opportuna consilio suo detegendo, ἐγκαιρίας.

At regina dolos (quis fallere possit amantem?)
Præsensit, motusque excepit prima futuros,
f Omnia tuta timens. *g* eadem impia fama furenti
Detulit, armari classem, cursumque parari.
Sævit inops animi, totamque incensa per urbem
h Bacchatur. qualis commotis excita sacris
i Thyas, ubi audito stimulant *k* trieterica Baccho
l Orgia, nocturnusque vocat clamore *m* Cithæron.
Tandem his Æneam compellat vocibus ultro:
n Dissimulare etiam sperasti, *o* perfide, tantum
Posse nefas? tacitusque mea decedere terra?
Nec te noster amor, nec te data dextera quondam,
Nec moritura tenet crudeli funere Dido?
Quinetiam *p* hyberno moliris sidere classem,
Et mediis properas *q* aquilonibus ire per altum
Crudelis. Quid, si non arva aliena domosque
Ignotas peteres? & Troja antiqua maneret?
Troja per undosum peteretur classibus æquor?
Mene fugis? per ego has lacrymas, dextramque tuam,
te,
Quando aliud mihi jam miseræ nihil ipsa reliqui.
Per connubia nostra, per *r* inceptos hymenæos,
Si bene quid de te merui, fuit aut tibi quicquam
Dulce meum: miserere domus *s* labentis, & istam
Oro, si quis adhuc precibus locus, exue mentem.
Te propter Libycæ gentes, Nomadumque *t* tyranni
Odere, *u* infensi Tyrii: te propter eundem
Exstinctus pudor, *x* &, qua sola sidera adibam,
Fama prior, cui me moribundam deseris, hospes?
Hoc so um nomen quoniam de conjuge restat.
y Quid moror? an mea Pygmalion dum mœnia fra-
ter
z Destruat? aut *a* captam ducat Getulus Iärbas?
Saltem siqua mihi de te suscepta fuisset
Ante fugam *b* soboles: si quis mihi parvulus aulâ

f Omnia, etiam quæ tuta sunt, timens. adi Scal. 3. Poet. c. 13.
g Quæ Jarbæ dudum nunciaverat amores Æneæ & Didonis.
h Vel propter effigiem Bacchi in his sacris prælatam; vel tumultum vociferantium & cymbalorum sonitum.
i Mænas, Bacchi ministra. a θύω furoris impetu feror.
k Bacchanalia tertio quoque anno celebrata, in memoriam triennalis Bacchi expeditionis in Indiam.
l Sacra, a quibus arcentur profani, non initiati. ab ἴεγγω. *m* Mons Bœotiæ Nyctelius. i. nocturnis Bacchi Orgiis resonans. 2. Georg. *virginibus bacchata Lacænis Taygeta.* *n* Orationis hujus, inter alias, perpetuam explicationem habes apud Jul. Scalig. 3. Poet. l. c. 23. *o* In perfidia, dissimulatione, ingratitudine exprobranda insistit maxime. *p* Per anni cælique inclementiam & mare tempestuosum. veteribus autem post Cal. Novembris intempestiva habita est navigatio. Solvisse tamen ex Africa Æneam sub finem æstatis ex sequentibus constat, rediisseque in Siciliam ante hyemem. *q* Qui navigantibus ex Africa in Italiam contrarii. *r* Quos novitate etiamdum dulces esse par erat. *s* Te discedente ruituræ. *t* Hiarbas & ductores alii. supra. *u* Civium meorum alienati a me animi. *x* Et qua longe lateque clara eram pudicitiæ fama, omni unguento suavior, omni gemma pretiosior. *y* Quid ultra moror? *z* Ulturus fugam. *a* Ulturus spretum a me illius mearum nuptiarum ambitum. *b* Cujus aspectu fallere possem tui desiderium.

Luderet Æneas, qui te tantum ore referret,
Non equidem omnino capta, aut deserta viderer.
Dixerat. Ille Iovis monitis immota tenebat
Lumina, & [c] obnixus curam sub corde premebat.
Tandem pauca refert. [d] Ego te, quæ plurima fando
Enumerare vales, nunquam, regina, negabo
Promeritam: nec me meminisse pigebit Elissæ,
Dum memor ipse mei, dum spiritus hos reget artus.
Pro re pauca loquar. [e] Nec ego hanc abscondere furto,
Speravi, ne finge, fugam: nec [f] conjugis unquam
Prætendi tædas, aut hæc in fœdera veni.
Me si fata [g] meis paterentur ducere vitam
Auspiciis, & [g] sponte mea componere curas:
[h] Urbem Trojanam primum, dulcesque meorum
Reliquias colerem, & Priami tecta alta manerent:
Et [i] recidiva manu posuissem Pergama victis.
Sed nunc Italiam magnam [k] Grynæus Apollo,
Italiam [l] Lyciæ jussere capessere sortes.
Hic amor, hæc patria est. si te Carthaginis arces
Phœnissam, Libycæque aspectus detinet urbis,
Quæ tandem, Ausonia Teucros considere terra,
Invidia est? & nos fas extera quærere regna.
Me patris Anchisæ, quoties humentibus umbris
Nox operit terras, quoties astra [m] ignea surgunt,
Admonet in somnis, & turbida terret imago:
Me [n] puer Ascanius, capitisque injuria chari,
Quem regno Hesperiæ fraudo, & fatalibus arvis.
Nunc etiam [o] interpres divûm, Jove missus ab ipso
(Testor [p] utrumque caput,) celeres mandata per auras
Detulit; ipse Deum manifesto in lumine vidi
Intrantem muros, vocemque his auribus hausi.
Desine meque tuis incendere, teque querelis:
Italiam non sponte sequor.
Talia dicentem jam dudum [q] aversa tuetur,
Huc illuc volvens oculos, totumque pererrat
[r] Luminibus tacitis; & sic accensa profatur:
[s] Nec tibi diva parens, generis nec Dardanus auctor,

[c] Obfirmato animo reluctans.
[d] Diluit hac oratione exprobrationes, abitum transfert in fata. Scalig. 3. lib. Poet. 23. c.
[e] Nec clam adornavi fugam, nec fieri id posse sperabam.
[f] Conjugii.
[g] Meo arbitrio.
[h] Patriæ meæ ruinas restaurare contenderem.
[i] Post casum restituta priori dignitati.
[k] In Grynæo nemore, de quo dictum Ecl. 6. oracula reddens. Sunt qui Grynæi Apollinis oraculum in Delo statuunt. unde responsum accepit Æneas lib. 3. Æneid.
[l] Patara urbs est Lyciæ,
Apollinis templo & oraculo clara. [m] Naturæ, ut quibusdam philosophis placitum est igneæ. [n] Ratio habita Ascanii filii. [o] Ἑρμῆς. Mercurius. [p] Meum & Ascanii, qui 2. lib. Per *caput hoc juro, per quod pater ante solebat.* [q] Recta intueri dedignata, aut non sustinens. [r] Oculis ægris, cum indignatione & fastidio, ipsa tacita. [s] Perpendit & hanc orationem Jul. Scalig. dicto 23. cap. 3. lib. Poetices.

Perfi-

Perfide: t de duris genuit te cautibus horrens
u Caucasus, Hyrcanæque admorunt ubera tigres.
Nam quid dissimulo? aut quæ me ad majora reservo?
Num fletu ingemuit nostro? num lumina flexit?
Num lacrymas victus dedit? aut miseratus amantem est?
x Quæ quibus anteferam? jam jam nec maxima y Juno,
Nec z Saturnius hæc oculis pater aspicit æquis.
Nusquam tuta fides. ejectum a litore, egentem
Excepi, & regni demens in parte locavi:
a Amissam classem, socios à morte reduxi.
Heu b furiis incensa feror. c nunc augur Apollo,
Nunc Lyciæ sortes, nunc & Jove missus ab ipso
Interpres divûm fert horrida jussa per auras.
d Scilicet is superis labor est: ea cura quietos
Sollicitat. e neque te teneo, neque dicta refello.
I, sequere Italiam ventis: pete regna per undas.
Spero equidem mediis, si quid pia numina possunt,
Supplicia f hausturum scopulis, & nomine Dido
Sæpe vocaturum. sequar atris ignibus absens:
Et cum frigida mors anima seduxerit artus,
Omnibus umbra locis g adero: dabis, improbe, pœnas.
Audiam & hæc manes veniet mihi fama sub imos.
His medium dictis sermonem abrumpit, & auras
h Ægra fugit, seque ex oculis avertit, & aufert,
Linquens multa metu cunctantem, & multa parantem
Dicere. suscipiunt famulæ, collapsaque membra
Marmoreo referunt thalamo, stratisque reponunt.
At pius Æneas, quamquam lenire dolentem
Solando cupit, & dictis avertere curas,
Multa gemens, magnoque animum labefactus amore;
i Jussa tamen Divûm exequitur, classemque revisit.
Tum vero Teucri incumbunt, & litore celsas
Deducunt toto naves; natat k uncta carina:
Frondentesque ferunt remos, & robora sylvis
Infabricata, fugæ studio.

t Nec partionem solam, sicut ille quem sequebatur (Homerus sc. Iliad. 16. Ἀλλὰ σέ γ', ὦ κύν' ἐφεστὸν ἐγὼ γε πατὴρ ὣν, &c.) sed nutricationem criminatur, addit enim de suo, *Hyrcanæque admorunt ubera tigres.* & quæ seq. vide apud Agellium lib 12. c. 1. & Macrob. Sat. 1. l. 11. c. & Scal. l. 5. c. 3.

u Mons Indiam a Scythia dividens, Promethei supplicio notissimus.

x Quid primum quærar? Deorumne neglectum? an hominis injuriam. Servius exp. Quid prius, quid posterius dicam?

y Quæ urbis meæ, ut & conjugii præses.

z Jupiter fil. Saturni,

aspectu noxius. a Lib. 1. Æn. cum hospitio prohiberetur arenæ classis quassa. b Injuriæ indignitas mentem tollit de cardine, rationem luxat, in furias me agit. c Et nunc prætexis Apollinis oracula Jovisque mandata. Repetit autem Ironica Mimesi ipsa Æneæ verba. d Elevatio Ironica, ex Epicureis placitis. *namque Deos diduci seorsum agere ævum: Nec si quid*, &c. Horat. 5. Sat. 1. l. e Epitrope Ironica. f Ovid. 2. Amor. 10. eleg. *Æquora perjuro naufragiis ore bibat.* g Ex opinione veterum; infestari vivos ab umbris eorum quibus injustæ necis fuerint causæ. h Præ iræ impotentia, miseræ delinquit anima. i Amorem religione, dolorem ratione vincit. k Navis pice & resina obducta, ad excludendas rimis undas.

Migrantes cernas, totaque ex urbe ruentes.
Ac veluti ingentem formicæ farris acervum
Cum populant, hyemis memores, tectoque reponunt,
l It nigrum campis agmen, *m* prædamque per herbas
Convectant calle angusto. pars grandia trudunt
Obnixæ frumenta humeris: *n* pars agmina cogunt,
Castigantque moras, opere omnis semita fervet.
Quis tibi nunc Dido cernenti talia sensus?
Quosve dabas gemitus, cum litora fervere late
Prospiceres arce ex summa, totumque videres
Misceri ante oculos tantis clamoribus æquor?
Improbe amor, quid non mortalia pectora cogis?
Ire iterum in lacrymas, iterum tentare precando
Cogitur, & supplex animos summittere amori,
Ne quid inexpertum frustra moritura relinquat.
Anna, vides toto properari litore circum:
Undique convenere: *o* vocat jam carbasus auras,
p Puppibus & læti nautæ imposuere coronas:
Hunc ego si potui tantum *q* sperare dolorem,
Et perferre soror potero. Miseræ hoc tamen unum
Exsequere, Anna, mihi: solam nam perfidus ille
Te colere, arcanos etiam tibi credere sensus:
Sola viri *r* molleis aditus, & tempora noras.
I, soror, atque *s* hostem supplex affare superbum.
t Non ego cum Danais Trojanam exscindere gentem
u Aulide juravi, classemve ad Pergama misi.
Nec patris Anchisæ cineres manesve revelli.
Cur mea dicta negat durus demittere in aures?
Quo ruit? extremum hoc miseræ det munus amanti:
Exspectet *x* facilemque fugam, ventosque ferentes,
Non jam conjugium antiquum, quod prodidit, oro:
Nec *y* pulchro ut Latio careat, regnumque relinquat:
Tempus inane peto, requiem, *z* spatiumque furori,
Dum mea me victam doceat fortuna dolere.

l Hemistichium Ennii de elephantis, quo ante Actium usus erat de Indis.
m Ruunt sepedum populorum undæ, summoque studio singulæ granatim totum digerunt acervum. Apul. 6. Met.
n Ex disciplina Reipubl. secus atque in Monarchia.
o Demissa antennis vela exspectant. Nonnullis placet Hypallage: auræ vocant carbasa.
p Redi ad ea quæ super hoc eodem versu adnotantur 1. Georg.
q Si tantum dolorem, quantum nunc fero, sperare potui, potero etiam perferre. Quo insinuat, se non posse perferre, quia id non potuit sperare. Cerda. Cum hunc dolorem sperare i. exspectare potuerim; eundem, si necesse sit, perferam. *Sperare* autem pro *exspectare* usurpari dictum est. 1. Æneid. *At sperate Deos memores*, &c. *r* *Mollissima fandi tempora.* supra. *s* Simpliciter. an, hospitem? ut supra. *cui me moribundam deseris hospes? Hoc solum nomen quoniam de conjuge restat.* Cic. 1. off. Hostis apud majores nostros is dicebatur, quem nunc peregrinum vocamus. *t* Neque enim ego illi rea sum hostilitatis, neque impietatis. *Aversio.* Scal. 3. Poet. 81. c.
u Portu in Bœotia, classe & conjuratione principum Græcorum de Helena repetenda, claro. *x* Mitius discedendi tempus & ventos secundos. *y* Præ quo cætera omnia illi sordent. *z* Quo desæviat amoris mei impetus, atque ex furore transeat temporis beneficio in dolorem.

Ex

Extremam hanc oro [a] veniam (miserere sororis)
Quam mihi cum dederis, cumulatam morte relinquam.
Talibus orabat, talesque miserrima fletus
Fertque, refertque soror, sed nullis ille movetur
Fletibus, aut voces ullas tractabilis audit.
Fata obstant, placidasque viri deus obstruit aures.
Ac veluti annosam valido cum robore quercum
[b] Alpini Boreæ nunc hinc, nunc flatibus illinc
Eruere inter se certant; it stridor, & alte
Consternunt terram concusso stipite frondes:
Ipsa hæret scopulis, & quantum vertice ad auras
Æthereas, tantum radice in Tartara tendit.
Haud secus assiduis hinc, atque hinc vocibus heros
Tunditur, & magno præsentit pectore curas:
Mens immota manet, lacrymæ volvuntur inanes.
Tum vero infelix fatis exterrita Dido
Mortem orat: tædet cœli [c] convexa tueri.
Quo magis incœptum peragat, lucemque relinquat,
Vidit, thuricremis cum [d] dona imponeret aris,
(Horrendum dictu) latices nigrescere sacros,
Fusaque in [e] obscenum se vertere vina cruorem.
Hoc visum nulli, non ipsi effata sorori.
Præterea, fuit in tectis de marmore *f* templum
Conjugis antiqui, miro quod honore colebat,
g Velleribus niveis & festa fronde revinctum:
Hinc exaudiri voces, & *h* verba vocantis
Visa viri, nox cum terras obscura teneret:
Solaque culminibus ferali carmine bubo
Sæpe queri, & *i* longas in fletum ducere voces,
Multaque præterea vatum prædicta priorum
Terribili monitu horrificant: agit ipse furentem
In somnis ferus Æneas: semperque relinqui
k Sola sibi, semper *l* longam incomitata videtur
Ire viam, & Tyrios deserta quærere terra.
[m] Eumenidum veluti demens videt agmina [n] Pentheus,
Et [o] solem geminum, & duplices se ostendere Thebas

[a] Gratiam, beneficium; cujus, cumulo priorum additi, memoriam & gratiam mors sola mihi auferet.
[b] Transalpini, ex Alpibus spirantes. Alpes autem cum Hyperboreis & Rhiphæis confundunt 2 veteres, vide Cœl. Rhod. l. 15. c. 7. & Athenæum. l. 6. c. 5. Παλαι μὲν Ῥίπαια, &c Νῦν δ' Ἄλπια. & ad eum Casaub. Comparatio autem sumitur ex Il. 6. & 12.
[c] Τὸ κυρτὸν & τὸ κοῖλον. convexum, & cavum, exterius & interius Poetæ confundunt.
[d] Libamina, quibus parentabatur mortuis.
[e] Mali ominis.

f Delubrum, ædicula eadem sepulchrum Sichæi. *g* Tæniis, vittis, fasciis laneis cinctum, coronis, ramis, frondibus ornatum, lana a ramo circumvoluta στέμμα dicitur. *h* *Ipse sono tenui dixit Elisa veni.* Ovid. Epist. Didonis. *i* *Scrieches.* *k* Quæ solitudo principibus, qui satellitio & comitatu stipari solent, abominanda; & in somnijs mali ominis. *l* Tænariam, ad inferos sc. ubi suos desiderat. *m* Furiarum, quas Argis placatas Orestes nuncupavit εὐμενίδας. *n* Thebanorum rex, in furias actus ob contemptum Bacchum, & a Bacchis discerptus. *o* Ὀρᾷν μοι δύο μὲν ἡλίους δοκῶ, Διοτάς τ' Θήβας Eurip. Bacchæ.

Aut Agamemnonius *p* scenis agitatus Oreſtes,
Armatam facibus matrem, & ſerpentibus atris
Cum fugit, ultriceſque * ſedent in limine Diræ.
Ergo ubi concepit furias evicta dolore,
Decrevitque mori: tempus ſecum ipſa, modumque
Exigit: & mœſtam dictis aggreſſa ſororem,
Conſilium vultu tegit, ac ſpem fronte ſerenat.
Inveni, germana, viam, (gratare ſorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſolvat amantem.
Oceani finem juxta, ſolemque cadentem
Ultimus Æthiopum locus eſt: ubi maximus *q* Atlas
Axem humero *r* torquet ſtellis ardentibus *ſ* aptum.
Hinc mihi Maſſylæ gentis monſtrata ſacerdos
t Heſperidum templi cuſtos, epulaſque draconi
Quæ dabat, & *u* ſacros ſervabat in arbore ramos,
Spargens humida mella, *x* ſoporiferumque papaver.
y Hæc ſe carminibus promittit ſolvere mentes,
Quas velit: aſt aliis duras immittere curas:
Siſtere aquam fluviis, & vertere ſidera retro:
Nocturnoſque ciet manes: mugire videbis
Sub pedibus terram, & deſcendere montibus ornos.
Teſtor, chara, Deos, & te, germana, tuumque
Dulce caput, magicas invitam accingier artes.
Tu ſecreta pyram tecto interiore *z* ſub auras
Erige, & *a* arma viri, thalamo quæ fixa reliquit
Impius, *b* exuviaſque omneis, lectumque *c* jugalem
Quo perii, ſuperimponas: abolere nefandi
Cuncta viri monimenta jubet, monſtratque ſacerdos.
Hæc effata ſilet: pallor ſimul occupat ora.

p In theatris ac ſcenis paſſim actus.
* In Æſchili Tragœdia, cui nomen Eumenides, Delphis in templo Apollinis a Furiis, in limine præſtolantibus eum, obſeſſus, egredi non auſus eſt & contendere ad Minervæ templum, ubi erat expiandus.
q Mons Africæ. ſupra, hoc l.
r Sphærica vertigine volvit.
ſupr. *vertice fulcit.*
ſ Ἀπτόμενον. ἄρμενον. diſtinctum ſtellis quaſi clavis fixum.
t Filiarum Heſperi, qui frater Atlantis. cuſtodiebant a. aurea poma in horto prope Lixum opp. Mauritaniæ, cui cuſtodiæ aderat una vigil draco, quem cibavit hæc ſacerdos. *u* Veneri, *x* Mulcendæ truculentiæ accommodatum, & mitigandæ naturæ feræ. *y* Poeta nihil ipſe aſſerit: verum ex perſona Magæ artem ſuam prædicantis. Operatur autem magia vel per motum localem; vel per cauſas naturales, applicando activa paſſivis; vel ſenſibus illudendo. amores an valeat ſolvere aut impedire, an curſum naturæ mutare, procellas excitare, animas mortuorum evocare, &c. poſt Platonicos, Jamblichum, Plotinum, Porphyrium, Apulejum, Poetas, alioſque veteres, videantur H. Cornel. Agrippa de occulta philoſophia, Wierus de Magis infam. & de cura. læſ. malefic. Binsfeldius Confeſſ. maleficarum, Auguſtin. de Natura Dæmonum, Cœlius Rhod. l. 3. c. 43. Cigogna l. 3. Magiæ omnifariæ c. 5. & l. 4. c. 2 &c. vide etiam quæ nos olim ad Senecæ Medeam. Act. 4. ſc. 2. & ad Lucanum l. 6. vide etiam quæ Alb. Gentilis habet ad tit. Cod. *De maleficis & mathematicis*, &c. 16. Virgilian. lection. *z* Sub dio, cœlo aperto; *penetrali in ſede.* infr. *a* Enſem viri, cujus jam nomen quaſi ingratum horret. *b* Veſtes ex arte Magica, ut 8. Ecl. *Has olim exuvias mihi perfidus ille reliquit.* vide Corn. Agripp. l. 1 occultæ philoſophiæ c. 40. de ligationibus & ſolutionibus, & c. 41. de veneficiis, eorumque virtute. *c* Genialem.

Non tamen Anna novis *d* prætexere funera ſacris
Germanam credit: nec tantos mente furores
Concipit, aut graviora timet, *e* quam morte Sichæi.
Ergo juſſa parat.
At regina, pyra penetrali in ſede ſub auras
Erecta ingenti, tædis, atque ilice ſecta,
Intenditque locum ſertis, & *f* fronde coronat
Funerea: ſuper exuvias, enſemque relictum,
g Effigiemque toro locat, *h* haud ignara futuri,
Stant aræ circum, & crines effuſa ſacerdos
i Tercentum tonat ore deos, *k* Erebumque, *l* Chaoſque,
m Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ,
Sparſerat & latices *n* ſimulatos fontis Averni.
o Falcibus & meſſæ ad lunam quæruntur ahenis
Pubentes herbæ, nigri cum lacte veneni.
Quæritur & naſcentis equi de fronte revulſus,
Et *p* matri præreptus amor.
Ipſa mola, manibuſque piis altaria juxta,
q Unam exuta pedem vinclis, in veſte *r* recincta
Teſtatur moritura deos, & conſcia fati
Sidera: tum ſi quod *ſ* non æquo fœdere amantes
Curæ numen habet, juſtumque, memorque precatur.
t Nox erat, & placidum carpebant feſſa ſoporem
Corpora per terras, ſylvæque & ſæva quierant
Æquora, cum medio volvuntur ſidera lapſu.
Cum tacet omnis ager, pecudes; pictæque volucres,
u Quæque lacus late liquidos, *x* quæque aſpera dumis
Rura tenent; ſomno poſitæ ſub nocte ſilenti
Lenibant curas, & corda oblita laborum.
At non infelix animi Phœniſſa, nec unquam
Solvitur in ſomnos, oculiſve aut pectore noctem
Accipit. *y* ingeminant curæ, rurſuſque reſurgens
Sævit amor, magnoque irarum fluctuat æſtu.

d Prætextu ſacrorum diſſimulare. vel per Hppallagen prætexere. i. prætendere ſacrum hoc funeri quod intendebat.
e Quam quæ contigerant morte Sichæi.
f Cupreſſo & verbenis.
g Eff. Æneæ ceream incendio devotam. vid. Ecl. 8. & Horat. ſat. 8. l. 1.
h Reſervato tamen ſibi conſilio moriendi ut ut ſpecie hac ſacrorum velato.
i Trecenta. i infinita Deorum nomina citat. quod in his Cocytiis ſacris fieri ſolet.
k Infernos tenebrarum incolas.
l Spiritus aereos. Chaos quidem vaſtæ illa vorago & moles indigeſta primæ materiæ: ſed tamen, Ariſtophani in avibus, eſt aer.
m De Hecate triformi, vide quæ nos ad Sen. Hippol. v. 410.
n In ſacris, ſicubi res ipſæ exhiberi non poſſent, repræſentabantur aliæ ſimulatæ, & pro veris acceptabantur.
o Ex horum ſacrorum ritu omnia. Herbæ ad Lunæ obſervationem, cujus ſpumantis ſaliva efficaciores creditæ, falcibus ahenis urpote purioribus quam ferreis, præcidebantur. eæque pubeſcentes & ſucco venenoſo tumentes.
p Hippomanes caruncula in fronte recens nati pulli. quam ſi quis præripuerit equi matri, illa non admittit fœtum ad ubera. Hanc in philtris efficacem eſſe ferunt vid. Corn. Agr. l. 1. de occulta phil. c. 42. igni vero mandata abolere amorem creditur. Turn. l. 5. c. 8.
q In Stygiis his Nudipedalibus ſiniſtrum pedem nudabant.
r In ſacris nihil eſſe ligatum decet, præcipue quæ amori fovendo fiunt.
ſ Non pari amore ſibi mutuo reſpondentes.
t Deſcriptio ſomni placida, divina inquit Scal. l. 4. Poet. c. 9. & l. 5. c. 6. & eloquentiæ florum manipulis adſperſa.
u Piſces.
x Feræ.
y Se. *vel* ingeminantur.

Sic adeo insistit, secumque ita corde volutat.
En, quid agam? [k] rursusne procos irrisa priores
Experiar? Nomadumque petam connubia supplex,
Quos ego sum toties jam dedignata maritos?
Iliacas igitur classes, atque [a] ultima Teucrûm
[a] Jussa sequar: [b] quia ne auxilio juvat ante levatos,
Et bene apud memores veteris stat gratia facti?
Quis me autem (fac velle) sinet? ratibusque superbis
Irrisam accipiet? nescis heu perdita, nec dum
[c] Laomedonteæ sentis perjuria gentis?
Quid tum? [d] sola fuga nautas comitabor [e] ovanteis?
An Tyriis, omnique manu stipata meorum
Insequar? & quos Sidonia [f] vix urbe revelli,
Rursus agam pelago? & ventis dare vela jubebo?
Quin morere, ut merita es, ferroque averte dolorem.
Tu lacrymis evicta meis, tu prima furentem
His germana malis oneras, atque objicis [g] hosti.
Non licuit thalami expertem sine crimine vitam
Degere, [h] more feræ? tales nec tangere [i] curas?
[k] Non servata fides cineri, promissa Sichæo.
Tantos illa suo rumpebat pectore questus.
Æneas celsa in puppi, jam certus eundi,
Carpebat somnos, rebus jam rite paratis.
Huic se forma Dei vultu, redeuntis eodem
Obtulit in somnis, rursusque ita visa monere est,
Omnia Mercurio similis, vocemque coloremque,
Et crines flavos, & membra decora juventæ.
Nate dea, *potes hoc sub casu ducere somnos?*
Nec quæ circumstent te deinde pericula cernis
Demens? nec [l] Zephyros audis spirare secundos?
Illa dolos, dirumque nefas in pectore versat,
Certa mori, varioque irarum fluctuat æstu.
Non fugis hinc [m] præceps, dum præcipitare potestas?
Jam mare turbari [n] trabibus, sævasque videbis

[k] Rejectane & relicta ab Ænea, referam me ad Hiarbam Ductoresque alios, quos procos prius aspernata sum?
[a] Abitum a Diis imperatum. An? responsa & imperia ultima.
[b] An quod ita gratos eos & auxilii memores experta sum. *Ironice.*
[c] Trojanæ. invidiose, a Laomedonte, quem superbia, perfidia, & perjurio referunt. is autem Neptunum & Apollinem pacta de condendis Trojæ mœnibus mercede fraudavit.
[d] Emphatica omnia.
[e] Lætos. quasi de me reportata victoria triumphantes.
[f] Quia non convenirent nisi metu aut odio tyranni compulsi. Quis enim aliter patriam desereret? Scalig.
[g] Hospiti. ut supra, & mox, *advenæ.*
[h] Quid enim aptius ad excusandum, quam ostendere vitam illam quam optabat esse ferarum ac brutorum vitam, hanc autem hominum, ac propterea non damnandam? ἔννοιαν hanc figuram Græci, Scaliger *Innuitionem* vocat 79. c. 3. l. Poet. cujus hanc explicationem ibi adfert. Sunt qui allusum volunt ad singularem aliquam feram, quæ amisso conjuge nulli in posterum jungatur.
[i] Amores.
[k] Fides promissa Sichæo non servata cineri ejus. Alii pro. *Sichæo.*
[l] Ventos Synecd.
[m] Festinus.
[n] Ratibus, ut vos insequuti adoriantur propter illud. infra. *Non arma expedient, totaque ex urbe sequentur? Diripientque rates alii navalibus?* Sunt qui distinguunt post *turbari.* & *trabes* intelligunt *faces.* Quibus non assentio. neque enim bis terve Poeta dixisset idem: nec conjunctio enclitica placet in secunda voce, ad *sævas.*

Col-

Collucere faces, jam fervere litora flammis:
Si te his attigerit terris aurora morantem.
Eja age, rumpe moras, *varium, & mutabile semper*
Femina. sic fatus, nocti se immiscuit atræ.
Tum vero Æneas subitis exterritus umbris,
Corripit è somno corpus, sociosque [o] fatigat.
Præcipites vigilate viri, & considite transtris,
Solvite vela citi. Deus æthere missus ab alto
Festinare fugam, tortosque incidere funes,
Ecce iterum stimulat. sequimur te, sancte deorum
[p] Quisquis es, imperioque [q] iterum paremus ovantes.
Adsis ô placidusque juves, & [r] sidera cælo
Dextra feras. dixit; vaginaque eripit ensem
[ſ] Fulmineum, strictoque ferit retinacula ferro.
Idem omnes simul ardor habet: rapiuntque, ruuntque,
* Litora deseruere: latet sub classibus æquor:
Annixi torquent spumas, & cærula verrunt.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
[t] Tithoni croceum linquens Aurora cubile.
Regina è speculis, ut primum albescere lucem
Vidit, & [u] æquatis classem procedere velis,
Litoraque, & vacuos sensit sine remige portus:
Terque, quaterque manu pectus percussa decorum,
Flaventesque [x] abscissa comas. [y] Proh Jupiter ibit
Hic, (ait) & nostris illuserit advena regnis?
Non arma expedient? totaque ex urbe sequentur?
* Diripientque rates alii navalibus? ite,
Ferte citi flammas, date vela, impellite remos.
Quid loquor? aut ubi sum? quæ mentem insania mutat?
Infelix Dido, nunc te fata impia tangunt.
[z] Tum decuit, cum sceptra dabas. en dextra fidesque,
Quem secum patrios, [a] ajunt, portare Penates,
Quem subiisse humeris confectum ætate parentem.
[b] Non potui abreptum divellere corpus? & undis
Spargere? non socios? non ipsum absumere ferro
Ascanium? patriisque epulandum apponere mensis?
[c] Verum anceps pugnæ fuerat fortuna. [d] fuisset:
Quem metui moritura? faces in [e] castra tulissem,

[o] Urget, excitat.
[p] Formula ex religione veterum, ne Deum alium pro alio nominarent. Agel. l. 2, c. 28.
[q] Ut ante paratis omnibus ad fugam, sic nunc celeri fuga.
[r] Ventos & navigationem prosperam ex siderum ortu vel occasu.
[ſ] Instar fulminis vibratum cum splendore, & rapide cum dicto retinacula rescindentem.
* Trepidationi & Brachyologiæ concinunt dactyli accumulati.
[t] Supra *Oceanum interea surgens Aurora reliquit.* alludsum ad fabulosum Tithoni & Auroræ conjugium.
[u] Junctis frontibus, & rostris æquatis, ut 5. l. Alii. Ego. Secundo vento sinum implente, velis paribus neutro sc. pede veli producto ad captandos ventos a latere. l. 5. Æquatæ spirant auræ.
[x] Doloris impotentia comas vellens.
[y] Oratio affectuum varietate vehemens, nunc concitata, mox sedata; furore, imprecationibus, vaticiniis ex interrupto mista.
[z] Olim hæc provisa esse oportuit, cum sceptra dabas.
[a] Ironice, ad elevandam pietatis creditæ fidem.
[b] Allusum ad fabulas Penthei, Absyrti, Ityos, Orphei, Baccharum; Atrei & Thyestæ, de quibus consulendi Mythologi.
[c] Prolepsis.
[d] Concessio, ex desperatione.
[e] Navalia, classem; vel simpl. castra.

Impleſſemque foros flammis: natumque, patremque
Cum genere extinxem: memet ſuper ipſa dediſſem.
Sol, qui terrarum flammis opera omnia luſtras:
Tuque harum interpres curarum, & *f* conſcia Juno
g Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes,
Et *h* diræ ultrices, & dii morientis Eliſæ,
Accipite hæc: *i* meritumque malis advertite numen,
Et noſtras audite preces. *k* ſi tangere portus
Infandum caput, ac terris adnare neceſſe eſt;
Et ſi fata Jovis pōſcunt, hic *l* terminus hæret:
At bello *m* audacis populi vexatus & armis,
Finibus extorris, *n* complexu avulſus Jūli,
Auxilium imploret, videatque indigna ſuorum
Funera: nec cum ſe ſub leges *o* pacis iniquæ
Tradiderit, regno, aut optata luce fruatur:
Sed cadat ante diem, *p* mediaque inhumatus arena.
Hæc precor, hanc vocem extremam *q* cum ſanguine fundo.
Tum vos ô Tyrii ſtirpem, & genus omne futurum
Exercete odiis, cinerique hæc mittite noſtro
r Munera. *ſ* nullus amor populis, nec fœdera ſunto.
Exoriare *t* aliquis noſtris ex oſſibus ultor,
Qui face Dardanios, ferroque ſequare colonos,
Nunc, olim, quocunque dabunt ſe tempore vires,
Litora litoribus contraria, fluctibus undas
Imprecor, arma armis: pugnent ipſique nepotes.
Hæc ait: & partes animum verſabat in omneis,
Inviſam quærens quam primum abrumpere lucem.
Tum breviter Barcen nutricem affata Sichæi,
(Namque ſuam patria antiqua cinis ater habebat)
Annam, chara mihi nutrix, huc ſiſte ſororem:
Dic corpus properet fluviali *u* ſpargere lympha,
Et pecudes ſecum, & monſtrata piacula ducat:
Sic veniat. tuque ipſa pia tege tempora vitta:
x Sacra Jovi Stygio, quæ rite incepta paravi,
Perficere eſt animus, finemque imponere curis,
Dardaniique *y* rogum capitis permittere flammæ.

f Conciliatrix, & *pronuba Iuno*, *& conſcius æther Connubii.* ſupra h. lib.
g A veneficis ululatu invocata in nocturnis ſacris per trivia. unde τριοδῖτις, *triviæ* in memoriam Proſerpinæ raptæ & a matre cum ululatu quæſitæ.
h Furiæ.
i Advertite numen veſtrum ulturum perfidos hoſce prout merentur.
k Imprecationes has Eliſæ comparat cum diris Polyphemi ex. 9. Odyſſ. Scaliger. l. 5. poet. 3. c. & 13.
l Fixi ratique fati terminus quaſi alte depactus.
m Rutulorum.
n Quod evenit, ubi relictis cum Julo caſtris Evandrum Æneas adiit auxilium petiturus, inde Tarchonta. 8. l. Æneid. *o* Cujus fœdere manſit victis nomen, & in Latinorum nomen gens victrix ceſſit. vide quæ ad 1. l. ſub initio, *genus unde Latinum*. *p* Æneas tertio anno in prælio contra Mezentium diſparuit, merſus, ut creditum, in Numicio fl. *q* Obſignatam meo ſanguine. *r* Inferias, parentalia. *ſ* Alluſum ad Punica bella, & fidem fluxam. *t* Annibalem innuit, cujus beſlo etiam intra Italiæ viſcera res Romanorum graviter fuit attonſa. *u* Diis inferis ſacrificantes aſpergebantur; ſuperis, abluebantur. *x* Quæ maga indicaſtis & exuviæ, incendere. *y* Rogum, in quo Æneæ imago,

Sic

Sic ait: illa gradum ſtudio celerabat & anili.
At trepida, & cœptis immanibus effera Dido
Sanguineam volvens aciem, maculiſque trementes
Interfuſa genas, & pallida morte futura,
[a] Interiora domus irrumpit limina, & altos
Conſcendit furibunda rogos, enſemque recludit
Dardanium, [b] non hos quæſitum munus in uſus.
Hic poſtquam Iliacas veſtes, notumque cubile
Conſpexit, paulum lacrymis & mente morata,
Incubuitque toro, dixitque noviſſima verba:
[c] Dulces exuviæ, dum fata deuſque ſinebant,
Accipite hanc animam, meque his exolvite curis.
Vixi, & [d] quem dederat curſum fortuna, peregi:
Et nunc [e] magna mei ſub terras ibit [f] imago.
Urbem præclaram ſtatui: mea mœnia vidi:
Ulta virum, [g] pœnas inimico à fratre recepi:
Felix, heu nimium felix, ſi litora tantum
Nunquam Dardaniæ tetigiſſent noſtra carinæ.
Dixit: & os impreſſa toro: Moriemur inultæ?
Sed moriamur, ait: ſic, ſic juvat ire ſub umbras.
Hauriat hunc oculis ignem crudelis ab alto
Dardanus, & noſtræ ſecum ferat omina mortis.
Dixerat. atque illam media inter talia ferro
Collapſam aſpiciunt comites, enſemque cruore
Spumantem, ſparſaſque manus. it clamor ad alta
Atria: concuſſam bacchatur fama per urbem.
Lamentis, gemituque, & femineo ululatu
Tecta fremunt, reſonat magis plangoribus æther.
Non aliter, quam ſi immiſſis ruat hoſtibus omnis
Carthago, aut antiqua Tyros, flammæque furentes
Culmina perque hominum volvantur, perque Deorum.
Audiit exanimis, trepidoque exterrita curſu,
Unguibus ora ſoror fœdans & pectora pugnis,
Per medios ruit, ac morientem [h] nomine clamat,
Hoc illud, germana, fuit? me fraude petebas?
Hoc rogus iſte mihi, hoc ignes, aræque parabant?

& Teſtudineo ſc. quo tamen poſſet. Tot mandata, tot moræ huc ſpectant, ut Didoni ſpacium ſit peragendi quod deſtinarat.

a Supra. *pyram tecto interiore* erexerat. & *penetrali in ſede.*

b Non relictum ab Ænea, quo ſibi mortem conſciſceret Dido,

c Vide Scal. 3. l. Poet. c. 23.

d Non quem indulget Natura annorum 120. non quem Fatum, annorum 90. ſpacium: ſed quem fortuitus caſus infra, *Sed miſera ante diem, ſubitoque ac. cenſa furore.*

e An quia corporis anguſtiis exuta, latius ſe jam extendit aerea? an ex terrore eorum quibus

objectæ umbræ auguſtæ & uſitatis majores videbantur. De Ceruſa 2. l. *Et acta major imago.* *f* Animæ idolum. *Acheruſia templa. Nam neque permanant animæ, neque corpora noſtra, Sed quædam ſimulachra modis pallentia miris.* Lucret. lib. 1. Ex Ennio. 1. Annal. Verum de tribus animæ vehiculis, æthereo ſc. corpuſculo i. ſpiritu; animæ umbra; & animæ idolo, lege quæ Cæl. lib. 17. cap. 16. *g* Cives ſubducti, atque *aſportabantur avari Pygmalionis opes*, quarum cauſa Sichæum interfecerat. 1. Æneid. *h* Ut nomine citata rediret, ſi quid vitalis ſpiritus intercluſum ſupereſſet.

Quid primum deserta querar? comitemne sororem
Sprevisti moriens? eadem me ad fata vocasses:
Idem ambas ferro dolor, atque eadem hora tulisset
His etiam struxi manibus, patriosque vocavi
Voce Deos, si te ut *i* posita, crudelis abessem?
Exstinxti te, meque soror, populumque, *k* patresque
Sidonios, urbemque tuam, date, vulnera lymphis
Abluam, & extremus si quis super halitus errat,
l Ore legam, sic fata, *m* gradus evaserat altos,
Semianimemque sinu germanam amplexa fovebat
Cum gemitu, atque atros siccabat veste cruores.
Illa graves oculos conata attollere, rursus
Deficit: infixum stridet sub pectore vulnus.
Ter sese attollens, cubitoque innixa levavit:
Ter revoluta toro est, oculisque errantibus alto
Quæsivit cœlo lucem, *n* ingemuitque reperta.
Tum Juno omnipotens longum miserata dolorem,
Difficilesque abitus, *o* Irim demisit Olympo,
Quæ luctantem animam, nexosque resolveret artus.
Nam *p* quia nec fato, merita nec morte peribat,
Sed misera ante diem, subitoque accensa furore:
q Nondum illi flavum Proserpina vertice crinem
Abstulerat, Stygioque caput damnaverat Orco.
Ergo Iris *r* croceis per cœlum roscida pennis,
Mille trahens varios adverso sole colores,
Devolat, & supra caput astitit. *s* hunc ego Diti
Sacrum jussa fero, teque isto corpore solvo.
Sic ait, & dextra crinem secat. omnis & una
Dilapsus calor, atque *t* in ventos vita recessit.

i Quasi ad mortem composita, vox funebris.
k Senatum.
l More veterum, apud quos parens, proximus, cognatus, aut amicus intimus exspirantem deosculatus extremum halitum & fugientem ore animam excepit.
m Per quos ad fastigium pyræ ascendebatur. hæc autem in conum surgebat, pro dignitate personæ celsior, aut humilior.
n An quia vitam dudum pertæsa etiamnum odit? an quia amissæ jam pœnitet? ut lib. 6. *qui sibi lethum Insontes peperere manus, lucemque perosi, Projecere animas. quam vellent æthere in alto. Nunc & pauperiem & duros perferre labores.* *o* Junonis. i. aeris nuncium. *p* Quia nec fatalem adimplesset vitæ periodum (supra ad versum *Vixi, & quem dederat cursum fortuna*) nec scelus aliquod admisisset morte adacta dignum, sed furore amoris impulsa. *q* Ex superstitione veterum, quibus persuasum, eos, qui morti essent proximi a Proserpina primum tonderi, & his quasi primitiis Orco auctorari. Euripides de Alcestide, Ἱερὸς γὰρ οὗτος τῶν κατὰ χθονὸς θεῶν, &c. A ritu sacrificiorum sumptum, ubi victimis abscissæ capitis setæ in ignem projiciebantur. *r* Rite omnia, & ex ratione Physica. Est n. Iris, arcus apparens varicolor a lumine Solis oppositi refracto in nube aquosa, concava, & in pluviam resolvi parata. *s* Crinem. *t* Ex opinione eorum, qui animam aerem esse dicunt, adeoque evanescere.

ÆNEIDOS LIB. V.

ARGUMENTUM.

ÆNeas, relicta Carthagine, in Italiam navigans, vi tempestatis in Siciliam defertur; ubi, ab Aceste benigne exceptus, manibus Anchisæ patris, quem superiori anno, eodem die, apud Drepanum sepeliverat, anniversarium sacrum facit, ludosque apud tumulum ejus instituit, suaque victoribus præmia decernit. Navali certamine vincit Cloanthus. Euryalus, Nisi dolo, cursu superat. Eutellus senex Daretem juveniliter se jactantem cæstu vincit. Sagittandi peritia superat Eurytion: prima tamen præmia, ætatis dignitatisque habita ratione, Acestæ decernuntur, cujus sagitta in aerem emissa subito exarserat. Ascanius in honorem Anchisæ avi cum primæ nobilitatis pueris equestres ludos pugnamque imaginariam exhibet. Interea Trojanæ mulieres, hortatu Iridis, longæque navigationis tædio, ignem in classem conjiciunt, quatuorque naves exurunt: cæteræ subita a Jove immissa pluvia, incendio sunt ereptæ. Nocte sequenti Anchises Æneæ filio in somnis apparens, Jovis verbis admonet, ut Naturæ consilium sequutus, mulieres, imbellesque senes in Sicilia relinquat, ipse cum juventutis robore, integræque ætatis flore in Italiam naviget; Sibyllæque imprimis antrum adeat: illius enim ductu se in campos Elysios esse venturum, ubi & posteritatis suæ seriem omniumque instantium bellorum discat eventum. Monitis itaque paternis morem gerens, Æneas oppidum in Sicilia condit, nomine Acestam: eo & matrum & senum bello inutilium colonia transcribit: ipse cum exercitus robore Italiam petit. Interim Neptunus, Veneris precibus exoratus, naviganti Æneæ mare tutum præstat. Palinurus in tanta securitate somno succumbens, una cum gubernaculo in mare excutitur: ejusque vicem supplet Æneas.

INterea medium Æneas jam classe tenebat
Certus iter, fluctusque [a] atros Aquilone secabat:
Mœnia respiciens, quæ jam infelicis Elissæ
Collucent flammis. quæ tantum accenderit ignem
Causa latet, duri magno sed amore dolores
Polluto, notumque furens quid femina possit,
Triste per [b] augurium Teucrorum pectora ducunt.
[c] Ut pelagus tenuere rates, nec jam amplius ulla
Occurrit tellus, maria undique, & undique cœlum:
Olli cæruleus supra caput astitit imber,
[d] Noctem, hyememque ferens: & inhorruit unda tenebris.
Ipse gubernator puppi Palinurus ab alta:
Heu [e] quidnam tanti cinxerunt æthera nimbi?
Quidve, Pater Neptune, paras? sic deinde loquutus,

[a] Austro spirante, mare videri glaucum & cæruleum; Aquilone obscurum, utrumque refert Agellius l. 2. c. 30. citatque Arist. probl. ult. 26. sect.

[b] Conjecturam, sinistri quidpiam accidisse vitæ aut rebus Didonis.

[c] *Postquam alium tenuere rates*, eosdem fere versus quatuor v. l. 3.

[d] Tenebras & tempestatem.

[e] Cur, lege Erythræum in indice asserentem hanc lectionem contra aliorum *quidnam* vel *quinam*.

f Colligere arma jubet, validiſque incumbere remis:
Obliquatque ſinus in ventum, ac talia fatur:
Magnanime Æneа, non ſi mihi Jupiter author
Spondeat, hoc ſperem Italiam contingere cœlo.
Mutati *g* tranſverſa fremunt, & veſpere ab atro
Conſurgunt venti: atque *h* in nubem cogitur aër.
Nec nos obniti contra. neque tendere tantum
Sufficimus. *ſuperat quoniam fortuna, ſequamur:*
Quoque vocat, vertamus iter. nec litora longe
Fida reor fraterna *i* Erycis, portuſque Sicanos:
Si modo rite memor *k* ſervata remetior aſtra.
Tum pius Æneas: equidem ſic poſcere ventos
Jamdudum, & fruſtra cerno te tendere contra.
Flecte viam velis an ſit mihi gratior ulla,
Quoque magis feſſas optem dimittere naves,
Quam quæ *l* Dardanium tellus mihi ſervat *l* Aceſtem,
Et patris Anchiſæ gremio complectitur oſſa?
Hæc ubi dicta, petunt portus, & vela *m* ſecundi
Intendunt Zephyri; fertur cita gurgite claſſis,
Et tandem læti *n* notæ advertuntur arenæ.
At procul excelſo miratus vertice *o* montis
Adventum, ſociaſque rates, occurrit Aceſtes,
Horridus in jaculis, & pelle *p* Libyſtidis urſa:
q Troïa Criniſo conceptum flumine *q* mater
Quem genuit. veterum non immemor ille parentum
Gratatur reduces, & *r* gaza lætus *r* agreſti
Excipit, ac feſſos opibus ſolatur amicis.
Poſtera cum primo ſtellas oriente fugarat
Clara diès, ſocios in cœtum littore ab omni
Advocat Æneas, tumulique ex aggere fatur:
Dardanidæ magni, *ſ* genus alto à ſanguine divûm,
Annuus exactis completur menſibus orbis,
Ex quo re liquias, divinique oſſa parentis
t Condidimus terra, mœſtaſque ſacravimus aras.
Jamque dies (ni fallor) adeſt, quem ſemper *u* acerbum,

f Contrahere vela; funes, rudentes. ὅπλα. non, omnino colligere. ſequitur enim *Obliquatque ſinus in ventum.*
g Carthagine n. ſolventes, æquatis velis & vento ſecundo proceſſerant. ventus autem mutatus, tranſverſim ab Occaſu jam fremit.
h Aer extenuatus in ſublime fertur, concretus in nubem cogitur. Cic. 2. de Nat. Deorum.
i Qui Veneris & Butæ filius, cui in regno Siciliæ ſucceſſit Aceſtes.
k Ante tempeſtatem obſervata.
l Filium Egeſtæ Hippotis Trojani filiæ, ex Criniſo Siciliæ fl. ut, mox, q.
m. Jam a puppe adſpirantes divertentibus in Siciliam. *n* Huc enim appulerant, hinc ſolverant, anno priore. *o* Promontorii Drepani, quo hos defendentes, illos oppugnantes Plinium, qui c. 35. & 58. l. 8. urſos in Africa gigni negat. urſas itaque Libycas contendit Lipſius eſſe leones. quem plane ruſtico. *ſ* Oriundum a Dardano Jovis & Electræ filio. *t* Anchiſem alii in Sicilia obiiſſe ferunt, alii in Atho monte: inde oſſa & cineres in Siciliam delatos. *u* Ob amiſſi patris memoriam.

Semper

Semper x honoratum (sic dii voluistis) habebo.
Hunc ego Getulis agerem si Syrtibus exul,
Argolicove mari deprensus & urbe y Mycenæ:
z Annua vota tamen, solemnesque ordine z pompas
z Exsequerer, z strueremque z suis a altaria z donis.
Nunc ultro ad cineres ipsius & ossa parentis
(Haud equidem sine mente reor, sine numine divûm)
Adsumus, & portus delati intramus amicos.
Ergo agite, & cuncti b lætum celebremus honorem:
c Poscamus ventos, atque hæc mea sacra quotannis
Urbe velit posita templis sibi ferre dicatis.
Bina boum vobis Troja generatus Acestes
Dat numero capita d in naves. adhibete Penates
Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes.
Præterea, si e nona diem mortalibus almum
Aurora extulerit, radiisque retexerit orbem,
Prima citæ Teucris ponam f certamina classis;
Quique pedum cursu valet, & qui viribus audax;
g Seu h crudo fidit pugnam committere h cæstu:
Aut jaculo incedit melior, levibusque sagittis;
Cuncti adsint meritæque expectent præmia palmæ.
i Ore favete omnes, & k cingite tempora ramis.
Sic fatus, velat l materna tempora myrto.
m Hoc Helymus facit, hoc ævi maturus Acestes,
Hoc puer Ascanius: sequitur quos cætera pubes.
Ille è concilio multis cum millibus ibat
Ad tumulum, magna medius comitante caterva.
Hic n duo rite mero libans o carchesia Baccho
p Fundit humi, duo lacte novo, duo sanguine sacro,
Purpureosque jacit q flores, ac talia fatur:

x Relati in Deos cultu & parentalibus solennem.
y Emphatice, ubi regnavit Agamemnon iple. Et *Mycenæ* in Singulari posuit pro Mycenarum. Alii leg. *Mycenis*.
z Signate omnia ad *funera & exsequias*.
a Virorum honoratorum Manes geminis aris consecrabat antiquitas.
b Nos læti. vel quo lætatur Anchises in Deos relatus, a quo
c —— Poscamus navigationem prosperam in Italiam, ubi urbe constituta & templis

dicatis anniversario honore numen illius colamus. d In singulas naves. e Cum respectu ad Rom. ritus, apud quos defunctus per septem dies adservabatur domi positus, octavo cremabatur, nono reliquiæ sepeliebantur. Hinc Novendiales feriæ, epulæ, ludi. f Expressa hæc certamina ex Hom. Il. 23. g Cum ex ordine certaminum seq. tum ex virium fiducia quæ cæstuum pugnæ suo quasi jure convenit, duos hosce versus nec sine authoritate vet. codicum transponere ausus sum. h E corio bubulo crudo, vel cruento potius a pugna. ut infra. Apollon. lib. 2. ὠμοὺς ἱμάντας dixit. i Sacro Silentio hoc agite, taciti precamini. nec minus sacerdotis præeuntis preces conceptis verbis iterate, Ovid. 15. Met. *Verba sacerdotis referunt geminata piumque Æneadæ præstant & mente & voce favorem.* k Ex more celebrantium ludos, festa & sacra. l Veneri sacra. m Hoc idem faciunt duces populi; viri, senes, pueri; Troes, Siculi. n Duæ enim positæ fuerant aræ. supra. o Pocula ansata, & ad formam carchesii quæ summa pars mali. p Hinc χοαὶ dictæ inferiæ, ex vino meraco, lacte, sanguine victimarum. q Rosas, qui Veneris flores; aut etiam alios.

Salve,

Salve, sancte parens [r] iterum salvete, recepti
[ſ] Nequicquam cineres [t] animæque [u] umbræque paternæ,
Non licuit fines Italos fataliaque arva,
Nec tecum Ausonium, quicunque est, quærere Tibrim,
Dixerat hæc: adytis cum lubricus anguis ab imis
Septem ingens gyros, septena volumina traxit,
Amplexus placide tumulum, lapsusque per aras:
Cæruleæ cui terga notæ, maculosus & auro
Squamam incendebat fulgor. * ceu nubibus arcus
Mille trahit varios adverso sole colores.
Obstupuit visu Æneas: ille agmine longo
Tandem inter pateras [x] & levia pocula serpens,
Libavitque dapes, rursusque innoxius imo
Successit tumulo, & depasta altaria liquit.
Hoc magis inceptos genitori instaurat honores,
Incertus [y] geniumne loci, [z] famulumne parentis
Esse putet. cædit quinas de more [a] bidentes,
Totque [a] sues, totidem nigrantes terga [a] juvencos:
Vinaque fundebat pateris, animamque vocabat
Anchisæ magni, manesque Acheronte remissos.
Nec non & socii, quæ cuique est copia, læti
Dona ferunt, onerantque aras, mactantque juvencos.
Ordine ahena locant alii, fusique per herbam
Subjiciunt verubus prunas, & viscera torrent.
Exspectata dies aderat, nonamque serena
Auroram [b] Phaëtontis equi jam luce vehebant:
Famaque finitimos & clari nomen Acestæ
Excierat. læto complerant litora cœtu
Visuri Æneadas; pars & certare parati.
Munera principio ante oculos, circoque locantur
In medio: sacri [c] tripodes, virideſque coronæ,

[r] Quos jam secundo revisimus & salutamus. Nisi respicere videatur ad cineres Anchisæ a Diomede ablatos, quos ab oraculo monitus postea restituit.
[ſ] Rationem hujus vocis reddent duo seq. versus.
[t] Ex opinione Platonicorum duas animas statuentium, rationalem & sensitivam. vel etiam quatuor, secundum alios, vegetativam, vitalem, sensualem, intellectualem. Cœl. l. 15. cap. 23.
[u] Animas Heroum in aere habitare, umbras in sepulchris degere, idola ad inferos descendere credebat antiquitas.
[x] Et ipse levi lapsu pro serpens.
[y] Deum Topicum, quem regionibus, urbibus, locis omnibus Genium assignabat veterum superstitio.
[z] Heroibus & in Deos relatis suæ erant minores potestates & ministræ, quos Famulos vocabant. Atque hi ut plurimum angues. quos tamen ex medulla hominum in sepulchris gigni tradunt physici.
[a] Allusum ad Sueovetaurilia Rom.
[b] Solis. Ἡέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται. Hom. 11. Odyss. de Solis filio Phaethonte & equis Solis Ovid. 2. Metam.
[c] Tripodes vasa erant ut plurimum ahenea, ansata & tribus innixa pedibus, alii ἐμπυρίσεται, ad aquam calefaciendam, λουτροχόοι balneatores: alii ἄπυροι, ad miscendum vinum. Athenæus lib. 2. cap. 19. Hi in certaminibus proponebantur *præmia fortium*. i. victorum. Hor. 4. l. od. 8. Hom. 23. Il. Erant & donа principum. Il. 9. Agamemnon Achilli promittit septem tripodas. Quin & Diis suspendebantur ἀνάθημα, unde *sacri* dicti. De tripode Pythio, vide quæ 3. l. diximus ad, *Quæ tripodas, Clarii lauros.*

Et

Et *d* palmæ, pretium victoribus, armaque & ostro
Perfusæ vestes, argenti aurique talenta.
Et tuba commissos medio canit aggere ludos.
Prima *e* pares ineunt gravibus certamina remis
Quatuor ex omni delectæ classe carinæ.
Velocem Mnestheus agit acri remige *f* Pristin,
Mox Italus Mnestheus genus à quo nomine *g* Memmi:
Ingentemque Gyas ingenti mole Chimæram,
i Urbis opus: *h* triplici pubes quam Dardana versu
Impellunt: *h* terno consurgunt ordine remi.
Sergestusque, domus tenet à quo *g* Sergia nomen,
k Centauro invehitur magna: Scyllaque Cloanthus
Cærulea: genus unde tibi Romane *g* Cluenti.
Est procul in pelago saxum, spumantia contra
Litora, *l* quod tumidis submersum tunditur olim
Fluctibus hyberni condunt ubi sidera Cori:
Tranquillo silet, immotaque attollitur unda
Campus, & apricis statio gratissima mergis.
Hic viridem Æneas frondenti ex ilice metam
Constituit, signum nautis, pater: *m* unde reverti
Scirent, & longos ubi circumflectere cursus.
Tum loca sorte legunt: ipsique in puppibus auro
n Ductores longe effulgent ostroque decori.
Cætera populea velatur fronde juventus:
Nudatosque humeros oleo perfusa nitescit.
Considunt transtris, *n* intentaque brachia remis
o Intenti expectant signum: exultantia que haurit

d Rami e palma.
e Utcunque mole aut pondere inter se impares, instrueantur tamen remis, ut essent pares. *marched. Scylla*, infra. *melior remis, sed pondere tarda.*
f A forma qua referebat marinam belluam ceu balenam quæ *Pristis* dicitur aut *pistrix*. Vel ab insigni navis, ut in cæteris hisce, & l. 10. Tritone, Tigride, Apolline, &c.
g Hæc in honorem familiarum Memmiæ, Sergiæ, Cluentiæ,

quæ antiquitatem referant ad Æneam & Trojanos. *h* Triremes innuere videtur. Ἀναχρονισμὸς. Namque Corinthi diu post excidium Trojæ primam triremem invenit Aminocles. De remorum ordinibus nihil certi statuunt, qui fuse de re navali scripserunt, apud quos θρανῖται, ζυγῖται, θαλαμῖαι conficiunt remigum ordinem in altum surgentium, summum, medium, imum, quæ in τόνους exire volunt, ut τριήρης, quæ vero a numero remorum in longum extenduntur, in ος ut πεντηκόντορος. Videantur Laz. Bayfus de re Navali. Jos. Scaliger ad Eusebium pag. 61. Willebr. Snellius in præfatione ad Tiphyn Bat. Tho. Rivius l. 3. hist. nav. c. 37. &c. *i* Ad instar urbis. Vel cujus ædificationem & impensam urbi imperatam credat. De ingenti navium mole, quas fabricavit Ptolemæus Philopater & alii, legatur Athenæus l. 5. Deipnosoph. c. 9. *k* Navi, sc. *Magna* autem particulæ βᾶ vim habere, atque hinc galeam, quam vocant Venetam, *Bucentoro* dictam volunt. adi Josephi Laurentii dissertationem Polymathiæ, ad Clariss. Dominicum Molinum. *l* Quod subinde fluctibus obruatur, ubi per hiemem, sidera occidentia, vel etiam ventos ab Occasu tempestuosum est mare, placido contra mari eminet, &c. *m* Unde, signo audito, a carceribus effundantur, recta linea. *n* Domini, duces, *Oarmers, Capitaines.* *o* Suavis (inquit Scaliger 4. l. Poet. c. 29.) ταυτότης ad exprimendam intentionem. habentes brachia intenta & in statione parata remiges intenti exspectant signum. Aliis placet hæc constr. Brachia remigum intenta expectant signum intenti remis. i. Portisculi. Ennius apud Nonium, *sensaque tenentes Parerent, exspectarent portisculus signum Cum dare cœpisset.*

Corda

Corda pavor pulsans, laudumque arrecta cupido.
Inde ubi clara dedit sonitum tuba, *p* finibus omnes
(Haud mora) prosiluere suis: ferit æthera *q* clamor
Nauticus: addictus spumant freta versa lacertis.
Infindunt pariter sulcos: totumque dehiscit
Convulsum remis, *r* rostris stridentibus æquor.
s Non tam præcipites bijugo certamine campum
Corripuere. ruuntque effusi carcere currus:
Nec sic immissis aurigæ *t* undantia lora
Concussere jugis, pronique in verbera pendent.
Tum plausu fremituque virûm, *u* studiisque faventum
Consonat omne nemus: vocemque inclusa volutant
Litora: pulsati colles clamore resultant.
Effugit ante alios, primusque elabitur undis
x Turbam inter fremitumque Gyas. quem deinde Cloanthus
Consequitur melior remis, sed pondere pinus
Tarda *y* tenet. post hos *z* æquo discrimine Pristis
Centaurusque locum tendunt superare priorem.
Et nunc Pristis *a* abit, nunc victam præterit ingens
Centaurus: nunc una ambæ, junctisque feruntur
Frontibus, & longæ sulcant vada salsa carinæ.
Jamque propinquabant scopulo, metamque tenebant,
Cum *b* princeps medioque Gyas in gurgite victor
Rectorem navis compellat voce Menœten:
Quo tantum mihi dexter abis? huc dirige cursum:
c Litus ama, & *d* lævas stringat sine palmula cautes:
Altum alii teneant. Dixit: sed *e* cæca Menœtes
Saxa timens, proram pelagi detorquet *f* ad undas,
Quo diversus abis? iterum, pete saxa, Menœte,
Cum clamore Gyas revocabat: & ecce Cloanthum
Respicit instantem tergo, & propiora tenentem,
Ille inter navemque Gyæ, scopulosque sonantes
Radit iter lævum interior, subitusque priorem
Præterit: & *g* metis tenet æquora tuta relictis.
Tum vero exarsit juveni dolor ossibus ingens:
Nec lacrymis caruere genæ, segnemque Menœten,

p Carceribus.
q Κέλευσμα.
r Al. *rostrisque tridentibus*, propter antiquarum navium rostra trifida. *Spumas vomit ære tridenti*, Val. Flacc. l. 1.
s Hæc cum Homericis Il. 23. comparat Macrob. l. 5. Sat. cap. 9. & Scal. 5. Poet. cap. 3. vide & extremos versus l. 1. Georg.
t Laxa, effusa, fluitantia collis. 12. l. *manibusque undantes flectit habenas.*
u Plausui, fremitui, studiis faventum respondent nemus consonans, litora vocem volutantia, colles clamore resultantes.
x Inter turbæ strepitum, & faventium hinc inde clamores.
y Moratur.
z Æquatis sc. frontibus, inter se contendentes utra esset prior.
a Al. *habet*. sc. priorem locum.
b Primus, & ad tempus victor.
c Saxum, in quo meta.
d Remi leva cum viæ compendio devitatam. ut in seq.
e Procurrentia & sub aquis latentia.
f Ad altum, cum viæ dispendio.
g Prætervectus scopulos, inoffensa navi rediturus ad carceres.

Oblitus

Oblitus decorisque sui *h* sociûmque salutis,
In mare præcipitem puppi deturbat ab alta.
Ipse gubernaclo rector subit, ipse magister,
Hortaturque viros, clavumque ad litora torquet.
At gravis ut fundo vix tandem redditus imo est
Jam senior, madidaque fluens in veste Menœtes,
Summa petit scopuli, siccaque in rupe resedit.
Illum & labentem Teucri, & risere natantem,
Et salsos rident revomentem pectore fluctus.
Hic læta extremis spes est accensa duobus,
Sergesto Mnestheoque, Gyan superare morantem.
Sergestus capit ante locum, scopuloque propinquat:
Nec tota tamen ille prior præeunte carina:
i Parte prior, partem rostro premit æmula Pristis.
At media socios incedens nave per ipsos
Hortatur Mnestheus: Nunc nunc insurgite remis
k Hectorei socii, Trojæ quos *l* sorte suprema
Delegi comites: nunc illas promite vires,
Nunc animos, quibus in Getulis *m* Syrtibus usi,
n Ionioque mari, *o* Maleæque sequacibus undis.
Non jam prima peto Mnestheus: neque vincere certo:
(*p* Quanquam o) sed superent, quibus hoc, Neptune, dedisti.
Extremos pudeat rediisse. hoc vincite cives,
Et prohibete nefas. Olli certamine summo
Procumbunt. vastis tremit ictibus *q* ærea puppis:
Subtrahiturque *r* solum. Tum creber anhelitus artus,
Aridaque ora quatit, sudor fluit undique rivis.
Attulit ipse viris optatum casus honorem.
Namque furens animi, dum *s* proram ad saxa suburget
Interior, spatioque subit Sergestus iniquo;
Infelix saxis in procurrentibus hæsit.
Concussæ cautes, & acuto in *t* murice remi
Obnixi crepuere, illisaque prora pependit.
Consurgunt nautæ, & magno clamore morantur:
u Ferrataque sudes, & acuta cuspide contos
Expediunt, fractosque legunt in gurgite remos.
At lætus Mnestheus, successuque acrior ipso,
Agmine remorum celeri, ventisque vocatis,

h Sociorum, quorum salus hic & alibi periculum subitura erat, amisso gubernatore. Neque enim placet, quod video quibusdam placere, ut per *socium* in quarto casu intelligat Menœten. propter inelegantiam alterius, e geminis encliticis supervacuæ futuræ.

i Prora. namque puppim rostro premit Pristis.

k Fortissimi, Hectoris quondam comites.

l In excidio Trojæ.

m *In brevia & Syrtes urgebantur*, 1. lib.

n Cujus *proni verrebant certantibus æquora remis*, l. 3.

o Μάλεια vel Μάλεια Laconiæ est promontorium, cujus cautes in mare procurrunt per V. M. passuum. sequaces hinc & Syrticæ undæ incautos impediunt absorbentque. *p* Ἀποσιώπησις modesta. *q* Rostro æreo armata. *r* Τὸ ὑποκείμενον. sic navibus mare, solum est, stellis cœlum *Astra tenent cœleste solum.* Ovid. 1. Met. *s* Quo brevioris cursus compendio saxum circumflecteret, supra Gyas idem voluit. *t* Saxo aspero & acuto, cochleam marinam referente. *u* Al. *Ferratas trudes.*

x Prona petit maria, & pelago decurrit aperto.
Quales spelunca subito commota columba,
Cui domus, & dulces latebroso in y pumice nidi,
Fertur in arva volans, z plausumque exterrita pennis
Dat tecto ingentem: mox aëre lapsa quieto
Radit iter liquidum, celeres neque commovet alas.
Sic Mnestheus, sic ipsa fuga secat ultima Pristis
Æquora; sic illam fert impetus ipse volantem,
Et primum in scopulo luctantem deserit alto
Sergestum, brevibusque vadis, frustraque vocantem
Auxilia, & fractis discentem currere remis.
Inde Gyan, ipsamque ingenti mole Chimæram
Consequitur. cedit, quoniam spoliata magistro est,
Solus jamque ipso superest in fine Cloanthus:
Quem petit, & summis adnixus viribus urget.
Tum vero ingeminat clamor; cunctique sequentem
Instigant studiis: resonat clamoribus æther.
Hi proprium decus, & partum indignantur honorem
Ni teneant: vitamque volunt pro laude paciscI.
Hos successus alit; a possunt, quia posse videntur.
b Et fors æquatis cepissent præmia rostris,
Ni palmas ponto tendens utrasque Cloanthus,
Fudissetque preces, divosque in vota vocasset.
Dii, quibus imperium pelagi, quorum æquora curro,
Vobis Lætus ego hoc c candentem in litore taurum
Constituam ante aras e voti reus, extaque salsos
f Porriciam in fluctus, & vina liquentia fundam.
Dixit. eumque imis sub fluctibus audiit omnis
g Nereïdum, h Phorcique chorus, Panopæaque virgo:
Et pater ipse manu magna i Portunus euntem
Impulit: illa Noto citius, volucrique sagitta
Ad terram fugit, & portu se condidit alto.
Tum satus Anchisa, cunctis ex k more vocatis,
l Victorem magna præconis voce l Cloanthum

x Quieta, tuta & expeditiora jam Mnestheo καμπτῆρα emenso & a meta tanquam a monte descendenti. Navigantium hæc (inquit Plinius de siderum ortu locutus) maxime cursus deprehendunt, in alia adverso, in alia prono mari. l. 2. c. 70.

y Rupe foraminosa instar pumicis. vel, pumicea rupe.

z Exterrita dat plausum pennis.

a *Plus incipit habere posse, qui plus habet.* Seneca epist. 119.

b Et forte intrassent una portum reversi ad carceres, æquatis rostris, ad æqua præmia, nisi divinam imploraſſet opem Cloanthus.

c Victorialem. alias, Neptuno immolandus erat niger taurus.

e Voti reus est, qui, suscepto sub conditione voto se numini obligat: damnatus, qui suscepta non solvit.

f Ex aruspicum officina vox nata. Exta prosecta & porrecta nec non vina libabo, in fluctus; Diis sc. marinis, ut aliis Diis in ara, mensa, foco aut terra.

g Filiarum Nerei L. quarum una Panopœa.

h Phorci (qui Neptuni & Theseæ filius Deusque marinus) chorus. h. e. Nymphæ marinæ.

i Idem, Melicerta, & Palæmon, portuum præses.

k Præcones Ludorum gymnicorum coronas imposuerunt victoribus, eorumque nomina magna voce pronunciarunt. Cic. lib. 5. epist. 12.

l Ad Scyllam Tyrrhenorum piratarum navim, cujus celeritatem memorat Palæphatus, respexisse Poetam vult Snellius in præf. ad Tiphyn Batav.

Decla-

Declarat, viridique advelat tempora lauro:
Muneraque in naves *m* ternos *n* aptare juvencos,
Vinaque, & *o* argenti *p* magnum dat ferre *p* talentum.
Ipsis præcipuos ductoribus addit *q* honores.
Victori *r* chlamydem auratam quam plurima circum
Purpura Mæandro duplici *s* Meliboea cucurrit:
Intextusque *t* puer frondosa regius Ida
Veloces jaculo cervos cursuque fatigat,
Acer, anhelanti similis: quem præpes ad Ida
Sublimem pedibus rapuit Jovis armiger uncis.
Longævi palmas nequicquam ad sidera tendunt
Custodes, sævitque canum latratus in auras.
At, qui deinde locum tenuit virtute secundum,
Levibus huic hamis consertam, *u* auroque trilicem
Loricam (quam Demoleo detraxerat ipse
Victor, apud rapidum Simoënta sub Ilio alto)
Donat habere viro, decus, & tutamen in armis.
x Vix illam famuli Phegeus, Sagarisque ferebant
Multiplicem, connixi humeris: indutus at olim
Demoleus, cursu palantes Troas agebat.
Tertia dona facit, geminos ex ære *y* lebetas,
z Cymbiaque argento perfecta, atque aspera signis.
Jamque adeo donati omnes, opibusque superbi,
Puniceis ibant evincti tempora *a* tæniis:
Cum sævo è scopulo multa vix arte revulsus,
Amissis remis, atque *b* ordine debilis uno,
Irrisam sine honore ratem Sergestus agebat.
Qualis sæpe viæ deprensus in aggere serpens,
c Ærea quem obliquum rota transiit, aut gravis ictu
Seminecem liquit saxo, lacerumque viator,
Nequicquam longos fugiens dat corpore tortus,
Parte ferox, ardensque oculis, & sibila colla
Arduus attollens; *d* pars vulnere clauda retentat
Nexantem nodis, seque in sua membra plicantem.
Tali remigio navis se tarda movebat,

m Non singulis navibus ternos, sed singulos tribus quæ redierant.
n Alii, *optare*.
o Hinc autumant legendum fuisse supra, *argenti aurique talenta*, sed ubi hic remigibus & navarchis datur talentum argenti, supereſt illud auri.
p Talentum majus Atticum fuit 8000. drachmarum, nostræ monetæ 250. l.
q Munera honoraria.
r Indumentum Imperatorium & militare, cujus oras gemina prætexta purpurea sinuoso, & in se remeabili flexu, ad instar Mæandri Cariæ fl. cinxit.

s Ab insula vel urbe Thessaliæ cognomine, purpura celebri. *t* Ganymedes, quem, dum in Ida monte venaretur, rapuit aquila ales *voluerumque potens Jovis fulminis hæres, Gesturus summo tela trisulca Jovi.* Claudian. præ. 1. l. &c. *u* Aureis hamis spirisve consertam, iisque triplici serie connexis. *x* Quantus interea Æneas, qui hanc tanto viro victor detraxerat? Scal. l. 3. c. 32. *y* Fortibus viris in præmia dari solitos, quos itaque & tripodas esse existimant nonnulli. *z* Vasa in formam cymbæ nauticæ cælata & signis ornata. *a* Vittis aut lemniscis coronarum. Tæniæ proprie sunt extremæ partes vittarum quæ ab infulis vel coronis undantes pendent. *b* Remigum. *c* Æreo vel ferreo armata cantho. *d* Posterior pars saucia.

Vela facit tamen, & plenis subit *e* ostia velis.
Sergestum Æneas *f* promisso munere donat,
Servatam ob navem lætus, socioſque reductos.
Olli ſerva datur, *g* operum haud ignara Minervæ,
h Cressa genus Pholoë, geminique sub ubere nati.
Hoc pius Æneas misso certamine, tendit
Gramineum in campum, quem collibus undique curvis
Cingebant ſylvæ, mediaque in valle theatri
i Circus erat: quo se multis cum millibus heros
Consessu medium tulit, exstructoque resedit.
Hic qui forte velint rapido contendere cursu,
Invitat preciis animos, & præmia ponit.
Undique conveniunt Teucri, mistique Sicani:
Nisus, & Euryalus primi.
Euryalus forma insignis viridique juventa,
Nisus amore *k* pio pueri. quos deinde sequutus
Regius egregia Priami de stirpe *l* Diores.
Hunc *l* Salius simul, & *l* Patron: quorum alter
m Acarnan,
Alter ab Arcadia, *n* Tegææ sanguine gentis.
Tum duo Trinacrii juvenes, *l* Helymus *l* Panopesque
o Assueti ſylvis, comites senioris Acestæ:
Multi præterea, quos fama obscura recondit.
Æneas quibus in mediis sic deinde loquutus:
Accipite hæc animis, lætasque advertite mentes:
Nemo ex hoc numero mihi non donatus abibit.
p Cnosia bina dabo *q* levato lucida ferro
Spicula, cælataque argento ferre *r* bipennem.
Omnibus hic erit unus honos, tres præmia primi
Accipient, flavaque caput nectentur oliva.
Primus equum phaleris insignem victor habeto:
Alter *ſ* Amazoniam pharetram, plenamque sagittis
Threïciis, lato quam circum amplectitur auro
Balteus, & tereti subnectit fibula gemma.
Tertius Argolica hac galea contentus abito.
Hæc ubi dicta, *t* locum capiunt: signoque repente
Corripiunt spatia audito: limenque relinquunt

e Portum. ostia proprie sunt fluminum.
f Uti jusserat eos *meritæ exspectare præmia palmæ*, ita victis solatia non neganda duxit, ut infra, Dareti.
g Lanificii, telæ, texturæ: quæ Minervæ inventa.
h Cretensis genere.
i Erat vallis θεατροειδὴς, facili, ex omni parte, ascensu acclivis, ad modum theatralis Caveæ aut Circi, sic Rhodope est Orpheum Theatrum Ovidio 11. Met. & Martiali spectaculorum l. ep. 21.
k Casto & honesto, Attico & Lacedæmonio, inquit Plutarchus lib. de educat. non Thebano aut Cretensi.

l Nomina hæc non ficta, sed ex historia petita censet Turnebus lib. 26. Adverſ. cap. 17. *m* Epirota ex Acarnaniæ tractu. *n* Arcadiæ oppidi. *o* Venatores & nobiles. *p* Cretensia. Cnossus civitas Cretæ, quæ sagittariis clara. *q* Levigato. *r* Securim ancipitem manubrio & argento cælato instructam. *ſ* Quali utuntur Amazones. *Vel*, superstitem ex spoliis Amazonum quæ populabundæ Phrygiam invaserant, vel etiam ex iis quæ auxilio Priamo venerant duce Penthesilea. *t* Carcerem, lineam aut signum, *the ſtars.*

Effusi,

Effusi, nimbo similes, simul ultima [u] signant.
Primus abit, longeque ante omnia corpora Nisus
Emicat, & ventis & fulminis ocyor alis,
Proximus huic, longo sed proximus intervallo,
Insequitur Saltus: spatio post deinde relicto,
Tertius Euryalus.
Euryalumque Helymus sequitur: quo deinde sub ipso
Ecce volat, [x] calcemque terit jam calce Diores,
Incumbens humero: [y] spatia & si plura supersint,
Transeat elapsus prior, ambiguumque relinquat.
Jamque fere spatio extremo, fessique sub ipsum
Finem adventabant: levi cum [z] sanguine Nisus
Labitur infelix, cæsis ut forte juvencis
Fusus humum, viridesque super madefecerat herbas.
Hic juvenis jam victor ovans vestigia presso
Haud tenuit titubata solo, sed pronus in ipso
Concidit, immundoque fimo, [z] sacroque cruore,
Non tamen Euryali, non ille oblitus amorum:
Nam sese opposuit Salio per lubrica surgens.
[a] Ille autem spissa jacuit revolutus arena.
Emicat Euryalus, & munere victor amici
[b] Prima tenet, plausuque volat, fremituque secundo.
Post Helymus subit, & nunc [c] tertia palma Diores.
Hic totum caveæ [d] consessum ingentis, & ora
Prima patrum magnis Salius clamoribus implet:
Ereptumque dolo reddi sibi poscit honorem.
Tutatur favor Euryalum, lacrymæque decoræ,
Gratior & pulchro veniens in corpore virtus.
[e] Adjuvat, & magna proclamat voce Diores,
Qui subiit palmæ, frustraque ad præmia venit
Ultima, si primi Salio reddantur honores.
Tum pater Æneas, Vestra, inquit, munera vobis
Certa manent, [f] pueri, & palmam movet ordine nemo,
Me liceat casum misereri [g] insontis amici.
Sic fatus, [h] tergum Getuli immane leonis
Dat Salio, villis onerosum, atque unguibus aureis:
Hic Nisus, Si tanta, inquit, sunt præmia victis,
Et te lapsorum miseret: quæ munera Niso

[u] Metam oculis directe intuentur, animo devorant avidi.
[x] In cursu pari, inquit Scaliger, æquata linea utriusque calcibus ita dirigebatur, ut calces inter se attererent, &c. l. 5. c. 3. contra Macrobium l. 5. Sat. c. 13. μετασοιχεῖ & ex æquo, ad latus currens. Adumbratus hic cursus ex Il. 23. ubi & Ajax cecidit.
[y] Quod si plus spatii ad metam superfuisset, Diores Helymum, in cursu jam æquum & ambiguum, præversus, a tergo reliquisset.
[z] Hostiarum quæ, pro more, ante Agonalia cædebantur ut Iliad. 23.
[a] Salius.
[b] Spatia.

τὰ πρῶτα. [c] Tertius victor. *Et certamen erat Corydon cum Thyrside magnum.* [d] Spectatores. cum respectu ad caveam theatri. [e] Juvat Diores causam Euryali. excludendus sc. a tribus primis præmiis, si modo Salio stet primus locus. Alii distinguunt *in corpore virtus Adjuvat & magna.* [f] Juvenes. ipse Æneas pater. [g] Salii, qui supplantatus dolo Nisi. vide Alciat. Parerg. lib. 6. c. 42. [h] Vide quæ ad l. 8. *quem fulva leonis Pellis obit totum præfulgens unguibus aureis.*

Digna dabis? primam merui qui *i* laude coronam,
Ni me, quæ Salium, fortuna inimica tulisset.
Et simul his dictis faciem ostentabat, & udo
k Turpia membra fimo. risit pater optimus olli;
Et clypeum efferri jussit, Didymaonis artes,
Neptuni sacro *l* Danais de poste refixum:
Hoc juvenem egregium præstanti munere donat.
Post ubi confecti cursus, & dona peregit:
Nunc si cui virtus, animusque in pectore præsens,
Adsit, & evictis attollat brachia palmis.
Sic ait, & geminum *m* pugnæ proponit honorem,
Victori velatum *n* auro vittisque juvencum:
Ensem, atque insignem galeam, solatia victo.
Nec mora, continuo vastis cum viribus effert
Ora Dares magnoque virûm se murmure tollit:
Solus qui *o* Paridem solitus contendere contra,
Idemque *p* ad tumulum, quo maximus occubat Hector,
Victorem *q* Buten immani corpore (qui se
Bebrycia veniens Amyci de gente ferebat)
Perculit, & fulva *r* moribundum extendit arena.
Talis prima Dares caput altum in prælia tollit:
Ostenditque humeros latos, alternaque jactat
s Brachia protendens, & verberat ictibus auras.
Quæritur huic alius. nec quisquam ex agmine tanto
Audet adire virum, manibusque inducere cæstus.
Ergo alacris, cunctosque putans excedere *t* pugna,
Æneæ stetit ante pedes, nec plura moratus,
Tum læva taurum cornu tenet, atque ita fatur:
Nate Dea, si nemo audet se credere pugnæ,
Qui finis standi? quo me decet usque teneri?
Ducere dona jube. Cuncti simul ore fremebant
Dardanidæ, reddique viro promissa jubebant.
Hic gravis Entellum dictis *u* castigat Acestes,
Proximus ut viridante *x* toro consederat herbæ:
Entelle, heroum quondam fortissime *y* frustra,

i Laudabili nisu, virtute in cursu. *k* Εν δ' ὄνθου βοέου πλῆτο στόμα τε ῥῖνας τε. de Ajace. *l* A Danais templa in Trojano excidio profanantibus detractum, & ab Heleno donatum Æneæ. *m* Cæstuum pugna erat e pugilatus genere, ubi pugnis res agebatur, sed armatis. tanquam si qui chirothecis e corio bubulo iisque ferro & plumbo adfixo gravibus, quæ loris alligabantur brachiis & cubitis, ne exciderent, armati inter se decertarent. cæstuum agonas & icones exhibet Hier. Mercurialis in Gymnastic. Et Manutius l. 1. de quæsitis per epist. 8. epist. *n* Inter dona Heroum & Præmia agonalia militariaque erant boves; iique aurati cornua & laminis aureis frontes ornati l. 9. *aurata fronte juvencum*. *o* Qui, utcunque propter Helenam raptam imputetur illi mollities, erat tamen strenuus & fortis. namque expositus propter Hecubæ somnium & inter pastores educatus pugillatu claruit, adeoque in solennibus Ludis cum Hectore cæstuum pugna certans, a fratre agnitus est. *p* In ludis funebribus, ad Sigæum, ubi conditus erat Hector. *q* Filium Amyci, qui Neptuni filius rex Hebryciorum, a Polluce victus cæsusque, pugil tamen strenuus, ut & Butes fil. *r* Seminecem. *s* Ventilans. *t* Al. *palma*. *u* Graviter objurgans. *x* Aggesto ex herbis. *y* Si tam patiens sinas præmia hæc abire ἀκοντί.

Tan-

Tantane tam patiens nullo certamine tolli
Dona ſines? ubi nunc nobis [z] Deus ille magiſter
Nequicquam memoratus [a] Eryx? ubi fama per omnem
Trinacriam? ſpolia illa tuis [b] pendentia tectis?
Ille ſub hæc? Non laudis amor, nec gloria ceſſit
Pulſa metu: ſed enim gelidus tardante ſenecta
Sanguis hebet, frigentque effœtæ in corpore vires.
Si mihi, quæ quondam fuerat, quaque improbus iſte
Exſultat fidens, ſi nunc foret illa juventa:
Haud equidem precio inductus, pulchroque juvenco
Veniſſem: nec dona moror. Sic deinde loquutus,
In medium geminos immani pondere cæſtus
Projecit: quibus acer Eryx in prælia ſuetus
Ferre manum, duroque [c] intendere brachia tergo.
Obſtupuere animi: [d] tantorum ingentia ſeptem
Terga boum, plumbo inſuto, ferroque rigebant.
Ante omnes ſtupet ipſe Dares, longeque recuſat.
Magnanimuſque Anchiſiades & pondus, & ipſa
Huc illuc [e] vinclorum immenſa volumina verſat.
Tum ſenior tales referebat pectore voces:
Quid, ſi quis cæſtus, ipſius & Herculis arma
Vidiſſet, triſtemque hoc ipſo in litore [f] pugnam?
Hæc [g] germanus Eryx quondam tuus arma gerebat:
Sanguine cernis adhuc, ſparſoque infecta cerebro.
His magnum Alciden contra ſtetit: his ego ſuetus
Dum melior vires ſanguis dabat; [h] æmula nec dum
Temporibus geminis canebat ſparſa ſenectus.
Sed, ſi noſtra Dares hæc Troïus arma recuſat,
Idque pio ſedet Æneæ, probat [i] author Aceſtes:
Æquemus pugnas: [k] Erycis tibi terga remitto,
Solve metus, & tu Trojanos exue cæſtus.
Hæc fatus, duplicem ex humeris rejecit amictum;
Et magnos membrorum artus, magna oſſa, lacertoſque [l]
Exuit, atque ingens media conſiſtit arena.
Tum ſatus Anchiſa cæſtus pater extulit æquos.
Et paribus palmas amborum innexuit armis.
Conſtitit [m] in digitos extemplo arrectus uterque,
[n] Brachiaque ad ſuperas interritus extulit auras.

[z] Heros, divinas laudes in pugillatu conſequutus.
[a] Filius Butæ, modo dicti, & Veneris (aliis Lycaſtes) rex Siciliæ.
[b] Ex more & honore athletarum, qui liminibus ſuis ſpolia devictis antagoniſtis detracta ſuſpendebant.
[c] Innectere brachia cæſtuum loris e tergore boum.
[d] Non placet Servius, qui *tantorum* ad *hominum animi* refert, non ad *boum*.
[e] Cæſtuum lora, faſcias, ſinus, orbes, ſpiras, flexus.
[f] Boum ex Hiſpania ab Hercule actorum unus ex Rhegio Italiæ in Siciliam tranavit. repetebat Hercules; Erycem abnegantem cæſtuum pugna interfecit. Εξει δ' ταύρου, ſic enim Erycem appellat Lycophr. γυμνάδας κακοξένους Πάλης κονίστρας. & ibi Tzetzes. [g] Ομομήτριος, Butæ fil. ex Venere vel Lycaſtes potius, nobilis ſcorti, quæ ob formam eximiam *Venus* dicta. [h] Ætati virili invidens vireſque ejus protrudens. [i] Hujus certaminis. [k] Erycis cæſtibus & jure meo cedo, tu tuos ego meos: æquos induemus. [l] Hypermeter extendit lacertos. [m] *On tipioe.* [n] Ventilat uterque, præluditque.

Abduxere retro longe capita ardua ab ictu:
Immiscentque manus manibus, pugnamque lacessunt.
Ille pedum melior motu, fretusque juventa:
Hic membris, & mole valens: sed tarda trementi
[o] Genua labant: vastos quatit æger anhelitus artus.
Multa viri nequicquam inter se [p] vulnera jactant:
Multa cavo lateri ingeminant, & pectore vastos
Dant sonitus, erratque aures, & tempora circum
Crebra manus: duro crepitant sub vulnere malæ.
Stat gravis Entellus, nisuque immotus eodem,
[q] Corpore [p] tela modo, atque oculis vigilantibus exit.
Ille velut celsam oppugnat qui molibus urbem,
Aut montana, sedet circum castella sub armis,
Nunc hos nunc illos aditus, omnemque pererrat
Arte locum, & variis assultibus irritus urget.
[r] Ostendit dextram insurgens Entellus, & alte
Extulit: ille ictum venientem à vertice velox
Prævidit, celerique elapsus corpore cessit.
Entellus vires in ventum effudit: & ultro
Ipse gravis, graviterque ad terram pondere vasto
Concidit: ut quondam [s] cava concidit aut [t] Erymantho,
Aut [u] Ida in magna radicibus eruta pinus.
Consurgunt studiis Teucri, & Trinacria pubes:
It clamor cœlo: primusque occurrit Acestes,
Æquævumque ab humo miserans [x] attollit amicum.
At non tardatus casu, neque territus heros,
Acrior ad pugnam redit, & vim suscitat ira.
Tum pudor incendit vires, & [y] conscia virtus:
Præcipitemque Daren ardens agit æquore toto,
Nunc dextra ingeminans ictus, nunc ille sinistra.
[z] Nec mora, nec requies, quam multa grandine nimbi
Culminibus crepitant: [a] sic densis ictibus heros
Creber utraque manu pulsat, versatque Dareta:
[b] Tum pater Æneas, procedere longius iras,
Et sævire animis Entellum haud passus acerbis:
Sed finem imposuit pugnæ: fessumque Dareta
Eripuit, mulcens dictis: ac talia fatur:
Infelix, quæ tanta animum dementia cepit?

[o] Proceleusmaticum hic alii pedem statuunt; alii, quibus assentio, vocalem mediam in consonam mutant, ut vox sic dissyllaba, sic *ariete, tenuia, pituita*, trisyllaba fiunt. Scal. 2. lib. poet. c. 37.
[p] Ictus.
[q] Corporis declinatione ictus eludit: & ab ictus linea se subducit: adeoque exit.
[r] Insurgens attollit dextram, ictum graviorem minatus.
[s] Vetusta, annosa, carie & annis exesa.
[t] Nemoroso Arcadiæ monte.
[u] Phrygiæ monte. ut & Cretæ altero cognomine.
[x] Idque ex æqua pugilatus lege, ut casu collapsus elevetur. alioqui casui, non virtuti, cesserit victoria.
[y] Quam sibi inesse norat.
[z] *Nec mora nec requies interdatur ulla.* Lucret. 4. l.
[a] Videatur Aldus Manutius, de Quæsitis per epistolas l. 1. Epist. 8. de Cæstu. & Jul. Cæs. Scal. l. 1. Poet. c. 22.
[b] Cum neuter pugilum in arenam descenderit injuriam internecina pugna ulturus; sed laude & præmio invitatus: munerario licet prælium dirimere atque alterutrum subtrahere.

e Non vires alias, conversaque numina sentis?
Cede Deo: dixitque; & prælia voce diremit.
Ast illum fidei æquales, genua ægra trahentem,
Jactantemque utroque caput, crassumque cruorem
Ore ejectantem, mistosque in sanguine dentes,
Ducunt ad naves: galeamque, ensemque *d* vocati
Accipiunt: *e* palmam Entello, *f* taurumque relinquunt.
Hic victor superans animis, tauroque superbus,
Nate dea, vosque hæc, inquit, *g* cognoscite, Teucri,
Et mihi quæ fuerint juvenili in corpore vires,
Et qua servetis revocatum à morte Dareta.
Dixit: & adversi contra stetit ora juvenci;
Qui donum astabat pugnæ: durosque reducta
Libravit dextra media inter cornua cæstus
Arduus, *h* effractoque illisit in ossa cerebro.
i Sternitur, exanimisque tremens procumbit humi bos.
Ille super tales effudit pectore voces:
k Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis
Persolvo: hic victor cæstus, artemque *l* repono.
Protinus Æneas celeri certare sagitta
Invitat, qui forte velint, & præmia ponit:
m Ingentique manu malum de nave Seresti
Erigit, & volucrem *n* trajecto in fune columbam,
Quo tendant ferrum, malo suspendit ab alto.
Convenere viri: dejectamque *o* ærea sortem
Accepit galea: & primus clamore secundo
Hyrtacidæ ante omnes exit locus Hippocoontis.
Quem modo navali Mnestheus certamine victor
Consequitur, viridi Mnestheus evinctus *p* oliva.
Tertius Eurytion, tuus ô clarissime frater

c Annon advertis ab illo stare vires plusquam mortales, pugnæ fortunam & Deos? cede itaque tempori, fortunæ, Deo. Mulcet Dareta Æneas, in Deos mutatos, conversaque numina iniquum quasi pugnæ exitum conferens, ut l. 2. Æneam Venus. *Verum inclementia Dirum Has everrit opes.* *d* Neque enim per verecundiam sponte erant postulaturi. Macrob. 4. Sat. 1. c. & tamen luculentiore munere auctus est victus quam victor.

quippe sibi virtus pulcherrima merces, sibi vel indotatæ precium. *e* Commune omnium certaminum præmium, utcunque nulla mentio ejus prius facta sit. *f* Allusum ad Rom. morem, immolandi bovis post certamina. *g* Observato senum decoro, quibus res suas gestas prædicare conceditur. *h* Fractis ossibus illisit cæstum in cerebrum. Hypallage. *i* Et cum bove versus corruit non sine summo Poetæ artificio & judicio, ut ruinam signanter exprimat. sic. 1 l. *Præruptus aquæ mons.* Et 2. l. *ruit Oceano nox.* *k* Taurum, gratiorem Eryci magistro meo & Heroi hostiam futuram, quam si humanum libarem sanguinem. Allusum simul ad succidaneam, sicubi prior non litaret hostia. *l* Gladiatores, nec non artifices alii, si ætate graves, vulneribus invalidi, consilio artem improbantes, victoriis saturi, aut alia de causa valedicerent arti suæ, tanquam emeriti & rude donati artis suæ instrumenta Deo alicui, ad templi parietem suspensa, consecrabant. *m* Multa suorum manu. *n* Cui trajectus est suspensæ columbæ pes πέλειαν Ἀεπτῇ μηρίνθῳ δῆσεν ποδός, Homer. Iliad. ψ. in certamine etiam sagittarum. neque enim placet quod omnes interpretes *trajecto* exponunt *extenso*. *o* Sitellæ forensis loco in certaminibus & militia ad sortitiones adhibita est galea, ut Iliad. 7. & 13. *p* Nuperæ victoriæ insigni.

Pandare : q qui quondam jussus confundere fœdus ,
In medios telum torsisti primus Achivos.
Extremus, galeaque ima r subsedit Acestes ,
Ausus & ipse manu juvenum tentare laborem.
Tum validis s flexos incurvant viribus arcus
Pro se quisque viri, & depromunt tela pharetris ,
Primaque per cœlum, nervo stridente, sagitta
Hyrtacidæ juvenis volucres diverberat auras :
Et venit, adversique infigitur arbore mali ,
Intremuit malus, timuitque exterrita pennis
Ales, & ingenti sonuerunt omnia plausu.
Post acer Mnestheus adducto constitit arcu
Alta petens , pariterque oculos telumque tetendit.
Ast ipsam t miserandus avem contingere ferro
Non valuit : nodos & vincula linea rupit ,
Queis innexa pedem malo pendebat ab alto.
Illa Notos, atque atra volans in nubila fugit.
Tum rapidus jamdudum arcu contenta parato
Tela tenens, u fratrem Eurytion in vota vocavit:
Jam vacuo lætam cœlo speculatus, & alis
Plaudentem, nigra figit sub nube columbam.
Decidit exanimis, x vitamque reliquit in astris
Aëriis, fixamque refert delapsa sagittam.
Amissa solus palma y superabat Acestes ,
Qui tamen æthereas telum contorsit in auras ,
z Ostentans artem pariter, arcumque sonantem.
Hic oculis subito objicitur, magnoque futurum
a Augurio monstrum : docuit post b exitus ingens :
Seraque terrifici cecinerunt omina vates.
Namque volans liquidis in nubibus arsit arundo ,
Signavitque viam c flammis, tenuesque recessit
Consumpta in ventos : d cœlo ceu sæpe refixa
Transcurrunt, e crinemque volantia sidera ducunt.
Attonitis hæsere animis, superosque precati
Trinacrii Teucrique viri : f nec maximus omen
Abnuit Æneas ; sed lætum amplexus Acestem
Muneribus cumulat magnis, ac talia fatur :

q Qui jussu Minervæ in certamine Menelai & Paridis sagitta missa fœdera certaminis disturbasti Iliad. 4.
r Neque enim necesse erat sortem Acestis educi, qui ultimus erat.
s Incurvos flectunt. Hypallage, flectendo incurvant.
t Quod a proposita meta aberraret.
u Pandarum, qui in vivis peritissimus sagittandi , a Lyciis pro Heroe colebatur : hujus itaque divinam quasi opem invocat.
x Cum stellis ac astris aves rite immolentur, laudat Macrobius poetæ scientiam & judicium, qui volucrem in stellis animam reliquisse dixerit.
y Superfuit. z Gestu. an forte charchesium, ubi, suspensa fuerit columba , sagitta petens. a Prodigio b Classis incensa , quod postea ex hac sagitta accensa significari , sero intellexerunt agnoveruntque vates. c Flamineo tractu. ut 2. l. *Signantemque vias* in eadem re. d Ex vulgi , putantis revulsas e cœlo stellas cadere , opinione de meteoro stellæ cadentis , *Quæ si non cecidit, potuit cecidisse videri.* e Instar cometæ. f Nec pro diro omine abhorruit , sed lætum interpretabatur.

Sume ,

Sume, pater, (nam te voluit rex magnus Olympi
Talibus auspiciis g exsortem ducere g honorem)
Ipsius Anchisæ longævi hoc munus habebis:
Cratera impressum signis, quem h Thracius olim
Anchisæ genitori in magno munere h Cysseus
Ferre sui dederat monimentum & pignus amoris.
Sic fatus, cingit viridanti tempora lauro:
Et primum ante omnes victorem i appellat Acesten,
Nec bonus Eurytion prælato invidit honori:
Quamvis solus avem cœlo dejecit ab alto.
k Proximus ingreditur donis, l qui vincula rupit:
Extremus volucri qui fixit arundine malum.
At pater Æneas, nondum certamine misso,
m Custodem ad sese, comitemque impubis Iuli
Epytidem vocat, & fidam sic fatur ad aurem:
Vade age, & Ascanio, si jam puerile paratum
Agmen habet secum, cursusque instruxit equorum:
Ducat n avo turmas, & sese ostendat in armis,
o Dic, ait, ipse omnem longo decedere circo
Infusum populum, & campos jubet esse patentes.
Incedunt pueri, pariterque ante ora parentum
Frænatis lucent in equis, quos omnis euntes
Trinacriæ mirata fremit, Trojæque juventus.
p Omnibus in morem tonsa coma pressa corona:
q Cornea bina ferunt præfixa hastilia ferro,
Pars leves humero pharetras, it pectore summo
r Flexilis obtorti per collum r circulus auri.
s Tres equitum numero t turmæ, ternique vagantur
Ductores: pueri bissêni quemque sequuti,
Agmine partito fulgent, paribusque u magistris.
Una acies juvenum, ducit quam parvus x ovantem
(Nomen avi referens) y Priamus, tua clara, Polite,
Progenies, auctura Italos: quem Thracius albis
Portat equus bicolor maculis: z vestigia primi
Alba pedis, frontemque ostentans arduus albam.
Alter, Atys, a genus unde Atyi duxere Latini:

g Præmium, extra sortis & pacti ordinem, amplissimum. cui & Græcium ponit a prioribus dominis & artificio
h Pater Hecubæ, rex Thraciæ.
i Præconis voce pronunciat.
k Proxime Eurytionа, donis insignis & gloriabundus incedit
l Mnestheus. Hippocoon.
m Pædagogum, rectorem, μύθων ῥητῆρα, πεκτήρα τε ἔργων. pro more educationis liberorum regum & nobilium: Clem. Alex. l. 1. pæd. cap. 7.
n In honorem avi, in ipsius sc. parentalibus, ludisque funebribus.
o Alii. Sic ait.
p Omnibus in morem unum ac eundem, comam premebat galea, quam cinxit tonsa corona; vel insignivit crista in speciem coronæ tonsa. Namque in seq. Ascanius galeam ante pedes projecit ioanem, Qua ludo indutus belli simulacra ciebat. q E corno. Et bona bello Cornus. Georg. 2. r Torquis aureus. s Allusum volunt ad tres centurias a Romulo institutas, Rhamnensium, Tatiensium, Lucerum. t Turma proprie est 32 equitum. u Cum respectu ad magistros equitum Rom. x Lætam. & quasi triumphantem. de ovandi ratione, alibi dictum. y Qui filius Politæ, de cujus cæde dictum 2. Æn. qui, cum Politorium condidisse feratur, Italos auxisse dicitur. z Prioribus pedibus albis & candida stella in fronte spectabilis. a Hoc in gratiam Augusti, & familiæ maternæ Atiæ, e qua erat Atia Augusti mater.

Parvus Atys, pueroque puer dilectus Iŭlo.
Extremus, formaque ante omnes pulcher Iŭlus
Sidonio est invectus equo; quem candida Dido
Esse sui dederat monimentum & pignus amoris.
b Cetera Trinacriis pubes senioris Acestæ
Fertur equis.
Excipiunt plausu *c* pavidos, gaudentque tuentes
Dardanidæ: *d* veterumque agnoscunt ora *d* parentum.
Postquam omnem læti consessum, oculosque suorum
Lustravere in equis: signum clamore paratis
Epytides longè dedit, insonuitque flagello.
Olli *e* discurrêre pares: atque agmina terni
Diductis solvêre choris: rursusque vocati
Convertêre vias: infestaque tela tulere.
Inde alios ineunt cursus, aliosque recursus
Adversis spatiis, alternosque orbibus orbes
Impediunt, pugnæque cient *g* simulachra sub armis.
Et nunc terga fugæ nudant, nunc spicula vertunt
Insensi: facta pariter nunc pace feruntur.
Ut quondam *h* Creta fertur Labyrinthus in *i* alta
Parietibus textum cæcis iter, ancipitemque
Mille viis habuisse dolum: qua signa sequendi
Falleret indeprensus, & irremeabilis error.
Haud aliter Teucrûm nati vestigia cursu
Impediunt, texuntque fugas, & prælia ludo:
Delphinûm similes, qui per maria humida nando
Carpathium, Libycumque secant, luduntque per undas.
Hunc morem, hos cursus, atque hæc certamina primus
Ascanius, longam muris cum cingeret Albam,
Rettulit, & priscos docuit celebrare Latinos:
Quo puer ipse modo, secum quo Troïa pubes,
Albani docuere suos. hinc maxima *k* porro
Accepit Roma, & patrium servavit honorem:
Trojaque nunc, pueri, Trojanum dicitur agmen.
Hac celebrata tenus *l* sancto certamina patri.
Hic primum fortuna fidem mutata novavit.

b Ceteri pueri vehebantur Siculis equis: ex equili Acestæ.
c Hinc inde obequitantes, ut de equitibus Æn. 4. *Dum trepidant alæ.* Et de apibus 4. Georg. *Dum trepidæ inter se coeunt pennisque coruscant.* Alii exponunt, gloriæ cupiditate sollicitos. Alii ordinant, excipiunt pavidos plausu. Quibus non applaudo.
d Avorum quos ore referunt.
e Primum discurrebant bini: deinde in tres divisi turmas referebant tres centurias; mox ab Epytide flagelli sonitu moniti, conversi belli simulachra cient vibratis hinc inde telis se invicem lacessunt. variis cursibus, recursibus, orbibus repræsentant choreas, atque imaginariæ pugnæ prælium adversum, receptum sive fugam, pacem.
g Lucret. 2. l. *Fervere cum videas belli simulachra cientes.* *h* Theseus devicto Minotauro redux, instituit saltationem ad speciem Labyrinthi erroribus flexuosi: neque enim Labyrinthus fabula est, inquit Scaliger 1. l. Poet. c. 10. Sed etiam nunc exstat, & in Creta visitur. Non itaque sine summa eruditione ludum Trojanum divinus descripsit Poeta, apposita Labyrinthi comparatione. infra l. 6. Æn. per initia. *i* *Contra elata mari respondet Gnosia tellus.* Æn. 6. *k* Ludi quidam ante urbem conditam, inquit Scal. l. 1. Poet. 28. c. in Latium, atque inde Romam advecti; ut Troja & compitalitii. Trojæ meminerunt Dio, Xiphilinus, Tacitus, Suetonius, alii. *l* In Deos relato.

Dum

Dum variis tumulo referunt solennia ludis,
m Irim de cœlo misit Saturnia Juno
Iliacam ad classem, ventosque aspirat eunti,
Multa movens, nec dum antiquum saturata dolorem.
n Illa viam celerans per mille coloribus arcum
Nulli visa cito decurrit tramite virgo:
Conspicit ingentem concursum, & litora instrat:
Desertosque videt portus, classemque relictam.
At procul in *o* sola secretæ Troades *p* acta
Amissum Anchisen flebant, cunctæque profundum
Pontum aspectabant flentes. *q* Heu, tot vada fessis,
Et tantum supereſſe maris! vox omnibus una.
Urbem orant, tædet pelagi perferre laborem.
Ergo inter medias sese *r* haud ignara nocendi
Conjicit, & faciemque deæ vestemque reponit:
Fit Beroë, *ſ* Ismarii conjux longæva Dorycli:
Cui genus, & quondam nomen, natique fuissent;
Ac sic Dardanidum mediam se matribus infert.
t O miseræ, quas non manus, inquit, Achaica bello
Traxerit ad lethum patriæ sub mœnibus: ô gens
Infelix, cui te exitio fortuna reservat?
u Septima post Trojæ excidium jam vertitur æstas,
Cum freta, cum terras omnes, tot inhospita saxa
x Sideraque emensæ ferimur: dum per *y* mare magnum
Italiam sequimur *z* fugientem, & volvimur undis.
Hic Erycis finis fraterni, atque hospes Acestes:
Quis prohibet muros jacere, & dare civibus urbem?
O patria, & rapti *a* nequicquam ex hoste penates,
Nullane jam Trojæ dicentur mœnia? nusquam
b Hectoreos amnes, *c* Xanthum, & Simoënta videbo?
Quin agite, & mecum infaustas exurite puppes.
Nam mihi Cassandræ per somnum vatis imago
Ardentes dare visa faces; Hic quærite Trojam:
Hic domus est, inquit, vobis. *d* nunc tempus agi res;

m Nunciam Junonis; & Jovis l. 4. & 9. causa physica, aeris sc. nunciam.
ἐρις plerunque, ad discordiam missam, ut Mercurium ad concordiam.
n Ut arcus via sit & vehiculum. Iris numen quod descendit.
o Deserta a viris ludos solennes alibi celebrantibus.
p Litore. *ἀκτὴ*.
In acta cum mulierculis jacebat ebrius. Cic. Ver.
q Atque hæc una erat omnium vox; Heu! supersuntne tot vada, tantum maris, fessis obeunda.
r Fraudum scientissima.
ſ Thracii. Alii leg. Timarii. a Timaro monte Epiri, ubi benigne excepti ab Heleno Troes, probabiliusque est hic contracta matrimonia, quam in Thracia, a quo litore avaro festini se expediebant. *t* *O terque quaterque beati! Queis ante ora patrum* &c. l. 1. *u* In primo lib. dictum, *num te jam septima portat Æstas.* Atque hic jam post tantum temporis intervallum *Septima vertitur æstas. Portat* ergo æstatem incipientem signat, *vertitur* finitam vel desinentem. *x* Maria & terras vario siderum aspectu distincta. *y* Mediterraneum; non Oceanum, quod mare magnum proprie. *z* Visam retrocedere nobis post tot annos exactos tot maria emensis. *tandem Italiæ fugientis prendimus oras.* lib. 6. *a* Siquidem nulla nobis vestra ope reperta sedes, neque a Deo vobis ipsis. *b* Trojanos. *c* Coloni urbem novam ad patriæ urbis imaginem simulare solebant, & si fieri posset, fabricam, mœnia, portas, amnes ipsos. sic l. 3. ab Heleno conditam *parvam Trojam simulataque magnis Pergama, & arentem Xanthi cogn.* &c. *d* Per absentiam virorum.

Nec tantis mora [e] prodigiis: en quatuor [f] aræ
Neptuno: [g] Deus ipse faces animumque ministrat.
Hæc memorans, prima infensum vi corripit ignem,
Sublataque procul dextra connixa coruscat,
Et jacit. arrectæ mentes, stupefactaque corda
Iliadum. Hic una è multis, quæ maxima natu,
Pyrgo, [h] tot Priami natorum regia nutrix:
Non Beroë vobis, non hæc [i] Rhœteïa, matres,
Est Dorycli conjux: divini signa decoris,
Ardentesque notate oculos: qui [k] spiritus illi,
Qui [l] vultus, vocisque sonus, vel [m] gressus eunti.
Ipsa egomet dudum Beroën digressa reliqui
Ægram, indignantem [n] tali quod sola careret
Munere, nec meritos Anchisæ inferret honores.
Hæc effata.
At matres primo ancipites, oculisque malignis
Ambiguæ, spectare rates, miserum inter amorem
Præsentis terræ, fatisque vocantia regna:
Cum dea se paribus per cœlum sustulit alis,
Ingentemque fuga secuit sub nubibus arcum.
Tum vero attonitæ [o] monstris, actæque [p] furore
[q] Conclamant, rapiuntque focis [r] penetralibus ignem:
Pars spoliant aras, frondem, ac virgulta, faceſque
Conjiciunt: [s] furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per, & remos, & [t] pictas abjete puppes.
Nuncius Anchisæ ad tumulum, [u] cuneosque theatri
Incensas perfert naves Eumelus: & ipsi
Respiciunt atram in nimbo volitare favillam.
Primus & Ascanius, cursus ut lætus equestres
Ducebat, sic acer equo turbata petivit
[x] Castra: nec [y] exanimes possunt retinere magistri.
Quis furor iste novus? quo nunc, quo tenditis, inquit,
Heu miseræ cives? non hostem, inimicaque castra
Argivûm, vestras [z] spes uritis. en ego vester
Ascanius: [a] galeam ante pedes projecit inanem,
Qua ludo indutus belli simulacra ciebat.

[e] Visis, & Cassandræ monitis.
[f] An quæ a Cloantho victore & cæteris positæ ex voto? An illæ in quibus sacra fiebant anniversaria Anchisæ, igne nondum exstincto?
[g] Neptunus; cujus hæ aræ.
[h] *Quinquaginta illi, thalami, spes tanta nepotum.* 2. Æneid.
[i] Trojana, a Rhœteo promontorio Trojæ.
[k] Vivida virtus animi. Aliis *odor.* ut de Venere 1. *Divinum vertice odorem Spirare comæ.*
[l] *Namque haud tibi vultus Mortalis: nec vox hominem sonat. o dea certe.* 1. Æneid.
[m] *Et vera incessu patuit Dea.* vide quæ nos ibi.
[n] Quod per valetudinem non possit interesse his sacris. [o] Deæ visæ. [p] Ab Iride Junonis nuncia immisso. infra. *Excussaque pectore Juno est.* [q] Castrense vermovenda. [p] Sacris, ab aris scil. quæ plerumque in partibus ædium penitioribus. [s] Licenter grassatur ignis. [t] Simpliciter, puppes in quibus Tutelares Dii picti, *aut* naves abiegnas rubrica, ut solent, pictas. [u] Ordines sedilium in theatris ad formam cunei per gradus ascendentium ab imo acuto in latum. videantur Icones Theatrorum apud Lipsi. Rosinum. Buleng, &c. [x] Classem. [y] Solliciti super Ascanii salute. [z] Naves quibus vectæ perveniatis ad sedes quietas. [a] Ut agnosci ab illis posset.

Acce-

Accelerat simul Æneas, simul agmina Teucrûm:
Aſt illæ diverſa metu per litora paſſim
Diffugiunt: ſylvaſque, & ſicubi concava furtim
Saxa petunt, *b* piget incepti, luciſque: ſuoſque
c Mutatæ agnoſcunt, *d* excuſſaque pectore Juno eſt.
Sed non idcirco flammæ, atque incendia vires
Indomitas poſuere: *e* udo ſub robore vivit
Stupa vomens tardum fumum: lentuſque carinas
f Eſt vapor: & toto deſcendit corpore *g* peſtis.
Nec vires heroum, infuſaque *h* flumina proſunt.
Tum pius Æneas *i* humeris abſcindere veſtem,
Auxilioque vocare deos, & tendere palmas:
Jupiter omnipotens, ſi nondum exoſus ad unum
Trojanos; *k* ſi quid pietas antiqua labores
Reſpicit humanos: da flammam evadere claſſi,
Nunc, pater, & tenues Teucrûm res eripe letho:
l Vel tu, quod ſupereſt, infeſto fulmine morti,
Si mereor, demitte, tuaque hic obrue dextra.
Vix hæc ediderat, cum effuſis imbribus, atra
Tempeſtas ſine more furit, tonitruque tremiſcunt
m Ardua terrarum, & campi: ruit æthere toto
Turbidus imber aqua, denſiſque nigerrimus Auſtris:
Implenturque ſuper puppes, ſemiuſta madeſcunt
n Robora, reſtinctus donec vapor omnis, & omnes,
Quatuor amiſſis, ſervatæ à peſte carinæ.
At pater Æneas caſu concuſſus acerbo,
Nunc huc ingentes; nunc illuc pectore curas
Mutabat, *o* verſans Siculiſne reſideret arvis,
Oblitus fatorum, Italaſne capeſſeret oras.
Tum ſenior Nautes, unum Tritonia Pallas
Quem docuit, multaque inſignem reddidit *p* arte,
Hæc reſponſa dabat: vel quæ portenderet ira
Magna Deûm, vel quæ fatorum poſceret ordo.
Iſque his Æneam ſolatus vocibus infit:
Nate dea, *quo fata trahunt retrahuntque ſequamur:*

b Pudet poſt tale facinus videri, ſpelunciſ itaque & ſylvis abdunt ſe. Alii omnes interpretantur, piget eas vitæ.
c Ad mentem ſaniorem reverſæ.
d Excuſſus eſt pectore furor ille a Junone immiſſus, reſpicit autem enthuſiaſmum Phæbadum, de quo libro ſeq. per initia.
e Quin & per ſtupam, qua tabularum rimæ ſtipantur, vomit fumus, tardior tamen, quia materia uda a vicinis aquis.
f Edit, conſumit ignis.
g Incendium.
h Aquæ impenſe infuſæ, *vel*, aqua fluvialis, cum marina non tam exſtinguit, quam accenditur propter pinguedinem. *i* Pro more uſitato, in luctu & dolore, ut paterent humeri & pectora ad planctum. *Pateat pectus, jam nuda vocant pectora dextras* Senec. Troad. 1. Chorus. quem morem teſtantur & Sacræ literæ. Alb. Gentilis 11. c. Lect. Virgil. *k* Si pia numina reſpiciant pietatem humanam. *l Summe Deum, liceat perituro viribus ignis, Igne perire tuo, clademque auctore levare.* Ovid. 2. Met. *m* Montes. *n* Naves. *o* Anxius. dubius an Siculis reſideret arvis, an Italiam capeſſ. *p* Prudentia & divinatione, adeo ut quaſi ex oraculo reſponſa daret. *Ille Deo plenus, tacita quem mente gerebat, Effudit dignas adytis e pectore voces.* Lucan. 9. vid. quæ nos ibi.

Quicquid erit, superanda omnis fortuna ferendo est.
Est tibi q Dardanius divinæ stirpis Acestes: 711
Hunc cape consiliis socium, & conjunge volentem:
Huic trade, amissis superant qui navibus, & quos
Pertæsum magni incepti, rerumque tuarum est:
Longævosque senes, ac fessas æquore matres. 715
Et quidquid tecum invalidum, metuensque pericli est,
Delige: & his habeant terris sine mœnia fessi.
Urbem appellabunt r permisso nomine ſ Acestam.
Talibus incensus dictis senioris amici,
Tum vero in curas animus diducitur omnes. 720
Et t nox atra polum u bigis subvecta tenebat:
Visa dehinc x cœlo facies delapsa parentis
Anchisæ, subito tales effundere voces:
Nate, mihi vita quondam, dum vita manebat,
Chare magis, nate Iliacis exercite fatis: 725
Imperio Jovis huc venio, qui classibus ignem
Depulit, & cœlo tandem miseratus ab alto est.
Consiliis pare, quæ nunc pulcherrima Nautes
Dat senior: lectos juvenes, fortissima corda,
Defer in Italiam. y gens dura, atque aspera cultu 730
Debellanda tibi Latio est. z Ditis tamen ante
Infernas accede domos, & averna per alta
Congressus pete, nate, meos. non me impia namque
Tartara habent, tristesque umbræ; sed amœna piorum
Concilia: Elysiumque colo. huc casta Sibylla 735
a Nigrarum multo pecudum te sanguine ducet.
Tum genus omne tuum, & quæ denturmœnia disces.
b Jamque vale: torquet medios nox humida cursus,
Et me sævus equis oriens afflavit anhelis.
Dixerat, & tenues fugit ceu fumus in auras. 740
Æneas, quo deinde ruis? quo proripis? inquit:
Quem fugis? aut quis te nostris complexibus arcet?
Hæc memorans, cinerem & sopitos suscitat c ignes,
Pergameumque larem, & canæ penetralia Vestæ
d Farre pio, & e plena supplex veneratur acerra. 745

q Trojanus, Criniso fl. & Egesta Trojani Hippotæ filia. divinæ ergo stirpis, a fluvio ortus, vel cum respectu ad Dardanum Trojæ autorem, qui Jovis ex Electra filius.
r In gratiam Acestæ regis.
ſ Quæ postea dicta est Segesta.
t Μέλαινα ὑυφρόνη.
u Bigas dant Lunæ, quadrigas Soli, trigas inferis, sejuges Jovi, desultores Lucifero, ratione Physica.
x Heroum enim animæ cœlum incolunt, simulachra inferos. *vel*, a Jove demissa, ut quarto abhinc versu.
y Rutuli, Aborigines, Tyrrheni. de quibus Numanus lib. 9. *Durum à stirpe genus*, & quæ seq. vide.
z Ab hoc Anchisæ mandato semina jacta sunt descensus Æneæ ad inferos, lib. seq.
a Furvæ n. hostiæ Diis inferis debentur.
b Neque enim lucescente die dæmoniis umbrisve permissum vagari. *Sed me imperiosa trahit Proserpina, vive valeque.* Tiresias apud Horat. Sat 5. l. 2. Solis quippe adventu intereunt umbræ. Quibus adoleat sar & thus, expiando somno. Neque interea aliud est lar Trojanus & Vesta quam ignis ἀσβεστος. ut dictum a nobis ad illud 2. l. *Vestamque potentem, Æternumque adytis effert penetralibus ignem.* adi locum.
c Mola salsa qua Vesta & Ceres, quæ anima terræ habita est, placanda.
d Thuris.

Extem-

Extemplo ſocios, primumque accerſit Aceſten :
Et Jovis imperium, & chari præcepta parentis
Edocet, & quæ nunc animo ſententia conſtet.
Haud mora conſiliis, nec juſſa recuſat Aceſtes. 749
f Tranſcribunt urbi matres, populumque volentem
Deponunt, animos *g* nil magnæ laudis egentes,
Ipſi tranſtra novant, *h* flammiſque ambeſa reponunt
Robora navigiis : aptant remoſque, rudenteſque,
Exigui numero, ſed bello vivida virtus.
Interea Æneas urbem *i* deſignat aratro : 755
k Sortiturque domos : *l* hoc Ilium, & hæc loca Trojæ
Eſſe jubet : gaudet regno Trojanus Aceſtes :
m Indicitque forum, & patribus dat jura vocatis.
n Tunc vicina aſtris Erycino in vertice ſedes
Fundatur Veneri Idaliæ : tumuloque ſacerdos, 760
Et lucus late ſacer additur Anchiſæo.
Jamque dies epulata novem gens *o* omnis, & aris
Factus honos : placidi ſtraverunt æquora venti :
Creber & aſpirans rurſus vocat Auſter in altum,
Exoritur procurva ingens per litora fletus : 765
Complexi inter ſe noctemque, diemque morantur.
Ipſæ jam matres, ipſi quibus aſpera quondam
Viſa maris facies, & non tolerabile numen,
Ire volunt, omnemque fugæ præferre laborem.
Quos bonus Æneas dictis ſolatur amicis, 770
Et conſanguineo lacrymans commendat Aceſtæ,
Tres Eryci vitulos, & *p* tempeſtatibus agnam
Cædere deinde jubet, ſolvique ex *q* ordine funes.
Ipſe caput tonſæ foliis evinctus olivæ
Stans procul in prora pateram tenet, extaque ſalſos 775
r Porricit in fluctus, ac vina liquentia fundit.
Proſequitur ſurgens à puppi ventus euntes :
Certatim ſocii feriunt mare, & æquora verrunt.
At Venus interea Neptunum *ſ* exercita curis

f Cum reſpectu ad colonias Rom. in quas tranſcripti deducebantur.
g Inglorios atique, nec laudis & honoris ambitioſos.
h Eximunt aſſeres roboreos ambuſtos, novos aptant.
i Pro more deſignandi mœnia urbis condendæ; ubi quis tenens ſtivam aratri, in quo taurus a dextra, & vacca a ſiniſtra juncti, obliquo vomere glebas invertebant, ut intrinſecus caderent, ſuſpendebat vero aratrum ubi futuræ erant portæ.
k Sorte cuique domos ſignat.
l Ad formam & repræſentationem veteris Trojæ.

ut ſupra & l. 3. de Heleni urbe : unde & delectatio regi Aceſtæ. *m* Indicit forum rebus agendis, & leges ad quas Senatores, quos evocaverat, Remp. adminiſtrarent. Fori autem triplex eſt uſus. 1 Ibi tribunal juri dicundo. 2 Cibaria habentur venalia. 3 Statis diei horis conveniunt negotiatores, *the court, the marchet, the burſe.* *n* In monte Erycis matri Veneri templum erigit, & juxta patris ſacellum, ſacra, lucum, ſacerdotem. alluſum vero ad Julæum Romæ & Flaminem Julio Cæſ. in Deum relato, ab Auguſto datum. *o* Utraque, Trojana & Sicula. *p* Reſpectum ad Rom. quorum ritibus conſecratæ Tempeſtates. Cic. 3. de Nat. Deorum. vide quæ ad l. 3. *Nigram hyemi pecudem.* *q* Quo littus prætexebant, ad cavendum tumultum ſolventibus. *r* Vide ſupra in voto Cloanthi, quæ ad illa, *Extaque ſalſos Porrician in fluctus, & vina liquentia fundam.* *ſ* Sollicita pro Trojanis.

Allo-

Alloquitur, talesque effundit pectore questus.
Junonis gravis ira, & inexsaturabile pectus
Cogunt me, Neptune, preces descendere in omnes:
Quam nec longa dies, [t] pietas nec mitigat ulla:
Nec Jovis imperio, fatisve, infracta, quiescit.
Non media de gente Phrygum exedisse nefandis
Urbem odiis, satis est: pœnam traxisse per omnem
Relliquias Trojæ: [u] cineres, atque ossa perempta
Insequitur. [x] causas tanti sciat illa furoris.
Ipse mihi nuper Lybicis tu testis in undis
Quam molem subito excierit: maria omnia cœlo
Miscuit, Æoliis nequicquam freta procellis:
In regnis hoc ausa tuis.
Prô scelus? ecce etiam Trojanis matribus [y] actis
Exussit fœde puppes, & [z] classe subegit
Amissa socios ignotæ linquere terræ.
Quod superest, oro, liceat dare tuta per undas
Vela tibi: liceat Laurentem attingere Tibrim:
Si concessa peto, si dant ea mœnia Parcæ.
Tum [a] Saturnius hæc domitor maris edidit alti,
Fas omne est, Cytherea, meis te fidere regnis,
[b] Unde genus ducis. merui quoque: sæpe furores
Compressi, & rabiem tantam cœlique, marisque,
Nec minor in terris ([c] Xanthum, Simoëntaque testor)
Æneæ mihi cura tui: cum Troïa Achilles
Exanimata sequens impingeret agmina muris,
Millia multa daret letho: [c] gemerentque repleti
Amnes, nec reperire viam, atque evolvere posset
In mare se Xanthus. Pelidæ tunc ego forti
Congressum Æneam, [d] nec diis, nec viribus æquis,
Nube cava eripui: [e] cuperem cum vertere ab imo
Structa meis manibus perjuræ mœnia Trojæ.
Nunc quoque mens eadem perstat mihi, pelle timores;
Tutus, quos optas, portus accedet Averni.
[f] Unus erit tantum, amissum quem gurgite quæret;
Unum pro multis dabitur caput.
His ubi læta deæ permulsit pectora dictis,

[t] Ut ut illi ab Heleno *jussos adolemus honores*. lib. 3.
[u] Immane odium & vere inexsaturabile, quod in urbis exesæ cineres & ossa sæviat.
[x] Ego certe causas nescio, inquit Venus. enumerat tamen Iuno. l. 1. & 10.
[y] In furorem.
[z] Coegit nos, navibus quatuor incendio amissis, relinquere partem civium in terra peregrina. quorum auxilio nobis opus fuerat ad debellandas gentes duras in terra nobis fatis debita.
[a] Neptunus Saturni filius.
[b] Nata e spuma maris, unde ἀφροδίτη. vide quæ ad Senecæ Hippolytum, v. 273.
[c] Qui Achillem ita affatus. Πλήθει γὰρ δή μοι νεκύων ἐρατεινὰ ῥέεθρα, Οὐ δέ τι πῆ δύναμαι προχέειν ῥόον εἰς ἅλα δίαν. Iliad. 21.
[d] Ος σευ ἅμα κρείσσων καὶ φίλτερος ἀθανάτοισιν. Neptunus ad Æneam de Achille, cui nube objecta Æneam in singulari certamine jam devictum subduxerat. Il. 20.
[e] Utcunque pœnas sumere cuperem de Troja, cujus rex Laomedon me pacta conditæ urbis mercede destituerat.
[f] Palinurus. quem præcipitem cum clavo a Somno dejectum, ut mox, desideravit Æneas. Alii de Miseno intelligunt, qui sospes in Italiam vectus in litore periit. 6. l.

Jun-

Jungit equos curru genitor, ſpumantiaque addit
Fræna g feris, manibuſque omnes effundit habenas.
Cæruleo per ſumma levis volat æquora curru:
Subſidunt undæ, tumidumque ſub axe h tonanti
Sternitur æquor aquis, fugiunt vaſto æthere nimbi.
Tum variæ comitum facies, immania cete,
Et ſenior i Glauci chorus, k Inouſque Palæmon,
l Tritoneſque citi, Phorcique exercitus omnis.
m Læva tenent Thetis & Melite, Panopæaque virgo,
Neſæe, Spioque, Thaliaque, Cymodoceque.
Hic patris Æneæ n ſuſpenſam blanda viciſſim
Gaudia pertentant mentem: jubet ocyus omnes
Attolli malos, o intendi brachia velis.
Una omnes fecere p pedem: pariterque ſiniſtros,
Nunc dextros ſolvére ſinus: q una ardua torquent
Cornua, detorquentque: ferunt r ſua flamina claſſem.
Princeps ante omnes denſum Palinurus agebat
Agmen: ad hunc alii curſum contendere juſſi.
Jamque fere mediam cœli nox humida metam
Contigerat: placida laxarant membra quiete
Sub remis fuſi per dura ſedilia nautæ.
Cum levis æthereis delapſus Somnus ab aſtris
ſ Aëra dimovit tenebroſum, & diſpulit umbras,
Te, Palinure, petens, tibi triſtia ſomnia portans
Inſonti: puppique Deus conſedit in altâ,
Phorbanti ſimilis, fuditque has ore loquelas:
t Jaſide Palinure, ferunt ipſa æquora claſſem:
Æquatæ ſpirant auræ: datur hora quieti:
Pone caput, feſſoſque oculos u furare labori:
Ipſe ego pauliſper pro te tua munera inibo.
Cui x vix attollens Palinurus lumina fatur:
Mene ſalis placidi vultum, fluctuſque quietos
Ignorare jubes? mene huic confidere y monſtro?
Æneam credam quid enim fallacibus Auſtris,
Et cœli toties deceptus fraude ſereni?
Talia dicta dabat, clavumque affixus & hærens

g Equis marinis, ἱππονάμοις. Scal. exercit. 226. 7.
h Al. *Sonanti*, quod præplacet, ſi conjecturæ ſubſcriberent libri vett.
i E piſcatore Dei marini facti. Ovid. Met. 13. fab. ult.
l Ejus vero chorus, ut & Phorci (de quo ſupra hoc eodem lib.) exercitus, ſunt Nymphæ marinæ. Phorcus erat rex Corſicæ & Sardiniæ.
k Filius Inus, Melicerta dictus & Portunus ſupra. h. lib.
m Monſtra marina a vertice ad umbilicum humana effigie, infra piſces: Neptuni & Amphitritis proles.
n Siniſtram tenent ſequioris ſexus numina marina, & Nymphæ. n Anxiam. verſantem ſc. *Siculiſne reſideret arvis Oblitus ſuorum, Italaſne cap eret oras.* o Antennis intendi vela. p Imum veli angulum protulere dextrum modo, modo ſiniſtrum, altero reducto, ut velorum obliquati ſinus ventum a latere flantem captarent. *brought the tacke abord.* q Extremitates antennarum una cum pede veli torquent detorquentque. *brace the maineyard a ſtarboard or a larboard.* r Venti ferentes, proſperi. ſ Quo Palinurus cœlo ſuetus ſereno in ſomnos ſecederet. t Jaſii fil. aut nepos. u Furtim oculos feſſos ſubtrahe labori & vigiliis. x A ſomni vicinia gravedo oculos invaſerat, atque hinc abruptum reſponſum & ſomnolentum. y Mari infido & ventis fallacibus?

Nuſ-

Nusquam amittebat, oculosque sub ᵍ astra tenebat.
Ecce Deus [a] ramum lethæo rore madentem,
Vique soporatum Stygia super utraque quassat
Tempora, [b] cunctantique [c] natantia lumina [d] solvit.
Vix primos inopina quies laxaverat artus,
Et super incumbens, cum puppis [e] parte revulsa,
Cumque gubernaclo liquidas projecit in undas
Præcipitem, ac socios nequicquam sæpe vocantem.
[f] Ipse volans, tenues se sustulit ales in auras.
Currit iter tutum non secius æquore classis:
ᵍ Promissisque patris Neptuni interrita fertur.
Jamque adeo [h] scopulos Sirenum advecta subibat
Difficiles quondam, multorumque [i] ossibus albos;
Tum rauca assiduo longe sale saxa sonabant:
Cum [k] pater amisso fluitantem errare magistro
Sensit, & ipse ratem nocturnis rexit in undis,
Multa gemens, casuque animum concussus amici.
[l] O nimium cœlo, & pelago confise sereno,
Nudus in ignota, Palinure, jacebis arena.

ᵍ Quorum observatione cursum dirigeret.
[a] Qui utique lethæo rore & Stygia vi soporatus, lethalem somnum & tristem soporem inducat.
[b] Reluctanti.
[c] Inter somnum & vigiliam fluitantia.
[d] Ἀναμελὲς ὕπνου.
[e] Cui affixus erat clavus.
[f] Somnus.
ᵍ Supra.
Tutus, quos optas, portus accedet.
[h] Ἀρπυιογόνων κλώνακάς τ' ἀηδόνων. Lycoph. Saxosas insulas prope Capreas, Σειρηνοῦσας dictas, a Sirenum fabula celebres: nec minus naufragis qui perierint, attracti scopulorum harmonia ex undarum hausu reciproco. an meretrices illæ fuerint, an adulatores, aut voluptates, ut alii. [i] Naufragorum, qui ibi perierint. [k] Æneas. [l] Ex persona Æneæ deflentis Palinuri jacturam.

ÆNEIDOS LIB. VI.

ARGUMENTUM.

CUmas advectus Æneas antrum Sibyllæ petit, peractoque de more sacrificio, Phœbi oraculum consulit. Ibi & instantia pericula & futuri belli eventum discit. Miseni cadaver in litore inventum exurit, reliquiasque sub proximo monte sepelit, qui Miseni nomen ab illo obtinuit: inde columbarum ductu ad aureum ramum pervenit: quo decerpto, mactatisque hostiis deos inferos veneratus, Sibylla duce per Averni fauces ad inferos tendit. Palinurum, quod sepulchri honore careret, circa Stygiam paludem oberrantem invenit, eumque una in ulteriorem ripam trajicere cupientem Sibylla prohibet, cenotaphiisque, & exequiarum spe consolatur. Post hæc Stygem trajectus Æneas, Cerberoque medicatis offis sopito, per loca infantium, eorumque qui falso crimine damnati capite supplicium luerant, iter faciens, pervenit ad sedem eorum qui amoris impatientia manus sibi conscíverant. Ibi Elisam conspicatus cum ei se purgare vellet, illa indignabunda conspectum ejus effugit. inde progressus Deiphobum in sedibus eorum qui bello aliquando claruerant, multis vulneribus lacerum conspicit, necisque ejus indignum modum ab ipso edocetur. Relicto deinde ad lævam Tartaro, sceleratorumque pœnas a Sibylla edoctus, ad Ditis ipsius mœnia contendit, aureumque ramum in

in ipso regiæ limine defigit. Post hæc ad fortunatorum sedes iter instituit, & a Musæo ad patrem suum perducitur. Ibi Anchises Æneæ filio Albanorum Romanorumque regum catalogum recenset, nobiliumque aliquot Romanorum nomina percurrens, ad Julii Cæsaris, & Augusti laudes descendit, Marcellumque Octaviæ filium, immatura morte præreptum, miris in cœlum laudibus effert. Inde per eburneam portam ad superos egressus, socios revisit, relictisque Cumis Cajetam petit.

Sic fatur [a] lacrymans, classique immittit [b] habenas;
Et tandem [c] Euboïcis Cumarum allabitur oris.
[d] Obvertunt pelago proras; tum [e] dente tenaci
Anchora fundabat naves, & litora curvæ
[f] Prætexunt puppes. juvenum manus emicat ardens
Litus in Hesperium: quærit pars [g] semina flammæ
Abstrusa in venis silicis; pars densa ferarum
Tecta rapit, sylvas, inventaque flumina monstrat.
At pius Æneas [h] arces, quibus altus Apollo
Præsidet, [i] horrendæque procul secreta [k] Sibyllæ,
Antrum immane petit: magnam cui [l] mentem animumque
[m] Delius inspirat vates, aperitque futura.
Jam subeunt [n] Triviæ lucos, atque aurea tecta.
Dædalus (ut fama est) fugiens [o] Minoïa regna,
[p] Præpetibus pennis ausus se credere cœlo,
[q] Insuetum per iter gelidas [r] enavit ad [s] Arctos,
[t] Chalcidicaque levis tandem super astitit arce,
Redditus his primum terris, tibi, Phœbe, [u] sacravit
[x] Remigium alarum, posuitque immania templa.

[a] Miseratus sc. casum insontis amici, Palinuri l. præcedentis alt. v.
[b] Funes nauticos qui vela tollant vel intendant. Metaph. ab equis. Sunt qui de novo clavo substituto intelligant.
[c] Bajas appellit, quas in sinu Puteolano condidere Chalcidenses ex Euboea inf. colonia.
[d] Sic enim

proræ pelago obversæ & in anchoris, quas ναυσπίδας Lexiphænes apud Lucianum appellat, stantes, melius sustinent fluctus volventes ad litora. [e] Πεύκης ὀδόντι. Lycoph. *unco non alligat anchora morsu.* 1. Æn. [f] Puppes a pelago aversæ oras littoris prætexunt, *border the shore.* sic 7. Eclog. & 2. Georg. *Mincius virides prætexit arundine ripas.* Metaph. a re vestiaria. [g] Σπέρματα πυρός. Odyss. t. [h] Templum Apollinis in editiore loco positum. vel respicit simulachri Apollinis altitudinem xv pedum. sed infra, *Teucros vocat alta in templa sacerdos.* [i] Ubi vates numine afflata *Horrendas canit ambages.* infra. Al. venerandæ. [k] Vatis, Berosi filiæ, ex Babylone profectæ. Justin. Martyr in oratione Paræneticâ: plura infra. [l] Confunduntur apud autores *Mens & Animus* quandoque, ut hic conjunguntur; non raro dicitur: *Mens animi.* Distinguuntur tamen ab aliis, ut animus sit spiritus, mens ratio. Mens est Arist. l. 1. Moral. c. 34. divinior animi pars. Sed vide Lactant. l. 7. [m] Apollo, a natali insula: vel a vaticinatione, a δᾶλος. [n] Dianæ lucum, in quo templum hoc illi cum Phœbo commune. mox, *Phœbi Triviæque sacerdos.* [o] Cretam, ubi regnavit Minos. v. Ov. 8. Met. & 2. Art. [p] Adeatur Agellius l. 6. c. 6. defendens hoc epitheton. [q] Homini negatum. volatu scil. [r] Diserte. namque navigiis e Creta fugit, adinvento novo veli genere, dolone, quod hic Poeta innuit per præpetes pennas. [s] Cumæ a Creta Septentrionem spectant. [t] Cumis. supra nota c. [u] Ex more veterum; qui instrumenta artis, vel rerum quæ iis usui fuissent, Deo alicui suspendebant. [x] Erudite & volatus fabulam & navigationis historiam jungit. πλερύγων κριμνοῖσιν ἐρεσσομένοις. Æschylus in Agamemnone.

In-

In foribus, lethum *y* Androgeo: tum pendere pœnas
Cecropidæ juſſi (miſerum) ſeptena quotannis
Corpora natorum: ſtat ductis ſortibus urna.
℞ Contra elata mari reſpondet Gnoſſia tellus.
Hic crudelis amor tauri, ſuppoſtaque furto
Paſiphaë: miſtumque genus, proleſque biformis
Minotaurus ineſt, Veneris monumenta nefandæ.
a Hic labor ille domus, & inextricabilis error.
Magnum *b* reginæ ſed enim miſeratus amorem
Dædalus, ecce dolos tecti, ambageſque reſolvit,
c Cæca regens filo veſtigia, tu quoque magnam
Partem opere in tanto, (ſineret dolor) Icare, haberes.
Bis conatus erat caſus effingere in auro:
Bis patriæ cecidere manus. quin protinus omnia
d Perlegerent oculis: ni jam præmiſſus Achates
Afforet, atque una Phœbi, Triviæque ſacerdos,
e Deïphobe Glauci, fatur quæ talia regi:
Non hoc iſta ſibi tempus ſpectacula poſcit:
Nunc *f* grege de intacto ſeptem mactare juvencos
Præſtiterit, totidem lectas de more bidentes.
Talibus affata Æneam, (nec ſacra morantur
Juſſa viri) Teucros vocat alta in templa ſacerdos.
g Exciſum Euboïcæ latus ingens rupis in antrum:
Quo læti ducunt aditus centum, oſtia centum:
Unde ruunt totidem voces, reſponſa *h* Sibyllæ:
Ventum erat ad limen, cum virgo poſcere *i* fata
Tempus, ait, *k* Deus ecce, Deus: Cui talia fanti,
Ante fores ſubito non vultus, non color unus,
Non comptæ manſere comæ: ſed pectus anhelum,
Et rabie fera corda tument: majorque videri,
Nec mortale ſonans: afflata eſt numine quando
Jam propiore dei. Ceſſas in vota, preceſque
Tros (ait) Ænea, ceſſas; neque enim ante dehiſcent
l Attonitæ magna *m* ora domus: & talia fata

y Filii Minois, quem in certaminibus victorem per invidiam interfecerunt Athenienſes. hos itaque bello attritos coegit Minos quotannis (ut alii, nono quovis anno) mittere ſeptem mares & totidem fœminas Minotauro devorandos, atque hos ſorte ductos ℞ In foribus, ab alia parte oppoſite ſculpſerat Dædalus Cretam altius exſtantem e mari, taurum a Paſiphae amatum; Minotaurum, Labyrinthum, Theſeo ab Ariadne datum filum, cujus ductu e Labyrintho rediret cæſo Minotauro

a De Labyrinthorum, Ægyptiaci, Cretici, Lemniaci, Itali, portentoſa mole, artificio, erroribus, &c. Plin. l. 36. c. 13. *b* Ariadnes, filiæ regis Minois, de qua modo dictum, not. ℞. *c* Neque enim ſine glomere fili exitus inveniri potuit. *d* Perlegiſſent Æneas & qui cum illo. *e* Quod proprium huic Sibyllæ nomen. Glauci filia, alii ſecus. *f* Ex armento eximios, injuges, numeri item perfecti. Septenarii perfectionem docebit Macrob. 6. c. 1. de Somnio Scipionis. *g* Templum hoc ex rupe cavata aliud erat ab illo juxta Avernum quod hodie *la grotta della Sibylla* dicitur. *h* Cumanæ, ut ſupra, ab Euboicis colonis habitatæ. *i* Reſponſa, oracula de fatis. *k* Phœbas numine afflata, ſive illud ſit dæmon ἐνγαστρίμυθος, ſive ſpiritus e ſpecu exhalans, ut l. 16. Diod. Siculi, tota tremuit fremuitque in rabiem & vecordiam acta, vide quæ nos ad ℣. l. Lucan. v. 80. & deinceps. *l* Ἐμβροντήτος, attonantis. *m* Oſtia, per quæ, ut primum patuerint, feruntur, *vatis reſponſa per auras*. infra.

Con-

Conticuit, gelidus Teucris per dura cucurrit
Ossa tremor : fuditque preces rex pectore ab imo :
Phœbe graves Trojæ semper miserate labores,
Dardana qui Paridis direxti tela, manusque
n Corpus in Æacidæ : o magnas obeuntia terras
Tot maria intravi duce te : penitusque repostas
Massylum gentes, p prætentaque Syrtibus arva.
Jam tandem Italiæ fugientis prendimus oras :
Hac Trojana tenus fuerit fortuna sequuta.
Vos, quoque, Pergameæ jam fas est parcere genti,
q Diique, deæque omnes, quibus obstitit Ilium, & ingens
Gloria Dardaniæ. tuque, ô sanctissima vates,
Præscia venturi, r da (non indebita posco
Regna meis fatis) Latio considere Teucros,
Erranteſque deos, agitataque numina Trojæ.
ſ Tum Phœbo & Triviæ solido de marmore templa
Instituam, festosque dies de nomine Phœbi.
Te quoque magna manent regnis penetralia nostris.
Hic ego namque tuas t sortes, arcanaque fata
Dicta meæ genti ponam : lectosque sacrabo
Alma viros. u foliis tantum ne carmina manda,
Ne turbata volent, rapidis ludibria ventis :
Ipsa canas, oro, finem dedit ore loquendi.
x At Phœbi nondum patiens immanis in antro
Bacchatur vates, magnum si pectore possit
Excussisse deum : tanto magis ille fatigat
Os rabidum, fera corda domans, fingitque premendo.
Ostia jamque domus patuere ingentia centum
Sponte sua, vatisque ferunt responsa per auras.
O tandem magnis pelagi defuncte periclis,
Sed terra graviora manent : in regna y Lavini
Dardanidæ venient (mitte hanc de pectore curam)
Sed non & venisse volent. bella, horrida bella,
Et Tibrim multo spumantem sanguine cerno.

n In eam partem corporis quæ erat vulnerabilis, calcaneum scil. quem tenuit mater, eum in Stygia palude tingens. In templo autem Apollinis, quo invitatus ab Hecuba fuerat Achilles ad nuptias Polixenæ, interfectus est sagitta a Paride post simulachrum latente.

o Africam, cujus in mediterranea parte sunt Massyli.

p Carthaginem innuit, cujus mari, ab Oriente, prætenditur Syrtis minor, exinde major. de his sæpe antea.

q Pro Troja stabant, *Xanthus*, *Apollo*, *Venus*, *Mavors*, *Latona*, *Diana*, contra Trojanos, *Hermes*, *Neptunus*, *Vulcanus*, *Juno*, *Minerva*. Allusum simul ad Vejovem, Deosque noxios; de quibus Agellius l. 5. cap. 12. necnon Fascinum excellentis gloriæ. r Concede. ſ Hæc in gratiam Augusti, qui ex Æneæ familia, & Phœbi, ut creditum est, filius, Apollini in Palatio templum dedicavit, ludosque Apollinares restituit. t Allusum ad sortes κλήρους, χρησμούς, oracula, libros Sibyllinos, de quibus Agell. l. 1. c. 19. & vide quæ Dalecampius ad 13. c. 13. l. Plinii, A Tarquinio emptos, a XV viris consulendos, sicubi opus esset, quos Augustus condidit duobus forulis auratis sub Palatini Apollinis basi. Suet. Aug. c. 31. u Locum hunc interpretatur Heleni admonitio, repetatur l. 3. x Reluctata Pythia ægre admittit ἐνθουσιασμόν. utpote cujus impetu concussa labascit anima. laborat itaque Deum qui insidet excutere; tanto magis ille fatigat, domat, fingit, premit. y Al. *Latini*.

Non

Non [a] Simois tibi, nec Xanthus, nec [a] Dorica castra
Defuerint: alius Latio jam partus [b] Achilles,
Natus & ipse Dea: nec Teucris [c] addita Juno
Usquam aberit: cum tu supplex in rebus egenis,
Quas gentes Italûm, aut quas non oraveris urbes?
Causa mali tanti [d] conjux iterum hospita Teucris,
Externique iterum thalami.
Tu ne cede malis: sed contra audentior ito,
Quam tua te fortuna sinet. via prima salutis,
Quod minime reris, [f] Graja pandetur ab [f] urbe.
Talibus ex adyto dictis Cumæa Sibylla
Horrendas canit [g] ambages, antroque remugit,
[g] Obscuris vera involvens: [h] ea fræna furenti
Concutit & stimulos sub pectore vertit Apollo.
Ut primum cessit furor, & rabida ora quierunt,
Incipit Æneas heros. non ulla laborum,
O virgo, nova mî facies, inopinave surgit:
[i] Omnia præcepi, atque animo mecum ante peregi.
Unum oro, (quando hic [k] inferni janua regis
Dicitur, & tenebrosa palus Acheronte refuso)
Ire ad conspectum chari genitoris, & ora
Contingat: doceas iter, & [l] sacra ostia pandas.
Illum ego per flammas, & mille sequentia tela
Eripui his humeris, medioque ex hoste recepi:
Ille meum comitatus iter, maria omnia mecum,
Atque omnes pelagique minas, cælique ferebat
Invalidus, vires ultra, sortemque senectæ.
Quin, [m] ut te supplex peterem, & tua limina adirem,
Idem orans mandata dabat, natique, patrisque
Alma precor miserere; potes namque omnia: nec te
Nequicquam lucis Hecate præfecit Avernis.
Si potuit manes arcessere conjugis [n] Orpheus,
Threicia fretus cithara, fidibusque canoris:
Si [o] fratrem Pollux alterna morte redemit,

[a] Pro Simoente & Xantho fluentibus sanguine, obstructis cæsorum cadaveribus erunt tibi de novo Tibris & Numicius.
[a] Alii respici ad Turnum volunt origine Grajum, ut interpretatur Amata responsum l. 7. Alii ad Halesium Agamemnonis ex Briseide filium.
[b] Turnus, *cui diva Venilia mater.* l. 10.
[c] Quæ semel quasi dedit nomen ad insequendum Trojanos, nunquam desistet. Aliis *addita* est infesta, affixa.
[d] Lavinia, qua sibi desponsata destitutus Turnus aspera movebit bella, cum respectu ad Helenam a Paride raptam. [f] Pallanteo, Evandri, Arcadis urbe, ut lib. 8. [g] Cujusmodi ἀμφιβολίας, & perplexa oracula Pythiæ suæ suggerit Apollo λοξίας. [h] Et stimulos adhibet furoris ad vaticinium, & frænis temperat ora ad silentium *Accipit & frænos; nec tantum prodere vati, Quantum scire licet.* Luc. can. 5. l. [i] Jamdudum ad omnes casus præparatus. Alii leg. *percepi.* Ex Heleverunum lacum, in quem reflagnare credebatur Acheron propter sulphureas emephytes, cavernas, & calidas aquas. unde & Νεκρομαντεῖα locus idoneus visus est Homero, & descensus ad inferos. [l] Diti sacra vel execranda. [m] Lib. 5. de 4. lib. Georg. & Ovid. 10. Met. *Ditis tamen ante infernas accede domos, &c. hinc casta Sibylla.* [n] De Orpheo abundaro, communicata cum illo immortalitate ut alternis viverent, adi Mythologos hoc de Geminorum fidere exponentes. [o] Castora gemellum e Leda matre & Tyndaro, communicata cum illo immortalitate ut alternis viverent, adi Mythologos hoc de Geminorum fidere exponentes.

Itque

Itque reditque viam toties: quid *p* Theſea? magnum
Quid memorem *q* Alciden? & mî *r* genus ab Jove ſummo.
Talibus orabat dictis, *ſ* araſque tenebat:
Tunc ſic orſa loqui vates: Sate ſanguine divûm
Tros Anchiſiade, *t facilis deſcenſus Averni:*
Noctes atque dies patet atri janua Ditis:
Sed revocare gradum, ſuperaſque evadere ad auras,
Hoc opus, hic labor eſt. pauci, quos æquus amavit
Iupiter, aut ardens evexit ad æthera virtus,
Diis geniti, potuere. tenent media omnia ſylvæ;
u Cocytuſque ſinu labens *x* circumfluit atro.
Quod ſi tantus amor menti, ſi tanta cupido eſt,
y Bis Stygios innare lacus, bis nigra videre
Tartara, & *z* inſano juvat indulgere labori:
Accipe quæ peragenda prius. latet arbore opaca
Aureus & foliis, & lento vimine ramus,
a Iunoni infernæ dictus ſacer: hunc *b* tegit omnis
Lucus, & obſcuris claudunt convallibus umbræ.
Sed non ante datur telluris operta ſubire,
Auricomos quam quis decerpſerit arbore fœtus.
Hoc ſibi pulchra ſuum ferri Proſerpina munus
Inſtituit: primo avulſo non deficit alter
Aureus, & ſimili frondeſcit virga metallo.
Ergo *c* alte veſtigia oculis, & rite repertum
Carpe manu; namque ipſe volens, faciliſque ſequetur,
Si te fata vocant: *d* aliter non viribus ullis
Vincere, nec duro poteris convellere ferro.
Præterea, jacet exanimum tibi corpus *e* amici,
(Heu neſcis) totamque inceſtat funere claſſem,
Dum conſulta petis, noſtroque in limine *f* pendes:
g Sedibus hunc refer ante ſuis, & conde ſepulchro.
Duc *h* nigras pecudes: ea prima piacula ſunto.
Sic demum lucos Stygios, regna invia vivis

p Qui ad Inferos deſcendit cum Pirithoo, rapturi Proſerpinam.
q Herculem, qui deſcendit Cerberum ab inferis tracturus.
r Genus idem, cauſſa mihi melior.
ſ Pro more precantum, jurantium, vota concipientium.
t Si Ethice hanc fab. interpretari velimus: immane vitiorum præcipitium, e quorum barathro non facile emergitur, intelligemus. Si myſtice & Platonice; pleriſque gravari divinam animi particulam terrena ὕλης corporeæ mole, opprimi a ſenſu rationem; ita ut ad virtutem, rerum cognitionem, & veritatis indagationem adſpirent pauci, quibus, vel benignitate Deorum, vel eximia virtute, vel divino ingenio datum eſt aureum ſtudii ramum carpere, & prudentia duce ad ſumma contendere. mox, *ramum hunc Lucus & obſcuræ claudunt convallibus umbræ.* *u* Quid Cocytus, Styx, Acheron Inferi ſint ſecundum veteres Theologos, docet Macrob. 1. I. de Somnio Scipionis. c. 10. *x* Al. *circumvenit.* *y* In vita ſemel, ſecundo in morte, gloriam in vivis conſequi, æternam, poſt mortem. *z* Vehementi. *a* Proſerpinæ. *b* Alluſum ad Bonæ Deæ, quæ eadem Tellus eſt, ſacra; quæ non niſi in operto fiebant. *c* Deum cœlumque ſuſpice. *d* Abſque ſit gratia & auxilium divinum, incaſſum intercidunt humani conatus. *e* Miſeni, ut infra, a Tritone intercepti, quem tamen nonnulli ab Ænea interfectum autumant; ut in hac necromantia ſuppeteret cadaver & animam. *f* Moraris. vel ſollicitus hæres. *g* Terræ & inhumationi. *h* Furvis hoſtiis placandi Dii Inferi, ad quos tibi luſtrato ſternenda via. *hæc caſta Sibylla Nigrarum multo pecudum te ſanguine ducet*, l. 5.

Aſpi-

Aſpicies. Dixit, preſſoque obmutuit ore.
Æneas mœſto defixus lumina vultu.
Ingreditur linquens antrum, *i* cæcoſque volutat
Eventus animo ſecum · cui fidus *k* Achates
It comes, & paribus curis veſtigia figit.
Multa inter ſeſe vario ſermone ſerebant,
Quem ſocium exanimum vates, quod corpus humandum
Diceret. atque illi Miſenum in littore ſicco,
Ut venêre, vident *l* indigna morte peremptum:
Miſenum Æoliden, quo non præſtantior alter,
Ære ciere viros, Martemque accendere *m* cantu.
Hectoris hic magni fuerat comes, Hectore circum
Et lituo pugnas inſignis obibat, & haſta.
Poſtquam illum victor vita ſpoliavit Achilles,
Dardanio Æneæ ſeſe fortiſſimus *n* heros
Addiderat ſocium, *o non inferiora ſequutus.*
Sed tum, forte cava dum perſonat æquora *p* concha
Demens, & cantu vocat in certamina Divos,
Æmulus *q* exceptum *r* Triton (ſi credere dignum eſt)
Inter ſaxa virum ſpumoſa immerſerat unda.
Ergo omnes magno circum clamore fremebant;
Præcipue pius Æneas. Tum juſſa Sibyllæ,
Haud mora, feſtinant flentes, *ſ* aramque ſepulchri
Congerere arboribus, cœloque educere certant.
Itur in antiquam ſylvam, ſtabula alta ferarum:
Procumbunt *t* piceæ, ſonat icta ſecuribus ilex:
Fraxineæque trabes, cuneis & fiſſile robur
Scinditur: advolvunt ingentes montibus ornos.
Nec non Æneas, opera inter talia *u* primus
Hortatur ſocios, paribuſque accingitur *x* armis.
Atque hæc ipſe ſuo triſti cum corde volutat,
Aſpectans ſylvam immenſam, & ſic ore precatur:
Si nunc ſe nobis ille aureus arbore ramus
Oſtendat nemore in tanto: quando omnia vere
Heu nimium de te vates, Miſene, loquuta eſt.

i Incertos, ignotos. *k* Ἀπὸ τοῦ ἄχος. a ſollicitudine, quæ ſummatum & principum comes, Jul. Scaliger Æneæ genium eſſe vult. eſt enim ἄχος ἄτης. Non quod vir tantus mœreat: ſed quod inter tot ærumnas ad ſummam virtutem perpetuandam continuetur lib. 3. Poetices cap. 25. *l* Non reſpondente meritis, arti & virtuti ejus. aut quia exceptus inſidiis ab eo, quem æmulabatur, aut quia anima in aquis extingebatur, quod genus mortis abominabantur veteres, *m* Lituo. *n* Æolides. *o* Virum nequaquam Hectori ſecundum neque virtute, neque laude; ſatis etiam ſuperiorem. *p* Tuba credo & buccina quæ Tritoni concha. *Cæruleum Tritona vocat, conchæque ſonanti Inſpirare jubet.* deinde *cava buccina ſumitur illi.* *q* Inſidiis interceptum. *r* Oceani & Tethyos filius, Neptuni tubicen. Tritones qui ſint, dictum lib. præcedente ſub fin. *ſ* Pyram in altum exſtructam, in aræ formam. *t* Piceæ tedæque reſina pingues, fraxini, ornique funeribus adhibitæ quo clarius & luculentius arderent rogi. *v* Exemplo ſuo prælucens aliis. *x* Securi, cuneis.

Vix ea fatus erat, geminæ cum *y* forte *z* columbæ
Ipsa sub ora viri cœlo venere volantes,
Et viridi sedere solo: tum maximus heros
Maternas agnoscit aves, lætusque precatur:
Este duces, ô, siqua via est, cursumque per auras
Dirigite in lucos, ubi pinguem dives opacat
Ramus humum: tuque ô dubiis ne desice rebus
Alma parens. Sic effatus *a* vestigia pressit,
Observans quæ signa ferant, quo tendere pergant.
b Pascentes illæ tantum prodire volando,
Quantum acie possent oculi servare sequentum,
Inde ubi venere ad fauces graveolentis Averni,
Tollunt se celeres, liquidumque per aëra lapsæ
Sedibus *c* aptatis geminæ super arbore sidunt:
d Discolor unde auri per ramos *e* aura refulsit:
Quale solet sylvis brumali frigore *f* viscum
Fronde virere nova, quod non sua *g* seminat arbos,
Et croceo fœtu teretes circumdare truncos:
Talis erat species auri frondentis opaca
Ilice: sic leni *h* crepitabat bractea vento.
Corripit extemplo Æneas, avidusque refringit
i Cunctantem, & vatis portat sub tecta Sibyllæ.
Nec minus interea Misenum in litore Teucri
Flebant, & cineri *k* ingrato suprema ferebant.
Principio pinguem ædis, & robore secto
Ingentem struxere *l* pyram: cui frondibus *m* atris
Intexunt latera, & ferales *n* ante cupressos
Constituunt: *o* decorantque super fulgentibus armis.
Pars *p* calidos larices & ahena undantia flammis
Expediunt, *q* corpusque lavant frigentis & ungunt.

y Oblativum ergo augurium. *z* Quæ & Veneris aves & felix regibus augurium: pergeminas columbas mystice duas animæ alas designari volunt. Contemplativam Moralemque virtutem, quæ ad aureum Sapientiæ ramum a divinarum rerum amore mittuntur. *a* Substitit. Captantes autem auguria & observantes stare immobiles aut sedere solebant. *b* Allusum ad pullarie augurium, quod felix habitum, si pulli pascerent.

c Ex voto Æneæ. *d* Alio a viridi arbore colore. *e* Splendor ἀυρὸς vetus vox Græca auram significat. Scal. Poet. l. 4. c. 16. *f* *Misseldine, misselto.* quod brumali tempore matureseit virore in flavum vergente. croceo ergo fœtu. *g* Nascitur enim ex vitali excremento arborum. non ex fimo vel ucrum, ut vulgo receptum. Jul. Scal. in 2. l. Theophrasti de Caus. c. 2. *h* Annon videris audire bracteari rami a ventis agitati crepitantem sonum ex literarum a pera conflictatione? *i* Visam remorari desiderium avidi Æneæ. *k* Minus grato amicis trist- hoc ministerium exequentibus. *l* Apparatus mortuorum, funus dicitur; extructio lignorum, rogus; subjectio ignis, pyra; crematio cadaveris, bustum; locus, ustrina! operis constructio, sepulchrum; inscriptum nomen & memoria, monumentum. citat hoc Servii Scal. in Festum. *m* Funereis, feralibus. viroris in atrum vergentis. *n* Ab anteriore usquequaque parte. *o* Cum viris magnis una cremabantur arma, vestes, equi, canes, & quæ in vita erant charissima. Apud Indos & uxor amantissima. Cic. 5. Tusc. quæst. & 11. l. Æneid. *galeas, ensesque decoros*, &c. *p* Calida ablui & per intervalla inclamari solebant pro mortuis compositi, ne forte lateret vitalis spiritus obstructus, adeoque vivi cremarentur. *q* Ex Ennii versu. *Tarquinii corpus bona fœmina lavit & unxit.*

Fit gemitus: tum membra *r* toro defleta reponunt,
s Purpureasque super vestes, velamina nota
Conjiciunt; pars ingenti subiere pheretro,
Triste ministerium: & subjectam more parentum
u Adversi tenuere facem: congesta cremantur
x Thurea dona, dapes, fuso crateres olivo.
Postquam collapsi cineres, & flamma quievit:
y Reliquias vino & bibulam lavere favillam:
Ossaque lecta *z* cado texit Chorineus *z* aheno.
Idem ter socios *a* pura circumtulit unda,
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ:
Lustravitque viros dixitque *b* novissima verba.
At pius Æneas ingenti mole sepulchrum
Imponit, suaque arma viro, *c* remumque, *c* tubamque
d Monte sub aërio, qui nunc Misenus ab illo
Dicitur, æternumque tenet per secula nomen.
His actis, propere exsequitur præcepta Sibyllæ.
Spelunca alta fuit, vastoque immanis hiatu,
Scrupea, *e* tuta lacu nigro, nemorumque tenebris,
Quam super haud ullæ poterant impune volantes
Tendere iter pennis: talis sese halitus atris
Faucibus effundens, supera ad *f* convexa ferebat:
Unde locum Graji dixerunt nomine *g* Avernum.
h Quatuor hic primum nigrantes terga juvencos
Constituit, frontique *i* invergit vina sacerdos:
Et summas *k* carpens media inter cornua setas,
Ignibus imponit sacris libamina prima,
l Voce vocans *m* Hecaten, cœloque, Ereboque potentem.
Supponunt alii cultros, tepidumque cruorem
Suscipiunt pateris, *n* ipse *o* atri velleris agnum

r Funebri, qui una cum cadavere cremabatur. *s* Viris illustribus vestes quibus vivi utebantur, injectæ, purpureæ, prætextæ, paludamenta, vide Pallantis funus lib. 11. Æneid. quæ nos ibi, & lib. 9. Lucani. *u* Testati dolorem & se invitos id facere. *x* Dona ab amicis ingesta norum est, thus, adipem hostiarum, oleum, &c. *y* De more ossa legendi, lavandi, componendi, vide quæ nos ad Sen. Troad. 797. vers. *z* Urna ærea, quandoque aurea

condebantur cineres. *a* Lustravit pollutos funere aqua sacrata ab aspergillo felicis olivæ. namque oleaster infelix. *b* Ilicet. & vale, vale, vale. Æneid 11. lib. *c* Insignia remigis & tubicinis. *d* Qui etiam ad hunc diem retinet nomen, & vulgo dicitur *Monte Miseno*, & *Capo Miseno*. *e* Cincta lacu & sylva. *f* Ad cœli curvitatem. *g* Ἀόρνον. avium expertem. *h* Signate omnia, & Diis Manibus convenienter. Numerus par, hostiæ furvæ, sacra in scrobe & terra effossa Diis Inferis: ut Superis numerus impar, victimæ candidæ, aræ extructæ. *i* Inversa patera. contra in sacris supernis supina manu libatum. 4. lib. *media inter cornua fundit*. hoc autem ad probationem victimarum, si non stupuissent, gratarum. *k* Mola sparsæ & devotæ hostiæ vulsos e fronte pilos conjiciebant in ignem ἀπαρχὰς scil. primitias & libamina. *l* Dissona & aliena a voce humana, vide quæ nos ad Lucan. 6. l. 687. vers. *m* De Hecates, quæ Luna, nomine & potentia, adi quæ nos ad Senecæ Hippolytum vers. 410. *n* Quo ipse victimarius, & ensis adeo victimarum sanguine consecratus tuti validique fiunt adversus umbras. *o* Concolorem agnam.

Æneas *p* matri Eumenidum, *q* magnæque sorori
Ense ferit, * sterilemque tibi, Proserpina, vaccam.
Tum *r* Stygio regi nocturnas inchoat aras:
Et *s* solida imponit taurorum viscera flammis,
Pingue superque oleum fundens ardentibus extis.
Ecce autem primi sub limina solis, & ortus,
Sub pedibus mugire solum, & juga cœpta moveri
Sylvarum: visæque *t* canes ululare per umbram,
Adventante dea. *u* Procul ô, procul este profani,
Conclamant vates, totoque absistite luco:
Tuque invade viam, vaginaque eripe *x* ferrum:
Nunc animis opus, Ænea, nunc pectore firmo.
y Tantum effata, furens antro se immisit aperto.
Ille ducem haud timidis vadentem passibus æquat.
z Dii, quibus imperium est animarum, umbræque silentes,
Et Chaos, & Phlegeton; loca nocte silentia late,
Sit mihi fas *a* audita loqui: sit numine vestro,
Pandere res alta terra, & caligine mersas.
b Ibant obscuri sola sub nocte per umbras,
Perque domos Ditis *c* vacuas & inania regna,
Quale per incertam lunam sub luce *d* maligna
Est iter in sylvis, ubi cœlum condidit umbra
Jupiter, & rebus nox abstulit atra colorem.
e Vestibulum ante ipsum primisque in faucibus Orci,
Luctus, & *f* ultrices posuere cubilia Curæ:
Pallentesque habitant morbi, *g* tristisque Senectus:
Et Metus, & *h* malesuada Fames; & turpis Egestas,
(*i* Terribiles visu formæ) Lethumque, Laborque.

p Nocti, quæ furias parit fovetque.
q Terræ, quæ Noctis soror fingitur, quia ex umbræ ejus nox vicissim nata est.
* Στεῖραν βοῦν. Odyss. κ. Junoni infernæ propriam; infœcundam infœcundæ; steriem illi quæ nunquam enixa est; taurum Proserpinæ, ut Plutoni taurum.
r Plutoni.
s Holocaustum.
t Stygiæ canes, Furiæ. Sed & Dianæ Triviæ suæ sunt canes, quin & Hecate Lycophroni est κυνοζφαγὸς θεὰ. ubi interpres iccirco immolari Hecate scribit, quod ipsorum latratus incantationes & monstrosas visiones solvit. *Et Hylax in limine latrat.* Ecl. 8.
u Quod in sacris fieri solet, *profanos arcet*, heroa suum *hoc agere* monet.
x Dæmones an sentiant dolorem, lædantur, ensem horreant, disserit Cœl. Rhod. l. 2. c. 8. hæc noster ex opinione Platonicorum, infra sanior; *frustra ferro diverberet umbras.* Gentil. 16. c. lect. Virg.
y Et cum dicto projicit se in Averni fauces, comite Ænea.
z Pie, nec nisi veniam præfatus, accedit ad inferorum arcana retegenda. Plutonem & Proserpinam precatus, mox umbras, inde vastam voraginem & indigestam primæ materiæ molem, hinc loca ipsa & lacus.
a Uti per eburneam portam emissus redit ad Superos, sub calce hujus libri: ita per eandem se demissum profitetur, referre se hæc ex auditu tantum.
b Hypallage. Ibant soli sub nocte obscura.
c Corporibus vacuas: ubi umbræ tantum & simulachra.
d Caligante. sublustri tamen.
e Locum ante januam vacuum, describit Agellius l. 16. c. 5. per quem a via aditus accessusque est ad ædes. Hoc ut Romani signis, statuis & tabulis ornabant; ita ante vestibulum inferorum varios monstrorum formas depingit. quarum adverte nativa epitheta.
f Quæ animum excarnificant & male conscius stimulis fodiunt.
g Morosa, querula, difficilis.
h Injurias, furta, rapinas, malas artes suggerens.
i Non re terribiles, sed visu, inquit Seneca 104. Epist. quem adi.

Tum *k* consanguineus Lethi Sopor, & *l* mala mentis
Gaudia, *m* mortiferumque *m* adverso limine Bellum:
n Ferreique Eumenidum *n* thalami, & *o* Discordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.
In *p* medio ramos, annosaque brachia pandit
q Ulmus opaca, ingens: quam sedem somnia vulgo
Vana tenere ferunt, foliisque sub omnibus hærent.
Multaque præterea variarum monstra ferarum,
r Centauri in foribus *s* stabulant: Scyllæque biformes,
Et *u* centum geminus Briareus, ac *x* bellua Lernæ
Horrendum stridens, *y* flammisque armata Chimæra,
z Gorgones, *a* Harpyiæque, & forma *b* tricorporis umbræ.
Corripit hîc subita trepidus formidine *c* ferrum
Æneas, strictamque aciem venientibus offert:
Et, nî docta comes *d* tenues sine corpore vitas
Admoneat volitare, cava sub imagine formæ,
Irruat, & frustra ferro diverberet umbras.
Hinc via Tartarei quæ fert * Acherontis ad undas
Turbidus *e* hic cœno, vastaque voragine gurges
Æstuat, atque omnem * Cocyto eructat arenam.
Portitor has horrendus aquas, & flumina servat
Terribili squalore Charon: cui plurima mento
Canities inculta jacet: *f* stant lumina flammâ:
g Sordidus ex humeris nodo dependet amictus.
Ipse ratem conto subigit, velisque ministrat,
Et ferruginea subvectat corpora cymba,
Jam senior: sed *h* cruda deo, viridisque senectus,
Huc omnis turba ad ripas effusa ruebat,
i Matres, atque viri, defunctaque corpora vitâ
Magnanimûm heroûm, pueri, innuptæque puellæ,
Impositique rogis juvenes ante ora parentum.

k Καπίγνητος θανάτοιο. Hesiod. Orpheus, alii. *l* Lege Senecam explicantem hunc locum Epist. 59. malis suis lætos, ait. *m* Contra enim stat, atque e regione pugnat. *n* Cubilia dura. Virgines enim furiæ non norunt thalamos. *o* Et *scissa gaudens vadit Discordia palla.* 8. Æn. *p* Vestibulo: Namque illa ante vestibulum. *q* Dabis mihi veniam, lector, per institutæ brevitatis angustias excluso, si strictis tantum sterilis hujus ulmi foliis, vanisque poeticorum monstrorum somniis excussis, te ad ipsos Poetas, mythologos, eosque qui allegoriis philosophantur, relegem. *r* Vide quæ nos ad Senecæ Herc. furent. v. 777. Et quæ disserit Hier. Magius de Centauris monstrorumque ortu l. 1. Misc. c. 19. *s* Apte, quia inferna parte equi. *t* Nisi filia. Ovid. Metam. 8. & Phorci f. l. 14 & nos ad 6. Ecl. & 3. Æn. & Senec. Medeam. v. 330. *u* Lib. 10. Æn. *x* Hydra multiceps, excerra, infra. *y* Ἰνίθυζαν πῦρ. Hesiod. Et Hom. Iliad. 9. Lucret. l. 6. *Prima leo, postrema draco media ipsa Chimæra.* *z* Medusa, Sthenyo, Euryale, filiæ phorci. *a* De his dictum 3. l. Æn. *b* Geryonis & Edili. *c* Gladium, quem vagina eripere jusserat supra Sibylla. *d* Umbras, εἴδωλα, vide quæ ad 4. l. *Et magna mei sub terras ibit imago.* * De fluviis infernis quid opinati veteres, lege Macrob. c. 10. l. 1. de somnio Scipionis, qui Acheron Lethe, Phlegethon, Cocytus & Styx. *e* In Cocytum. *f* Rigent, ardent, scintillant. *g* *Venias ornatus ornatu nauticorum, Pallidum habeas ferrugineum. Ideirit commixtum in humero læva,* &c. Plaut. Mil. *h* Prima senecta est ὠμογερόντων crudorum, secunda γεροντίον senum; tertia πιμπάλων capularium. *i* Sexus, ætatis, conditionis omnis simulacra & umbræ. Habentur hi 3. v. l. 4. Georg. sub fine.

k Quam multa in sylvis autumni frigore primo
Lapsa cadunt folia: aut ad terram gurgite ab alto
l Quam multæ glomerantur aves, ubi m frigidus annus
Trans pontum fugat, & terris immittit apricis.
n Stabant orantes, primi transmittere cursum,
Tendebantque manus ripæ ulterioris amore:
Navita sed o tristis nunc hos, nunc accipit illos:
Ast alios longe summotos arcet arena.
Æneas (miratus enim, motusque tumultu)
Dic, ait, ô virgo, quid vult concursus ad amnem?
Quidve petunt animæ? vel quo discrimine ripas
Hæ linquunt? illæ remis p vada livida verrunt?
Olli sic breviter fata est q longæva sacerdos:
Anchisa generate, Deûm r certissima proles,
Cocyti stagna alta vides, Stygiamque paludem:
s Dii cujus jurare timent, & fallere numen.
Hæc omnis quam cernis, t inops, inhumataque turba est:
Portitor ille Charon: hi, quos vehit unda, sepulti.
Nec ripas datur horrendas, nec rauca fluenta
Transportare prius, quam sedibus ossa quierunt:
u Centum errant annos, volitantque hæc litora circum:
Tum demum admissi stagna exoptata revisunt.
Constitit Anchisa satus, & vestigia pressit,
Multa putans, sortemque animo miseratus x iniquam.
Cernit ibi mœstos, & mortis honore carentes,
y Leucaspim, & Lyciæ ductorem z classis y Orontem:
Quos simul à Troja ventosa per æquora vectos
Obruit Auster, aquâ involvens navemque virosque.
Ecce gubernator sese Palinurus a agebat:
Qui Libyco nuper cursu, dum sidera servat,
b Exciderat puppi, mediis effusus in undis.
Hunc ubi vix multa mœstum cognovit in c umbra,
Sic prior alloquitur: quis te, Palinure, deorum
Eripuit nobis, medioque sub æquore mersit:
Dic age. Namque mihi fallax haud ante repertus,
Hoc uno responso animum delusit Apollo:

k Ἡ ὅσα φύλλα χάμαζε περικλάδεος πέσεν ὕλης φυλλοχόῳ ἐνὶ μηνί. Apollonius 4. l. Sub exitu Autumni ubi primum invalescit frigus.
l Ὄρνιθες ὥς Αἴτ' ἐπεὶ οὖν χειμῶνα φύγον. Iliad. 3.
m Hyems.
n Spondæorum tractus supplicibus convenit.
o Asper, *grim, churlish.*
p Styga & Cocytum transmittunt.
o Πολυχρονιωτάτη παρθένος. quæ sæcula septem vixerat. Ovid. 14. Metam.
r Cui vivo inferos adire datur.
s Hesiodi Theogonia, & ibi Tzetzes. uti ad Lycophronem. ibi: Στυγὸς κελαινῆς νασμὸν, ἔνθα Τερμιεὺς, Ὁρκωμοτοὺς, &c. quæ nos ad Sen. Herc. Furent. v. 711
t Neque legitimam, neque imaginariam nacta sepulturam.
u Locum hunc explicat Cælius Rhodig. l. 23. c. 14. ex Philosophia Platonica, denarium statuente numerum in se multiplicatum, labis ex peccato inustæ concretæque expiationi requisitum.
x Ubi hæ admittuntur, illæ arcentur, *vel*, ubi mortui plectuntur ob peccatum vivorum qui funera exsequi neglexerunt.
y De his 1. lib. Æneid.
z Navis.
a Errabundus obibat. ibat. Terent. And. *Quo hinc te agis?*
b Ut 5. lib. sub exitu.
c Inferorum caligine.

Qui fore te ponto incolumem, fineſque canebat
Venturum Auſonios: en hæc promiſſa fides eſt [d]?
Ille autem: Neque te Phœbi [e] cortina fefellit,
Dux Anchiſiade: [f] nec me deus æquore merſit,
Namque gubernaculum multa vi forte revulſum,
Cui datus hærebam cuſtos, curſuſque regebam,
[g] Præcipitans traxi mecum. maria aſpera juro,
Non ullum pro me tantum cepiſſe timorem,
Quam tua ne ſpoliata [h] armis, [i] excuſſa magiſtro,
Deficeret tantis navis ſurgentibus undis.
Tres Notus [k] hybernas immenſa per æquora noctes
Vexit me violentus aqua: vix lumine quarto
Proſpexi Italiam, ſumma ſublimis ab unda.
Paulatim adnabam terræ, & jam tuta tenebam.
Ni [l] gens crudelis madida cum veſte gravatum,
Prenſantemque uncis manibus [m] capita aſpera montis,
Ferro invaſiſſet, [n] prædamque ignara putaſſet.
Nunc me fluctus habet, verſantque in litore venti.
Quod te per cœli jucundum lumen & auras,
Per genitorem oro, per ſpem ſurgentis Iüli,
Eripe me his, invicte, malis: aut tu mihi [o] terram
Injice, namque potes, [p] portuſque require Velinos:
Aut tu, ſiqua via eſt, ſiquam tibi diva creatrix
Oſtendit, (neque enim credo ſine numine divûm
Flumina tanta paras, Stygiamque innare paludem)
Da dextram miſero, & tecum me tolle per undas:
Sedibus ut ſaltem placidis in morte quieſcam.
Talia fatus erat: cœpit cum talia vates:
Unde hæc, ô Palinure, tibi tam dira cupido?
Tu Stygias inhumatus aquas, amnemque [q] ſeverum
Eumenidum aſpicies? [r] ripamve injuſſus abibis?
Deſine fata deûm flecti ſperare precando.
Sed cape dicta memor duri ſolatia caſus,
Nam tua finitimi longe, lateque per urbes

[d] Indignationi convenit oratio in monoſyllabam deſinens, inquit Scalig. lib. 4. Poet. cap. 48.
[e] De cortina & tripode lib. 3. per initia, & alibi.
[f] Servius & Fabricius diſtinguunt *neque te Phœbi cortina fefellit, Dux Anchiſiade, neque me: Deus æquore merſit.* ut Deus ſit Somnus qui præcipitavit quidem, non merſit.
[g] Præcipitans gubernaculum; aut me, i. præcipitatus.
[h] Clavo, gubernaculo.
[i] Cui excuſſus magiſter. Hypallage.
[k] Procelloſas, aſperas.
[l] Velienſium in Lucania.
[m] Præruptos ſcopulos. [n] Corpus meum. [o] Leviſſimum ſaltem ſepulturæ genus poſtulat. Si quis enim in cadaver inſepultum incidiſſet, nefas erat præterire terræ gleba non injecta, aut pulvere aut arena; quod præcidanea porca expiandum erat. [p] Invenies autem cadaver meum in portu Velino. Atque hunc locum ab Hygino exagitatum apud Agellium lib. 10. cap. 16. quod Velia, poſt ſexcenteſimum annum, quam Æneas in Italiam venit, condita fuerit, adſerunt plurimi, reſpexiſſe ſc. poetam loci naturam, non nomen urbis. portus ſc. paluſtres ab ἕλος. Turnebus l. 22. c. 1. Alciat. parerg. cap. 21. Pontanus in Antonio. Cœlius lib. 11. cap. 24. προλῆψιν poetis uſitatam opponit. [q] Triſtem, Styga ſc. aut Cocytum, unde Furiæ accendunt faces. [r] Alii leg. *ripa*, ſc. citeriore. Alii *ripam adibis*. ulteriorem ſc.

[f] Prodigiis acti cœlestibus, ossa piabunt:
Et statuent tumulum, & tumulo solennia mittent:
Æternumque locus Palinuri nomen habebit.
His dictis curæ emotæ, pulsusque parumper
Corde dolor tristi: gaudet cognomine terra.
Ergo iter inceptum peragunt, fluvioque propinquant.
Navita quos jam inde, ut Stygia prospexit ab unda
Per tacitum nemus ire, pedemque advertere ripæ:
Sic prior aggreditur dictis, atque increpat [t] ultro:
Quisquis es, armatus qui nostra ad flumina tendis,
Fare age, quid venias: jam istinc & comprime gressum.
Umbrarum hic locus est, somni, noctisque soporæ,
Corpora viva nefas Stygia vectare carina.
Nec vero Alciden me sum [u] lætatus euntem
Accepisse lacu: nec Thesea, Pirithoumque:
[x] Dis quanquam geniti, atque invicti viribus essent:
[y] Tartareum ille manu custodem in vincla petivit
Ipsius à solio regis, traxitque trementem:
[z] Hi dominam Ditis thalamo deducere adorti.
Quæ contra breviter fata est [a] Amphrysia vates:
Nullæ hic insidiæ tales (absiste moveri)
Nec vim tela ferunt: [b] licet ingens janitor antro
Æternam latrans exsangues terreat umbras:
Casta licet [c] patrui servet Proserpina limen.
Troïus Æneas, pietate insignis, & armis,
Ad genitorem, [d] imas Erebi descendit ad umbras:
Si te nulla movet tantæ pietatis imago;
At ramum hunc (aperit ramum, qui veste latebat)
Agnoscas, tumida ex ira tum corda residunt.
Nec plura his: ille admirans venerabile donum
Fatalis virgæ, longo post tempore visum,
Cæruleam advertit puppim, ripæque propinquat.
Inde alias animas, quæ per [e] juga longa sedebant,
Deturbat, [f] laxatque foros: simul accipit alveo
[g] Ingentem Æneam: [h] gemuit sub pondere cymba
Sutilis, & multam accepit rimosa paludem.

[f] Lucanis oraculum de sedanda gravi pestilentia, quæ apud eos grassabatur, consulentibus, respondit oraculum placandos esse manes Palinuri a Velienſibus interfecti. illi itaque lucus prope Veliam dicatus & erectum cenotaphium.

[t] Prior, non compellatus.

[u] Anno enim integro in compedibus fuit Charon, quod Herculem trajecisset.

[x] Hercules & Pirithous Jove sati, Theseus Ægeo, ut alii Neptuno.

[y] Cerberum Hercules petivit.

[z] Theseus & Pirithous descendebant rapturi Proserpinam.

[a] Apollinea. ab Amphryso fl. Thessaliæ, juxta quem Apollo pavit Admeti armenta, & Sibyllam sollicitavit. [b] Cerberus, per nos, antro tutus maneat. [c] Plutonis, qui eam rapuit, Jovis ex Cerere filiam. [d] Ad intimas umbras inferni, pro quo Erebus ponitur Synecdochice. [e] Sedilia, transtra. [f] Quo Heroi & vati sit sedendi spatium, laxat portitor fores, & Poeta versum, extenditque cymbæ aluum ut sit Hypermeter. [g] Gravem cymbæ sutili. [h] Sic currus Diomedis, insiliente Minerva. μέγα δ' ἔβραχε φαίνων ἄξων βριθοσύνῃ. Iliad. ε.

Tandem

Tandem trans fluvium incolumes, vatemque, virumque
Informi limo, glaucaque exponit in ulva.
i Ditis triceps canis. ut signet mortem genituræ, casus, fati. Horat. 13. od. l. 2. centiceps, propter varia mortis genera. Terram alii exponunt, alii sepulchrum. Adverte quam frequens litera canina *r*.
i Cerberus hæc ingens latratu regna trifauci
Personat, adverso recubans immanis in antro.
Cui vates horrere videns jam colla *k* colubris,
Melle *l* soporatam, & medicatis frugibus offam
Objicit: ille fame rabida tria guttura pandens,
Corripit objectam, atque immania terga resolvit,
Fusus humi: totoque ingens extenditur antro.
Occupat Æneas adytum, custode *m* sepulto,
Evaditque celer ripam irremeabilis undæ.
Continuo auditæ voces, vagitus & ingens,
n Infantumque animæ flentes in limine primo:
Quos dulcis vitæ exortes, & ab ubere raptos
Abstulit *o* atra dies, & funere mersit *p* acerbo.
q Hos juxta falso damnati crimine mortis.
r Nec vero hæ sine sorte datæ, sine judice sedes:
Quæsitor *s* Minos urnam movet: ille *t* silentum
Conciliumque vocat, vitasque & crimina discit.
u Proxima deinde tenent mœsti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemque perosi
Projecere animas. quam vellent *x* æthere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores!
Fata obstant, tristique palus *y* innabilis unda

k Qui illi pro filis.
l Quæ soporem inducat, ut 4. Æneid. *humida mella soporiferumque papaver* draconi pro cibo data. Alii *saporatam* legi contendunt, ut melle condiatur offa sicut alia omnia dulciaria, saccharo nondum invento; somnum vero an concilient medicatæ herbæ, Turneb. lib. 28. cap. 45. & lib. 29. cap. 6. *m* Sopito. *n* Hos qui interierant primo limine & ingressu vitæ, recte statuit in limine primo. qui etiam ante Solis exortum efferebantur ad funus. Erythræi *limbo*. *o* Fatalis. *p* Immaturo. *q* Secundo loco statuit falso crimine damnatos. Plato in apologia. *r* Hæc cum respectu ad Romanum forum dici volunt, ubi a quæstionis judice qui dictus Quæsitor, inde Quæstor, e judicibus selectis adhibiti sunt illi, quorum nomina ex urna vel sitella primum ducta, ad numerum legitimum. Quoniam autem nulla hic de judicibus sortitio, respici omnino arbitror ad judicia Græcorum, in quibus duæ erant urnæ, in alteram conjiciebantur a judicibus sortes vel calculi absolventes, in alteram damnantes. Pro harum direptarum numero sententia lata est. Harum urnarum posterior tantum apud Inferos in usu. de pœna sc. & supplicii loco. namque Elysius campus a Jove assignatus. *s* Jovis filius, rex Cretæ, dum in vivis erat, justissimus unus. *t* Umbrarum, ad cognoscendum & testandum de vitis & criminibus mortuorum. Plato in Gorgia, Axiocho & 5. Leg. *u* Terrium locum assignat iis qui non scelere adacti, sed miseriis pressi & vitam pertæsi mortem sibi consciverant. Adi Aristot. lib. 3. Ethic. cap. 7 & Macrob. de Somnio Scip. lib. 1. cap. 13. *x* In vita, qua prius fruebantur, utcunque misera & ærumnosa. *y* Irremeabilis, ut modo nota. Alii leg. *inamabilis*. συγεφέ.

Alligat, & z novies Styx interfusa coërcet.
a Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi, sic illos nomine dicunt.
Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti celant calles, & myrtea circum
Sylva tegit; curæ non ipsa in morte relinquunt.
His b Phædram, c Procrinque locis, mœstamque d Eriphylen
Crudelis e nati monstrantem vulnera cernit:
f Evadnenque, & g Pasiphaën; his h Laodemia
It comes, & i juvenis quondam, nunc femina, Cæneus,
Rursus & in veterem fato revoluta figuram.
Inter quas Phœnissa recens à vulnere Dido
Errabat sylva in magna: quam Troïus heros
Vt primum juxta stetit, agnovitque per umbram
Obscuram (k qualem * primo quis surgere mense
Aut videt, aut vidisse putat per nubila lunam)
Demisit lacrymas, dulcique affatus amore est:
Infelix Dido: verus mihi l nuncius ergo
Venerat exstinctam, ferroque extrema sequutam.
Funeris heu tibi causa fui: per sidera juro,
Per superos, m & siqua fides tellure sub ima est,
Invitus, regina, tuo de litore cessi.
Sed me jussa deûm, quæ nunc has ire per umbras,
Per loca senta situ cogunt, noctemque profundam,
Imperiis egere suis: nec credere quivi,
Hunc tantum, tibi me discessu ferre dolorem.
Siste gradum, teque aspectu ne subtrahe nostro.
Quem fugis? n extremum fato quod te alloquor, hoc est.
Talibus AEneas ardentem, & o torva tuentem

z Alii allusum autumant ad Novendialia mortuorum. Alii ad novem orbes cœlestes. Alii ad perfectionem numeri novenarii, qui constat ex tribus trinitatibus. Alii ad novem Inferorum regiones; 1 Infantum. 2 Falso damnatorum. 3 Αὐτοχείρων. 4 Amantum. 5 Bellatorum. 6 Nocentum. 7 Animarum Purgatarum. 8 Redituratum in vitam. 9 Elysii. a Quartum locum assignat iis quæ (nam fœminæ) omnes perierunt amore, de quibus videndi Poetæ Homerus, Ovidius, Seneca, & Mythologi, Hyginus, Palæphatus, Fulgentius, Natalis Comes, Apollodorus, &c. b Senecæ Hippolytus videndus. & Fab. 47. Hygini, & Ovid. epist. 4. c Hyginum vide. fab. 189. & Ov. Met. 7. d Corruptam monili ab Adrasto ceu Polynice ut proderet maritum Amphiaraum. Hor. 16. Ode lib. 3. & fab. 73. Hygini. e Alcmœonis ulciscentis patrem. ibid. f Capanei uxorem, quæ se in rogum conjecit audita morte conjugis. Apollod. 3. l. g Supra hoc lib. & eclog. 6. & Hygini fab. 40. h Uxor Protesilai, quem ubi periisse in bello Trojano audisset, optavit ut umbram ejus videret, & voti compos in ejus amplexu animam efflavit. Ovid. Epist. 13. Hygini fab. 103 & 104. i Impetravit quippe a Neptuno corrupta, in stupri precium, ut transformaretur in virum fortem & invulnerabilem. Ovidii Met. lib. 2. & Palæphat. 1. l. k Ὡς τίς τε νέῳ ἐνὶ ἤματε μήνην Ἠΐδεν ἢ ἐδόκησεν ἐπαχλύουσαν ἰδέσθαι. Apollon. 4. Arg. * Per mensis initium. l Κατὰ τὸ σιωπώμενον. vel, prænunciante Mercurio 4. l. *Illa dolos dirumque nefas sub pectore versat Certa mori.* m Et si quod apud inferos numen sit, quod juratorum fidem obliget. Styx certe Deorum jusjurandum inviolabile. n Neque enim mihi vivo dabitur te rursus convenire, neque mortuo: umbris enim negata vox, nisi quibus fato. i. voluntate Deorum sit concessa, ut hic Palinuro, Deiphobo, Musæo, Anchisæ. o Torve, Græcism.

Lenibat dictis animum, *p* lacrymasque ciebat.
Illa solo fixos oculos aversa tenebat:
q Nec magis incepto vultum sermone movetur,
Quam si dura silex, aut stet *r* Marpesia cautes.
Tandem proripuit sese, atque *s* inimica refugit
In nemus umbriferum: conjux ubi pristinus illi
Respondet *t* curis, æquatque Sichæus amorem.
Nec minus Æneas casu perculsus iniquo,
Prosequitur lacrymans longe, & miseratus euntem est.
Inde datum molitur iter: Jamque *u* arva tenebant
Ultima, quæ bello clari secreta frequentant.
Hic illi occurrit *x* Tydeus; hic inclytus armis
y Parthenopæus & *z* Adrasti *a* pallentis imago.
Hic *b* multum fleti ad superos, belloque caduci
Dardanidæ: quos ille omnes longo ordine cernens
Ingemuit: *c* Glaucumque, *d* Medontaque, Thersilochumque,
Tres *e* Antenoridas, Cererique sacrum Polybetem,
f Idæumque etiam currus, etiam arma tenentem.
Circumstant animæ dextra, lævaque frequentes.
Nec vidisse semel satis est; juvat usque *g* morari,
Et conferre gradum, & veniendi discere causas.
At Danaûm proceres, *h* Agamemnoniæque phalanges
Ut vidêre virum, fulgentiaque arma per umbras,
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu *i* quondam petiere rates: pars tollere vocem
Exiguam: inceptus clamor frustratus *k* hiantes.
Atque hic *l* Priamiden laniatum corpore toto
l Deiphobum vidit, lacerum crudeliter ora:
Ora, manusque ambas, populataque tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.
Vix adeo agnovit pavitantem, & dira tegentem

p Sibi; non Didoni elicuit lacrymas, ut quibusdam placet.
q Adverte talionem. secundum Rhadamanthi edictum, Εἰκὶ πάθοι τὰ κ' ἔρεξε, δίκη κ' ἐθέα γένοιτο. Arist. Eth. 5. l. 4. c. Æneas, supra 4. l. *immota tenebat Lumina*, hic *Illa solo fixos oculos aversa tenebat.* Ibi Æneas, quercus Boreæ flatibus immota, hic Dido silex, aut Marpesia cautes. ibi ille fugit, hic illa.
r Marpesus mons in Paro inf. ut Jornandes Caucasi pars.
s Adumbratur hic locus ex Odyss. 11. Hom. ubi Ajacis umbra Ulyssem declinat. *t* Affectibus. *u* Quintam regionem, ubi bello clari. *x* Gener Adrasti, pater Diomedis. *Hic bello junior, corpore parvus erat.* de quo, ut & de Parthenopæo & Adrasto legendus Euripides in Phœnissa, & Statius in Thebaide. *y* Filius Atalantæ. *z* Regis Argivorum. *a* Vel cum respectu ad repulsam illius a Thebis, *vel*, quia umbra. *b* Luctu & exsequiis honorati a vivis propter virtutem. *c* Antenoris fil. ab Agamemnone cæsum, vel alium cujus meminit Hom. Il. 6. *d* Alii legunt, *Mydonaque* ducti autoritate Hom. 21. Il. Θερσίλοχόν τε Μύδωνά τε. *e* Abdicant hos, ne sint Antenoris filii, quia Polybus, Aganor, Acamas, filii Antenoris committuntur cum Hectore, Polydamante & Ænea. Il. 11. Hro. *f* Aurigam Priami, cujus vivi studium etiam mortuo manet. ut infra hoc libro. *g* Immorari spectaculo vivi hominis, vel morari illius iter. quod si non possent, una tendere, causam illius descensus exploraturæ. *h* Græca agmina. *i* Il. 12. & 13. *k* Conantes loqui, sed vocis organis destitutas. Servius vocem faucibus hæsisse præ metu putat: cum aliæ umbrarum loquantur. redi ad nos nam n. modo. *l* Refert idem Dictys Cret. lib. 5. De Deiphobo qui post Paridis mortem duxit Helenam.

[m] Supplicia, & notis compellat vocibus ultro:
Deiphobe [n] armipotens, genus alto à sanguine Teucri,
[o] Quis tam crudeles optavit sumere pœnas? 501
Cui tantum de te licuit? mihi fama supremâ
Nocte tulit fessum vasta te cæde Pelasgûm
Procubuisse super confusæ stragis acervum.
Tunc egomet tumulum Rhæteo in litore [p] inanem 505
Constitui, & [q] magna manes ter voce vocavi.
[r] Nomen & [s] arma locum servant: [t] te, amice nequivi
Conspicere, & patria decedens ponere terra.
Atque hîc Priamides: Nihil ô tibi amice relictum est:
Omnia Deiphobo solvisti, & [u] funeris umbris. 510
Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ
His mersere malis: illa hæc [x] monimenta reliquit.
Namque, ut supremam [y] falsa inter [y] gaudia noctem
Egerimus, nosti; & nimium meminisse necesse est:
[z] Cum fatalis equus saltu super ardua venit 515
Pergama, & armatum peditem gravis attulit alvo:
Illa chorum simulans, [a] evanteis Orgia circum
[b] Ducebat Phrygias: [c] flammam media ipsa tenebat
Ingentem, & summa Danaos ex arce vocabat.
Tum me confectum curis, somnoque gravatum, 520
Infelix habuit thalamus: pressitque jacentem
[d] Dulcis, & alta quies, placidæque simillima morti.
[e] Egregia interea conjux, arma omnia tectis
Emovet, & fidum [f] capiti subduxerat ensem:
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit, 525
Scilicet id magnum sperans fore munus amanti,
Et famam exstingui veterum sic posse malorum.

[m] Mutilata membra, nares præcisas, aureſque, cujusmodi pœnas, maritorum ira exigit inter alias ab adulteris. Martial. l. 2. ep. 83. & l. 3. ep. 85. & Athenæus l. 12. Deipn.

[n] Deiphobi virtutem & res gestas habes apud Calabr. 9. l.

[o] Cui data est optio & voluntas? cui permissa tanta de te potestas?

[p] Imaginarium: cenotaphium, cujusmodi repræsentabantur busta & tumuli, ubi ipsa cadavera desiderabantur. Palinurus supra hoc

lib. Andromache 3. & alibi. [q] Vide pag. 107. not. g. & hoc. l. *dixique novissima verba* in funere Miseni. & l. 11. *Salve mihi maxime Palla, Æternumque vale.* Ausonius in parentalibus. *Cui defuit urna sepulchri Nomine ter dicto pone sepulture eris.* & ejusdem Ausonii 13. epitaph. Deiphobi. [r] Ne alienentur, aut ab aliis occupentur. vel per Hypallagen nostro frequentem, *locus servat nomen & arma*, lib. 7. *Et nunc servat honos sedem tuus.* [s] *Suaque arma viro, remumque tubamque Imponit.* supra in funere Miseni nec non Pallantis l. 11. [t] Tuum cadaver. [u] Funeri adumbrato repræsentativo, honorario. modo nota. p. [x] Vulnera, mutilata membra. supplicia supra. not. n. [y] Adi Senec. epist. 59. ubi *mala gaudia & falsa gaudia* excutiuntur. [z] Repete l. 8. Æneid. pag. 139. [a] Bacchi celebrantes Orgia 4 Georg. pag. 107. o vociferantes *Evan* quod Bacchi nomen, & *evohe Bacche frementes* lib. 7. [b] Ipsa choraga. [c] Speculatoriam, quæ signum daret Græcis solvendi a Tenedo. Tryphiodorus, ut noster, has Helenæ partes dat; Dictys Sinoni, Lycophron Antenori. vide pag. 141. 1. [d] Νήδυμος ὕπνος, Νήρεϊ, ὕδιος, θανάτῳ ἄγχιστα ἐοικώς. 13. Odyss. [e] Ironice. sed vide quæ 2. Æn. pag. 149. not. d. [f] De hoc more vel suspendendi gladium ad caput, vel reponendi sub pulvino, vide quæ Ramirez ad 43. ep. l. 1. Martialis.

Quid moror? irrumpunt thalamo: g comes additur una
Hortator scelerum h Æolides: dii talia Grajis
i Instaurate, pio si pœnas ore reposco.
Sed te qui vivum casus, age, fare vicissim,
Attulerint: pelagine venis erroribus actus,
An monitu divum? an quæ te fortuna fatigat,
Ut tristeis k sine sole domos, loca turbida, adires?
Hac vice sermonum roseis l Aurora quadrigis
Jam medium æthereo cursu trajecerat axem:
Et fors omne datum traherent per talia tempus:
Sed comes admonui, breviterque affata Sibylla est:
Nox ruit, Ænea; nos flendo ducimus horas.
Hic locus est, partes ubi se via findit in ambas:
m Dextera, quæ Ditis magni sub mœnia tendit,
Hac iter Elysium nobis: at læva malorum
Exercet pœnas, & ad impia Tartara mittit.
Deiphobus contra: Ne sævi magna sacerdos:
Discedam, n explebo numerum, reddarque tenebris.
I decus, i nostrum: melioribus utere fatis.
Tantum effatus, & in verbo vestigia torsit.
Respicit Æneas subito, & sub rupe sinistra
o Mœnia lata videt triplici circundata muro,

g Refert idem Homerus Od. 8. Tryphiodorus. h Ulysses filius Anticleæ, quam ex Sysipho Æoli filio gravidam duxit Laertes. hinc *sanguine cretus Sysiphio* vocatur ab Ajace Ovid. Met. 13. i Reddite, rependite. k Ἀνηλίους δόμους seu μύχους, qui loca turbida. Namque Elysii campi solem suum sua sidera norant. infra. l Ad sacra hæc Magica peragenda. concessum est spatium 24 horarum. Sacra incœpta sunt nocturno tempore: sub ortum lucis mugiit solum & strandis quinque regionibus inferorum, Didoni & Deiphobo conveniendis. Jam Sol (quem per Auroram quadrigis vectam accipio, cum illa proprie vehatur bigis, ut l. 7. Æn.) trajecerat meridiem apud superos mortales; ruit nox, inquit Sibylla, vergente in occasum die, properandum, ut tempore, quod superest, fruamur ad colloquium Anchisæ. Nescio an hoc liquidus quam commentatores, a quibus omnibus discesserim, ut quibus hic aqua hæreat. & revera locus hic est ubi partes se via findit in ambas: aliis civilem diem a meridie, aliis a media nocte incipere contendentibus. legatur Agellius l. 3. c. 2. & Macrobius l. 1. Saturn. c. 3. & Galeottus de promisc. doct. c. 30. m Ἡ μὲν εἰς μακάρων νήσους, ἡ δ' εἰς τάρταρον, Plato in Gorgia, quem locum ut & multos alios adumbrat Poeta Platonicus. n Constat (inquit Macrobius l. 1. in Somn. Scip. c 12.) numerorum certam constitutamque rationem animas sociare corporibus. Hi numeri dum supersunt, perseverat corpus animari; cum vero deficiunt, mox arcana illa vis solvitur qua societas ipsa constabat. Et hoc est quod fatum & fatalia vitæ tempora vocamus. Anima ergo ipsa non deficit, quippe quæ immortalis atque perpetua est, sed, impletis numeris, corpus fatiscit. Nec anima lassatur animando, sed officium suum deserit corpus, cum jam non possit animari. hinc illud est doctissimi vatis; *explebo numerum, reddarque tenebris.* Nam ceteræ quidem expositiones, de implendo numero umbrarum, & de implendo i. minuendo vestrum numerum, non habent micam salis neque bonæ frugis. Sanius illi qui de numeris hoc denariis, centenariis, aut millenariis intelligunt ex Platonica doctrina, quibus exactis, purgantur animæ & ad vitam revertuntur. o Vide Æneid. pag. 130. not. i. Mœnia quid muris distent, hic autem urbem cinctam triplici munimine intelligo.

Quæ

Quæ rapidus *p* flammis ambit *p* torrentibus amnis
Tartareus Phlegeton, torquetque sonantia saxa.
Porta adversa ingens, solidoque adamante columnæ.
Vis ut nulla virûm, non ipsi excindere ferro
Cœlicolæ valeant; stat ferrea turris ad auras;
Tisiphoneque sedens, palla succincta cruenta,
Vestibulum insomnis servat noctesque, diesque.
Hinc exaudiri gemitus, & sæva sonare
q Verbera: tum stridor ferri, tractæque catenæ.
Constitit Æneas, strepitumque exterritus hausit.
Quæ scelerum facies (ô virgo, effare) quibusve
Urgentur pœnis? quis tantus plangor ad auras?
Tum vates sic orsa loqui: dux inclyte Teucrum,
r Nulli fas casto sceleratum insistere limen.
Sed me, cum lucis Hecate præfecit Avernis,
Ipsa *s* deûm pœnas docuit, *t* perque omnia duxit.
Gnosius hæc *u* Rhadamanthus habet durissima regna:
Castigatque, auditque dolos, subigitque fateri,
Quæ quis apud superos, *x* furto lætatus *y* inani,
Distulit in seram commissa *z* piacula mortem.
Continuo sontes ultrix accincta flagello
Tisiphone quatit insultans, torvosque sinistra
Intentans angues, vocat agmina sæva *a* sororum.
b Tum demum horrisono stridentes cardine sacræ
Panduntur portæ: cernis, custodia qualis
Vestibulo sedeat? facies quæ limina servet?
Quinquaginta atris immanis hiatibus Hydra
Sævior intus habet sedem: tum Tartarus ipse
Bis patet in præceps *c* tantum, tenditque sub umbras,
Quantus ad ætherium cœli suspectus Olympum.
Hic *d* genus antiquum terræ, Titania pubes,
Fulmine dejecti, fundo volvuntur in imo.

p Torrente flammeo, Flammis æstuantibus, Pyriphlegethontie.
q Furiarum, quibus noxii dilacerabantur.
r Nulli pio datum est intrare adeoque contueri quæ in Tartaro gesta sunt.
s Quas Dii exigunt a sceleratis.
t Perduxitque omnia ad me, relatione sc. neque enim duxit per omnia, cum nulli casto permittatur ingredi.
u Rhadamanthus Cretæ, ut alii Lyciæ rex justissimus, Jovis ex Europa filius non tantum a Poetis, sed a Platone perhibetur quæstionem exercere apud inferos, crimina audire, cogere ad confessionem, lege Platonis Gorgiam, sub fine. *x* Crimine clam admisso, sed ——— *y* ——— Frustra celato, apud inferos enim nihil potest latere, ubi per tot conscios delatores, testes, quæstio a severissimis judicibus habetur. *z* Scelera, fraudes, flagitia admissa, neque in vivis expiata. *a* Megæræ & Alectus, Senec. Herc. furent. *agmina horrenda anguibus Megæra ducat.* quas ab impetu, furore & assiduitate supplicii agmina vocat. *b* Dum hæc loquitur Sibylla, diræ atque execrandæ Tartari portæ panduntur, stridore horrendo. Illa perg.t, videsne Ænea, quales hic custodes. Furiæ? vel Hydra 50 habens capita, sævior quam illa prior in aditu stans Inferni? ad hiatum explicandum, advertantur A & I alternatim aperientes os & claudentes. *c* Τόσσον ἔνερθ' Ἀΐδαο ὅσον οὐρανός ἐστ' ἀπὸ γαίης. Il. 8. *d* Γηγενεῖς, Terræ & Titanis filii, qui Saturnum regno pellere, ut patrem restituerent, primo conabantur, mox & Jovem, a quo victi ad Tartara detrusi sunt.

Hic & [e] Aloidas geminos, [f] immania vidi
Corpora, qui manibus magnum rescindere cœlum
Aggressi, superisque Jovem detrudere regnis.
Vidi & crudeles dantem [g] Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis, & sonitus imitatur Olympi.
Quatuor hic invectus equis, & lampada quassans,
Per Grajûm populos, mediæque per Elidis [h] urbem
Ibat [i] ovans, divumque sibi poscebat honorem.
Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Ære, & cornipedum cursu simularet equorum.
At pater omnipotens densa inter nubila telum
Contorsit (k non ille faces, nec fumea tædis
Lumina) præcipitemque immani turbine adegit.
Nec non & [l] Tityon, [l] terræ omniparentis alumnum,
Cernere erat. [m] per tota novem cui jugera corpus
Porrigitur: rostroque immanis vultur obunco
[n] Immortale jecur [o] tondens, [n] fœcundaque pœnis
Viscera, [p] rimaturque epulis, habitatque sub alto
Pectore: [q] nec fibris requies datur ulla renatis.
Quid memorem [r] Lapithas, Ixiona, Pirithoumque?
Quos super atra silex jam jam lapsura, [s] cadentique
Imminet assimilis. lucent [t] genialibus altis
Aurea fulcra toris, epulæque ante ora paratæ
Regifico luxu: [u] furiarum maxima juxta
Accubat, & manibus prohibet contingere mensas:
Exsurgitque facem attollens, atque intonat ore.
Hic quibus invisi fratres, dum vita manebat,
[x] Pulsatusque parens, & fraus innexa clienti:

[e] Othon & Ephialten putativos Aloei filios, vere Neptuni ex Iphimedia. Apollodorus l. 1.
[f] Qui ubi nonum explevere annum, novem cubitos longi excrevere. ibid.
[g] Regem Elidis qui per pontem aheneum quadrigis vectus & facem jaculatus, tonitru & fulmen imitaturus. Ipse vero fulmine a Jove ad inferos deturbatus est. Apollodorus l. 1.
[h] Pisam.
[i] Jactabundus, glorians, ut in triumpho seu ovatione, de qua alias. [k] Ut Salmoneus. [l] Jovis quidem filium ex Elara filia Orchomeni. quam a se compressam, ab ira & zelotypia Junonis in terra occultavit. hinc terræ alumnum dictum. Hic cum Latonam de stupro appellasset, ab Apolline sagittis transfixus has apud inferos dat pœnas libidinis, cujus sedes 6. l. c. 3. Poetices, adeoque singula verba expendit. [n] In pœnas indies renasc. jecur. [m] Ex Homeri Odyssea 11. quem locum cum hoc contendit Jul. Scal. [o] Ita Homerus Odyss. 11. ἥπαρ ἔκειρον. Sunt quibus præplacet *tundens*. i. rostro impetens. [p] Diffindens ac scrutatus depascitur. [q] Omnia autem quæ de Inferis finguntur, esse in hac vita μυθολογοῦσι Lucretius l. 3. & Macrobius in 1. l. in Somn. Scip. c. 10. quos legere erit operæ precium. [r] Distincte, vel etiam Appositive, erant enim Ixion & Pirithous Lapithæ, qui Thessaliæ pop. barbarus & ferox. De his adeundi Mythologi. [s] Saxi pendentis & usque ruinam minitantis naturam exprimit hypermeter. [t] Sumptu magnifico instructis, ad instar lectorum, qui nuptiis sternuntur in honorem Genii. Alii hic Tantalum, alii Phinea innui volunt: ego de Ixione & Pirithoo ambitiosis intelligo. legendus Cic. 5. Tusc. de Damocle. [u] Megæram vel Tisiphonen alii, Famem alii intelligunt. Si de Phineo accipiatur, de Celæno constabit, quæ 3. Æn. *furiarum maxima*. Vide quæ nos ibi. [x] Quod manu fit, non ferro, aut fuste. itaque Sen. l. 9. controv. 4. Qui patrem pulsaverit, manus ei præcidatur.

Aut

Aut qui divitiis soli incubuere repertis, 610
Nec partem posuere suis (quæ maxima turba est:)
Quique ob adulterium cæsi: quique arma sequuti
y Impia, z nec veriti dominorum fallere dextras:
Inclusi pœnam exspectant. ne quære doceri 614
Quam pœnam, aut quæ forma viros, fortunave mersit.
a Saxum ingens volvunt alii, radiisque rotarum
Districti pendent: b sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus: c Phlegyasque miserrimus omnes
Admonet, & magna testatur voce per umbras: 619
Discite justitiam moniti, & non temnere divos.
d Vendidit hic auro patriam, dominumque potentem
Imposuit: e fixit leges pretio atque refixit.
Hic thalamum invasit natæ, vetitosque Hymenæos:
Ausi omnes immane nefas, ausoque potiti.
f Non mihi si linguæ centum sint, oraque centum, 625
Ferrea vox, omnes scelerum comprendere formas,
Omnia pœnarum percurrere nomina possem.
Hæc ubi dicta dedit Phœbi longæva sacerdos:
Sed jam age, carpe viam, & susceptum g perfice munus.
Acceleremus, ait; Cyclopum *h* educta caminis 630
Mœnia conspicio, atque adverso fornice portas:
Hæc ubi nos præcepta jubent deponere dona.
Dixerat: & pariter gressi per opaca viarum
Corripiunt spatium medium, foribusque propinquant.
Occupat Æneas adytum, corpusque recenti 635
Spargit aqua, ramumque adverso in limine figit.
His demum exactis, perfecto munere Divæ,

y Civilia, vel contra patriam.
z Servi, qui prodiderunt; aut fidem (cujus symbolum dextra) fefellerunt domini.
a De Sisipho, Ixione, &c. nota hæc, vel petenda a Mythologis.
b Theseus quidem Pirithoo comes descenderat rapturus Proserpinam, ubi comite cæso ipse manebat captivus: sed ab Hercule avulsus fuit à petra, unde dsurgere

non poterat, atque adeo ab inferis reversus est. Ut supra hoc lib. jam autem & post fatum, damnatur ut in æternum sedeat eidem affixus igneiscenti petræ. Apollonii interpres adeundus lib. 1. ad illum versum, Θησέα δ' οὐ περὶ πάντας ἐρεχθείδας ἐκέκαστο. Videndus & Baptista Pius, l. Annot. Poster. 3. cap. 9. & Cœlius Rhod. l. 4. c. 8. Et Pontanus in Antonio. Quoniam autem *sessio* lugentium & pœnitentium proprius situs est, ut 9. l. Æn. quarto versu, nota d. quid si dicamus Thesea jam mortuum æterno luctu mœstum sedere deflentem Hippolyti mortem? Lege quæ Torrentius Lævinus ad 7 Oden, 4. lib. carm. Horatii: tum quia *infelix*, ut mox de Bruto. c Quid? an Theseus exemplari hac admonitione ad justitiam hortatur Phlegyas Thessaliæ populum impium & latrociniis victitantem? An Phlegyas filius Ixionis & rex Lapitharum pœna sua monitos alios omnes velit, ut Deos colant & justitiam? d Lasthenem hic innui volunt, qui Olynthum Philippo vendidit, nec non Curionem, qui Romam Julio Cæsari. e Leges sanxit atque abrogavit rursus, pro sua libidine. Leges autem in æs incisæ fixis in publico tabellis proponebantur. f Οὐδ' εἰ μοι δέκα μὲν γλῶσσαι, δέκα δὲ στόματ' εἶεν, Φωνὴ δ' ἄρρηκτος, χάλκειον δέ μοι ἦτορ ἐνείη. Iliad. 2. g Aureum ramum offerendo Proserpinæ, mox, *perfecto munere Divæ*. h Mœnia in altum ducta una cum caminis, veluti Cyclopum opera, intuuntur interpretes. Non placet. Dixerint potius Mœnia ferrea in Cyclopum fornacibus fabricata, quia supra, *Stat ferrea turris ad auras*. & quia omnia magnæ molis opera, mœnia præcipue Cyclopum credebantur, nos ad Senecæ Herc.

Devenere locos lætos & amœna vireta
i Fortunatorum nemorum, sedesque beatas.
k Largior hic campos æther, & lumine vestit
Purpureo: solemque suum, sua sidera norunt.
Pars in gramineis exercent membra palæstris,
Contendunt ludo, & fulva luctantur arena:
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non *l* Treïcius longa cum veste *l* sacerdos
m Obloquitur numeris *n* septem discrimina vocum:
o Jamque eadem digitis, jam pectine pulsat eburno.
Hic genus antiquum Teucri, pulcherrima proles,
Magnamini heroës, nati *p* melioribus annis,
Ilusque, Assaracusque, & Trojæ *q* Dardanus author.
Arma procul currusque virûm *r* miratur inanes.
Sunt terræ defixæ hastæ, passimque soluti
Per campos pascuntur equi. *s* quæ gratia currûm,
Armorumque fuit vivis; quæ cura nitentes
Pascere equos, eadem sequitur tellure repostos.
Conspicit, ecce, alios dextra, lævaque per herbam
t Vescentes, lætumque choro *u* Pæana canentes,
Inter odoratum lauri nemus: unde superne
x Plurimus Eridani per sylvam volvitur amnis.
y Hic manus ob patriam pugnando vulnera passi;
Quique sacerdotes casti, dum vita manebat;

i Allusum ad insulas fortunatas, in quibus Elysium statuunt nonnulli, ut & alii, in Hispania Bætica. videatur Natalis Comes l. 3. c. 19. Muretus l. 5. cap. 1. Var. lect. Tertullianus item, Eusebius & Irenæus vindicantes Elysii doctrinam & notitiam ab Ethnicis, relatamque libb. Mosis & Judæis. *k* Et purior quam in orbe nostro. Pluto apud Claudianum. *sunt altera nobis Sidera, sunt orbes alii, lumenque videbis Purius, Elysiosque magis mirabere campos*, &c. lib. 2. de raptu Proserp. Plutarch. alii. *l* Orpheus Thracius, qui ex Ægypto primus arcana ceremoniarum transtulit, & Orgia instituit. usi autem vates in sacris fluxa veste & syrmate: ut & in scenis citharœdi. *m* Pulsans pariter & cantans. *digiti cum voce locuti.* Tibull. l. Eleg. 4. *n* Lyra a Mercurio inventa habuit 7 nervos, addidit Pythagoras octavum, nonum Terpander, ut Jul. Scal. 1. l. Poet. cap. 48. Apollo. quem vide, ut & Turneb. l. 19. c. 30. *o* Sinistra chordas pulsat digitis; dextra pectine vel plectro, h. e. intus canit & foris. *p* Felicioribus, quam qui Laomedonti contigerant & Priamo. *q* Vide 146 pag. not. h. *r* An dicam Æneam mirari arma abjecta, currus inanes, ut quæ principibus pacis studiosis conveniant? an *mirari* exponam *cernere*, quæ significatio etiamdum habetur apud nostrum sæpe, & alios autores, ut & in idiomate Hispano *mirar*. *s* Studia quippe & affectus etiam hinc cum mortuis transire credebat antiquitas supra. *curæ non ipsa in morte relinquunt.* Cœl. l. 10. c. 9. *t* Plato in Axiocho assignat his locis σύμπασια, εἰλαπίνας, ἡδείαν διαίταν. *u* Apollini sacrum hymnum, qui victorialis canitur a ducibus jam post bellum, & parta victoria. Namque & alter erat Pæan quem Marti ante congressum canebant. *x* Disertissime Eridanum statuit fluvium Elysiorum: utpote qui plurimus. i. e. cujus multa pars terra absorbetur, nec emergit rursus. Goropius 9. l. Orig. *y* Divinum Poetæ artificium. ut, cives pro patria fortiter cadentes; casti, pii, inventores bonarum artium, bene de aliis meriti in Elysiis degant beati, ex oppositione eorum qui patriam vendiderunt, qui ob adulterium cæsi, qui Deos temnebant, pulsarunt parentes, fraude alios circumvenerunt, qui & divitiis soli incubuere repertis, quos in Tartaro puniri supra memorabat.

Qui-

Quique pii vates, & Phœbo digna loquuti;
Inventas aut qui vitam excoluere per artes;
Quique sui memores alios fecere merendo:
Omnibus his x nivea cinguntur tempora x vitta.
Quos circumfusos sic est effata Sibylla:
(a Musæum ante omnes: medium nam plurima turba
Hunc habet, atque humeris extantem suspicit altis:)
Dicite felices animæ, tuque optime vates,
Quæ regio Anchisem, quis habet locus? illius ergo
Venimus, & magnos Erebi tranavimus amnes.
Atque huic responsum paucis ita reddidit heros:
b Nulli certa domus; lucis habitamus opacis,
Riparumque toros, & prata recentia rivis
Incolimus; sed vos (si fert ita corde voluntas)
Hoc superate jugum, & facili jam tramite sistam.
Dixit, & ante tulit gressum, camposque nitentes
Desuper ostentat: dein summa cacumina linquunt.
At pater Anchises penitus convalle virenti
c Inclusas animas, superumque d ad lumen ituras,
Lustrabat studio recolens: omnemque suorum
Forte recensebat numerum, charosque nepotes:
Fataque, e fortunasque virûm, f moresque, g manusque:
Isque ubi tendentem adversum per gramina vidit
Æneam, alacris palmas utrasque tetendit;
h Effusæque genis lacrymæ, & vox excidit ore:
Venisti tandem? tuaque i expectata parenti
Vicit iter durum pietas? datur ora tueri,
Nate, tua? & notas audire, & reddere voces?
Sic equidem ducebam animo, rebarque futurum,
Tempora dinumerans: nec me k mea cura fefellit.
Quas ego te terras, & quanta per æquora vectum
Accipio! quantis jactatum, nate, periclis!
Quam metui l ne quid Libyæ tibi regna nocerent!
Ille autem: tua me genitor, m tua tristis imago
Sæpius occurrens, hæc limina tendere adegit.
Stant n sale Tyrrheno classes: da jungere dextram,
Dagenitor, teque amplexu ne subtrahe nostro.

x Insigni castitatis, virtutis, & divinitatis.
a Theologum, Orphei discipulum. cujus laudes, & cur Homero præferatur, vide apud Scalig. lib. 5. Poet. cap. 2. & Cassiodor. lib. 2. epist. 40.
b Anima sc. a corpore secreta non terminatur. Heroum tamen animæ in lucis coli solitæ, intellige itaque quod sequitur mox animas inclusas ——
c —— Separatas a multitudine cetera, ut possent distincte lustrari animæ in vitam hanc redituræ.
d Al. *limen*.
e Opes, gloriam, triumphos, imperium.
f Virtutem, pacis studia & jura.
g Res bello gestas aut gerendas.
h Affectu & gaudio.
i Al. *speciata*.
k Desiderium & spes, cujus cura comes.
l Propter odium doloso Junonis & amorem Didonis, unde fieri posset ut Italiæ suæ oblivisceretur.
m Lib. 4. *Mihi patris Anchisæ, &c. Admonet in somnis, & turbida terret imago.* & lib. 5. *Dixit, & ante tulit gressum. Tu, nate, meos, &c.*
n Mari, &c.

Sic

Sic memorans, largo fletu ſimul ora rigabat.
[o] Ter conatus ibi collo dare brachia circum,
Ter fruſtra comprenſa manus effugit imago,
Par levibus ventis, volucrique ſimillima ſomno.
Interea videt Æneas in valle [p] reducta
Secluſum nemus, & virgulta ſonantia ſylvis,
[q] Lethæumque, [r] domos placidas qui prænatat, am-
nem:
Hunc circum innumeræ gentes, populique volabant.
Ac veluti in pratis, ubi apes æſtate ſerena
Floribus inſidunt variis, & candida circum
[ſ] Lilia funduntur: ſtrepit omnis murmure campus.
Horreſcit viſu ſubito: cauſaſque requirit
Inſcius Æneas, quæ ſint ea flumina porro;
Quive viri tanto complerint agmine ripas.
Tum pater Anchiſes: animæ, quibus altera fato
Corpora debentur, Lethæi ad fluminis undam
[u] Securos latices, & longa oblivia potant.
Has equidem memorare tibi, atque oſtendere coram,
Jampridem hanc prolem cupio enumerare meorum:
Quo magis Italia tandem lætere reperta.
O pater; [x] anne aliquas ad cœlum hinc ire putandum
eſt
Sublimes animas? iterumque ad tarda reverti
Corpora? quæ lucis miſeris tam dira cupido?
Dicam equidem, nec te ſuſpenſum, nate, tenebo:
[y] Suſcipit Anchiſes, atque ordine ſingula pandit.
Principio 1 cœlum 2 ac 3 terras 4 campoſq; liquentes,
Lucentemque globum Lunæ, [a] Titaniaque aſtra

o Τρὶς μὲν ἐφορμήθην, ἐλέειν τέ με θυμὸς ἄνωγε, Τρὶς δέ μοι ἐκ χειρῶν σκιῇ ἴκελον ἢ καὶ ὀνείρῳ Επτατο. Odyſſ. 11.

p Recedente, in receſſum remota

q Qui potus animis rerum omnium quæ in vita priore acta ſunt inducit oblivionem, λήθην. ut mox.

r Elyſios campos.

ſ Synecdoche. flores omnis generis.

t Philoſophiam hanc Socraticam (vel Pythagoricam μετεμψύχωσιν & animorum παλιγγενεσίαν, & tamen eandem ſomniavit Empedocles) a Platone ſæpius inculcatam, in Phædone maxime & Philebo, exploſerunt jamdudum ſaniores Philoſophi. ὥσπερ ἐνδεχόμενον κατὰ τοὺς Πυθαγορικοὺς μύθους, τὴν τυχοῦσαν ψυχὴν εἰς τὸ τυχὸν ἐνδύεσθαι σῶμα. Ariſt. 1. de anima. cap. 3. u Qui poti curas & labores prioris vitæ tollunt, adeoque eorum memoriam. Ut jam purgatam non pigeat in vitam redire. x An credibile utique eſt animas expertas jam prioris vitæ labores & ærumnas velle ex beatiſſima hac quiete Elyſia redire ſublimes ad vitam, oraſque ſuperas relinquere, & denuo aliis corporibus uniri? y Excipit orationem filii, & ſic infit, ſic incipit. 1 Aerem, 2 Ignem, 3 Terram, 4 Aquam, 5 Deus, νοῦς, Mens Mundi ſpiritu quaſi genitali fovet, animat, informat, complet, movet, qualitatibus & potentiis inſtruit propriis ad munia ſua obeunda. Ex elementis itaque & ſpiritu infuſo, prægnante, alenteque illa naſcitur τὸ πᾶν, Mundus & quæ in mundo omnia; Cœlum, Sol, Luna, Aſtra, Homines, Pecudes, Volucres, Piſces. Homini vero ad ſumma nato nobiliorem quam cæteris animalibus indulſit animam; quam Philophi eſſentiam ſe moventem, ἐντελέχειαν, ideam, harmoniam, lucem, Solis aut ſtellæ alicujus ſcintillam, quintam eſſentiam, ignem, aerem, ſpiritum, alii aliud opinati ſtatuebant. a Solem & ſtellas. Titan, inquit Pauſanias in Corinthiacis, Solis motum, & anni rationem ſolertiſſime obſervavit, unde fratrem Solis eum commenti ſunt. inde Sol Titan dictus. ut 4. Æn. *Ubi primos craſtinus ortus Extulerit Titan.* Et aſtra dicta Titania.

5 Spi-

g Spiritus intus alit; totamque infusa per b artus
Mens agitat c molem, & magno se corpore miscet:
Inde hominum, pecudumque genus, vitæque volantum,
Et quæ marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
d Igneus est ollis vigor, & cœlestis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.
e Hinc metuunt, cupiuntque: dolent, gaudentque:
f nec auras
Respiciunt clausæ tenebris, & carcere cæco.
g Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes: penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
h Ergo exercentur pœnis: veterumque malorum
Supplicia expendunt. aliæ panduntur inanes
Suspensæ ad ventos: aliis sub gurgite vasto
Infectum eluitur scelus, aut exuritur igni.
i Quisque suos patimur manes. k exinde per amplum
Mittimur Elysium, & pauci læta arva tenemus:
Donec longa dies, perfecto temporis orbe,
Concretam exemit labem: purumque reliquit
l Æthereum sensum, atque aurai simplicis ignem.
Has omnes, ubi m mille rotam volvêre per annos,
Lethæum ad fluvium n Deus evocat agmine magno,
Scilicet immemores supera ut convexa revisant,
Rursus & incipiant in corpora velle reverti.
Dixerat Anchises, natumque, unaque Sibyllam
Conventus trahit in medios, o turbamque sonantem:
Et tumulum capit, unde omnes longo ordine possit

b Elementa, quæ mundi membra.
c Mundum.
d Est illis animis vigor igneus & e cœlesti semine origo: nisi quatenus a terrenæ compositionis noxa corruptæ tardentur, a corporum languore, ægritudine aut senio gravatæ hebetentur. namque hinc, id est ——
e —— A corporis mistura contrahuntur animæ contages, affectus. sc. circa bonum & malum, de præterito & futuro. Spes, metus, dolor, lætitia.
f Obliviscuntur cœlestis suæ naturæ, tenebroso sc. corporis carcere inclusæ. g Nec tamen exutæ corpore animæ statim etiam exuuntur sordibus, quas ex diutino corporis commercio contraxerint. verum necesse est, ut pœnis exercitæ, pro peccatorum natura varie lustrentur & expurgentur. h Quin & animæ, pro ratione & qualitate delictorum, dant pœnas; eluuntur sc. reliquiæ sordium aqua, ventilantur aere, aut exuruntur igne. i Neque nostrum quisquam tam pie vixit, ut impune concreta ex corporis commercio vitia ferat. Quisque pro suo merito patitur supplicia & tormenta. Ausonius, *tormentaque fera gehennæ Anticipat, patiunturque suos mens conscia manes.* Suos lemures. Turneb. l. 22. cap. 1. k Sic tandem defæcatæ animæ post volventium mille annorum orbem & rotam. i. e. spacium in Elysio exactum, Lethea aqua epota, obliti omnium quæ in corpore passæ sunt, in vitam reverti volunt. l Animam, æthereæ substantiæ, ut supra. Horatius, *adfigit humi divinæ particulam auræ.* Sat. 2. l. 2. m Ex mysterio Platonico numeri denarii in se multiplicati, centenarium conficientis: supra, *centum exigat annos.* Qui per decem multiplicatus millenarium constituit. n Sunt qui hic Mercurium πομπαῖον signari volunt. o Supra comparaverat eas apibus, nunc alludit ad fremitum populi & concionis, quamvis & per se sonum edere possint substantiæ, utut incorporeæ.

Ad-

Adversos *p* legere, & venientum discere vultus.
Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde sequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illustres animas, nostrumque in *q* nomen ituras,
Expediam dictis, & te tua fata docebo.
Ille (vides ?) *r* pura juvenis qui nititur hasta,
Proxima sorte tenet lucis loca, primus ad auras
Ætherias *s* Italo commistus sanguine surget
t Sylvius, *u* Albanum nomen, tua *x* postuma proles:
Quem tibi longævo *y* serum Lavinia conjux
Educet sylvis regem, regumque parentem.
Unde genus longa nostrum dominabitur Alba.
* Proximus ille Procas Trojanæ gloria gentis,
Et ? Capys, & Numitor: & qui te nomine reddet,
a Sylvius Æneas, pariter pietate, vel armis
Egregius, *b* si unquam regnandam acceperit Albam.
Qui juvenes quantas ostentant, aspice, vires.
At qui umbrata gerunt *c* civili tempora *c* quercu,
Hi tibi *d* Namentum, & *e* Gabios, urbemque *f* Fidenam,
Hi *g* Collatinas imponent montibus arces,
h Pometios, *i* Castrumque Inui, *k* Bolamque *l* Coramque.
Hæc tum nomina erunt, nunc sunt sine nomine terræ.
Quin & *m* avo comitem sese Mavortius addet

p Lustrare & discernere. & lupr. *Perlegerent oculis omnia.* *q* Familiam, gentem. Alio enim cessit nomen. ut p. 101. not. g. dictum.

r Non præpilata, sine ferro. Alii, incruenta. Cujusmodi hasta quæ tyroni convenit magis quam regi. Cerda sceptrum intelligit & probat. cui & σκήπτρα.

s Ex Lavinia Latini filia.

t In sylvis natus, quo fugerat Lavinia, metu Ascanii, post mortem Æneæ. *u* Albani enim reges omnes ab eo dicti Sylvii. *x* Non eum significat, inquit Cæsellius apud Agellium lib. 2. c. 16. qui patre mortuo, sed qui postremo loco natus est. qui Ænea jam sene, tardo seroque partu est editus. Qui posthumum defendunt, natum sc. patre mortuo, interpretantur *longævo* ævum cum Diis agenti, hoc est, immortali, quod Anchises jam præscire poterat Æneam indigetem futurum. sic δαροβίοισι θεοῖσι. apud Æschylum. Parrhas. Epist. 34. Sed vide etiam interpretationem Er. Luisini l. parergon. cap. 4 nec non Gul. Canter. l. 2. novar. Lect. c. 10. Sed a prima expositione stat Ausonius Epist. 17. *Ut quondam in Albæ montibus Postremus* Ænea satus. *y* Τηλύγετον. Evander de Pallante l. 8. *Almea sola & sera voluptas.* * Non loco ascendendi in vitam, sed standi coram Anchise. Erit enim decimus tertius rex Albanorum, pater Numitoris & Amulii. Neque justum observat ordinem noster, neque consentiunt historici. Dion. l. 1. Antiq. Liv. l. 1. Ovid. 4. Fast. ? Septimus ab Ascanio, ut & Numitor decimus quartus, vel quintus. *a* Tertius. *b* Vix enim & sero, anno sc. quinquagesimo tertio recuperavit regnum quod invaserat tutor ipsius. *c* Coronas querneas, ob cives servatos, & urbes conditas. Agell. lib. 5. c. 6. *d* Opp. Sabinorum. *e* Antiqui Latii urbem, in via Prænestina, Sext. Tarquinii dolo interceptam. *f* Fidenas, Sabinorum opp. *Castel Iubileo* hodie, ab Urbe 5. mille. *g* Collatiam, Sabinorum opp. in montibus, ab Urbe 4. mill. in via Tiburtina. *h* Suessam Pometiam, Volscorum opp. *i* Castrum Inui. i. Panos in Volscis, hodie *Cornetto*. *k* Æquorum opp. in confinio Latinorum. jamdudum sine vestigiis. *l* Volscorum opp. hodie retinens nomen. Cluver. 3. l. Italiæ antiquæ, 8. cap. qui exactissimus Italiæ pervestigator de his consulendus. *m* Romulus Martis ex Ilia filius, Numitori avo regnum restituet, cum eo aliquamdiu regnabit.

Romu-

Romulus, *u* Assaraci quem sanguinis Ilia mater
Educet. viden', ut geminæ stant vertice cristæ,
Et *o* pater ipse suo superûm jam signat honore?
En hujus, nate, auspiciis illa inclyta Roma
Imperium terris, animos, æquabit Olympo:
p Septemque una sibi muro circundabit arces,
Felix prole *q* virûm: qualis *r* Berecynthia mater
Invehitur curru Phrygias *s* turrita per urbes,
Læta Deûm partu, centum complexa nepotes,
Omnes cœlicolas, omnes supera alta tenentes.
Huc geminas, huc flecte acies: hanc aspice gentem,
Romanosque tuos: hic * Cæsar, & omnis Iuli
Progenies, magnum *t* cœli ventura sub axem.
Hic vir, hic est, tibi quem promitti sæpius audis,
Augustus Cæsar, divûm genus. ** aurea condet
Sæcula qui rursus Latio, regnata per arva
Saturno quondam: *u* super & Garamantas, & Indos
Proferet imperium. *x* jacet extra sidera tellus,
Extra anni, solisque vias: ubi cœlifer Atlas
y Axem humero torquet stellis ardentibus aptum:
z Hujus in adventu jam nunc & Caspia regna
Responsis horrent divûm, & Mæotica tellus,

u A quo deductum stemma, hinc Capyos, Anchisæ, Æneæ, illinc Priami.

o Mars Romulum in deorum numerum relatum nomine suo Quirini & honore insignit. *Quirinus Martia equis Acheronta fugit.* Hor. 3. l. 3. ode. Alii ad Jovem referunt Romuli apotheosin, utpote cujus solius sit transcribere heroas in Deorum album.

p Hunc versum habes 2. Georg. sub fine, vide quæ nos ibi. *b* Fortium & magnanimorum. de quorum virtute, ut & de ipsa Roma in necessariis his angustiis satius est nihil quam pauca dicere. pleni sunt omnes libri, historiæ, monimenta. *r* Cybele, Deum mater, a Berecyntho monte Phrygiæ. *s* An quia urbis Midæ clausæ muros capite levavit ingressa? an *Quod primis turres urbibus illa dedit?* an quia eadem cum Vesta quæ terra? * Julius Cæs. quem ceteris regibus omissis Romulo adjungit, ut secundum conditorem. *t* Utrumne, Deorum turmalibus adscribendi? an simpliciter, emersuri in lucem. ** Ecloga 4. *u* Ab Europa extendet Imperium in Africam & Asiam, in illa Garamantes, in hac Indi. *x* Proferetque imperium ultra tellurem, siqua habitatur (namque de hoc ambigebant veteres) extra sidera majora & planetas qui intra Tropicos decurrunt, ultra τὸν κεκαυμένον, nempe ἀντάξονα nobis. Sed quid dicemus de Atlante? qui uterque intra Zodiacum situs, imo citra Æquatorem? Vel igitur Poeta in honorem Augusti sedem Atlanti adsignat nota remotiorem usque ad Æthiopas, quos M. Perronius Romanorum dux subegit: ubi Herodoto, Pomponio & Plinio sunt Atlantes populi. vel, respexit ad insulam Atlantis, cujus meminit Plato in Timæo, & alii, novum sc. orbem, a Columbo repertum Anno Salutis MCDXCII. quem tamen sciviſſe magis illos quam noviſſe scribit Lipsius in epist. ad Frid. Taubmannum. qua de re vide quæ H. Salmuth adnotat ad 1. tit. Panciroli de nove repertis. namque hic ut in plerisque salebris hæret a nostris interpretibus. *y* Vide quæ nos ad hunc versum pag. 196. f. *z* Oracula utcunque defecerunt nato Christo, nascituro tamen Oraculi ab omni parte Mundi, qua Caspium mare & Portæ in Asia, qua Mæotis palus in Europa, qua Nilus in Africa, responsum est, Toti orbi terrarum nascituram invictum imperatorem, quod ad Augustum trahebatur, unde servitutem horrebant trepidi. Suet. Aug. cap. 94.

Et

Et septem gemini turbant trepida ostia Nili.
a Nec vero Alcides tantum telluris obivit :
Fixerit b æripedem cervam licet, aut Erymanthi
Placarit nemora, & c Lernam tremefecerit arcu.
Nec d qui pampineis victor juga flectit habenis,
Liber, agens celso Nysæ de vertice tigres.
e Et dubitamus adhuc virtutem extendere factis ?
Aut metus Ausonia prohibet consistere terra ?
f Quis procul ille autem ramis insignis olivæ
Sacra ferens ? g nosco crines, incanaque menta
Regis Romani, primus qui legibus urbem
Fundavit, Curibus parvis, & paupere terra
Missus in imperium magnum. Cui deinde subibit
h Otia qui rumpet patriæ, residesque movebit
Tullus in arma viros, & jam desueta triumphis
Agmina : quam juxta sequitur jactantior i Ancus,
Nunc quoque jam nimium gaudens popularibus auris.
Vis & k Tarquinios reges ; l animamque superbam
Ultoris Bruti, fascesque videre receptos ?
Consulis imperium hic primus, sævasque secures
Accipiet : m natosque pater nova bella moventes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit
Infelix, n utcunque ferent ea facta minores :
Vincet amor patriæ, laudumque immensa cupido.
Quin o Decios, p Drusosque procul, q sævumque securi

a Terris ab Hercule & Baccho devictis anteponit Aug. victorias.
b Χαλκό-ποδα. alii, æripedem ἀτάλλοποδα propugnant. Brod. Misc. 2. l. 29. c.
c Hydram in Lerna palude contecerit. variant tamen fabb. ab arcu.
d Bacchus ex India, in qua urbs Nysa, victor, vehebatur curru, quem traxerunt tigres junctæ, quas ille regebat pampineis habenis.

e Et dubitamus tamen per virtutem arduam grassari ad tantam gloriam, tantum imperium, tantos nepotes ? f Redit desultoria relatione ad reges Romanos. quoniam vero successio regiæ stirpis in Romulo defecit, fingit se ægre agnoscere Numam a Curibus Sabinorum urbe accitum in regnum Rom. pacis, religionis, legum latorem. g Agnosco ex crine & valde cana barba Numam secundum regem Rom. *Sed de his regibus, & illustribus viris qui seq. videndi Dionysius, Livius, Plutarchus, historici alii. fusiorem enim relationem non admittunt marginales angustiæ.* h Tullus Hostilius. ad arma concitatior, tertius rex. i Martius Ancus, Numæ ex filia nepos, cui favore patrum & plebis delatum Regnum, quartus rex. k Tarq. Priscum, quintum regem ; & Tarq. Superbum, septimum. omisso Servio Tullo, qui sextus ; Forte quia a serva natus est, & a Tarquinio genero trucidatus ; per cujus cadaver filia carpentum egit. l Nobilem animum Junii Bruti Lucretiam ulti a Sexto Tarquinii filio stupratam, regibus exactis, asserta libertate, regum insignibus, fascibus sc. & securibus ad annuum Consulum Imperium translatis. m Filios suos 2 inter alios nobiles juvenes de reducendis Tarquiniis conjuratos ipse Brutus primus cum Tarq. Collatino Consul virgis cæsos securi feriri jubebit. n Utcunque judicabunt posteri de hoc Bruti facto (leg. alii & fata) patriæ tamen amor & justitiæ laus præponderabunt naturalem affectum. o Patrem & filium qui se pro salute legionum & patriæ devoverunt, pater bello Latino, filius Gallico. p Neronem, qui Hasdrubalem fratrem Annibalis cum exercitu vicit, & Claudium, Augusti privignum, qui Germanos domuit. q T. Manlium, qui Dictatorem filium suum securi cædi jussit, quod provocatus ab hoste contra imperium patrium pugnasset, utcunque feliciter.

Aſpice Torquatum, & r referentem ſigna Camillum.
ſ Illæ autem, paribus quas fulgere cernis in armis,
Concordes ſ animæ nunc, & dum t nocte premuntur,
Heu quantum inter ſe bellum, ſi lumina vitæ
Attigerint, quantas acies, ſtragemque ciebunt?
Aggeribus u ſocer Alpinis, atque arce Monœci
Deſcendens; x gener adverſis inſtructus Eois.
y Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella,
Neu patriæ validas in viſcera vertite vires.
z Tuque prior, tu parce, a genus qui ducis Olympo,
Projice tela manu ſanguis meus.
b Ille triumphata Capitolia ad alta Corintho
Victor aget currum, cæſis inſignis Achivis.
c Eruet ille Argos, Agamemnoniaſque Mycenas,
Ipſumque Æaciden, genus armipotentis Achilli,
Ultus avos, Trojæ, Templa & temerata Minervæ:
Quis te, d magne Cato, tacitum, aut te, e Coſſe relinquat?
Quis f Gracchi genus? aut geminos duo fulmina belli,
Scipiadas, g cladem Libyæ? h parvoque potentem
Fabricium? Vel te i ſulco, k Serrane, ſerentem?
l Quo feſſum rapitis m Fabii? tu maximus ille es,

r Quæ Galli duce Brenno abſtulerant, victis hoſtibus & urbe ſibi reſtituta. Liv. ſ. Plutarch. in Camillo. Polyb. 2. Florus. l. 1. cap. 13.
ſ Cæſaris, & Pompeji.
t Nondum ingreſſæ vitam.
u Cæſar, cujus filia Julia Pompejo nupſerat, legionibus & auxiliis e Gallia per Alpes & arcem Herculis Monœci (vide quæ nos ad Lucan. 1. l. pag. 16.) deductis.
x Pompejus milite ſuo & auxiliis regum & pop. Orientalium inſtructus.
y Dehorratur blande & cum affectu compellatos ſenex a bello civili.
z Cæſar, victor, qui certe victoria clementer uſus eſt.
a Propter Venerem, Æneam, Julum, unde duxit Cæſar originem.
b L. Mummius, qui vicit Achæos, Corinthum delevit, triumphans egit currum ad Capitolium, pro more triumphantium.
c Paulus Æmilius ſubvertit Græciæ urbes & vires, Perſen Macedoniæ regem vincit, qui originem ducit ab Æacida Achille, ultus Trojanos, unde Romani deſcendunt, & templum Minervæ pollutum furto Palladii & ſtupro Caſſandræ.
d Cato major. cenſorie. qui max. Orator, max. Imperator, max. Senator.
e Cornelius Coſſus victo Larte Tolumnio Vejentum rege opima ſpolia Jovi Feretrio tulit.
f Sempronium & filios Tiberium & Cajum, ex Cornelia, viros eloquentia claros, ſed infelices.
g Scip. Major Carthaginem tributariam fecit, Minor delevit.
h Continentem, in re tenui repudiantem a Samnitum legatis oblatum aurum.
i Al. *ſulcos*.
k C. Atilium invenit Conſulatus oblatus ſerentem agros, unde Serrani cognomen. Plin. 18. l. 3. c.
l Adverte, lector, ſummum conſiliariſſimi Poetæ artificium. Supra deſtinarat clarare Auguſtum. noluit exſpectare locum proprium, ſed interturbato ordine, proxime Romulum, locatum tanquam alterum Romæ conditorem pleno ſpiritu ad cœlum ſuſtulit. Hic, in gratiam Atiæ ſororis Auguſti, quæ mater Marcelli. & hunc celebrare ſtatuit. Sed qua arte? quibus gradibus? fingit ſe multitudine Romanorum qui virtutibus pacis ac belli claruerunt preſſum, & torrente laudum ſerie feſſum, nullo tamen modo omittere poſſe Fabios, & in his Fabium Maximum, Romanorum in bello Punico ſecundo, contra Annibalem, clypeum; hinc neceſſe habet nominare etiam Marcellum in eodem bello Romanorum gladium; ab hoc deſcendit ad Marcellum Atiæ filium, quem juxta addit comitem, cujus laude & luctu abſolvit catalogum, & coronidem huic libro addit.
m Cujus familiæ 306 uno prælio contra Vejentes ad Cremeram fl. interierunt.

n Unus qui nobis cunctando restituis rem,
o Excudent *p* alii spirantia *q* mollius æra;
Credo equidem, vivos ducent de marmore vultus:
Orabunt causas melius, cælique meatus
Describent radio, & surgentia sidera dicent.
Tu regere imperio populos, Romane, memento,
(Hæ tibi erunt artes) pacique imponere morem:
Parcere subjectis, & debellare superbos.
Sic pater Anchises: atque hæc mirantibus addit:
Aspice, ut insignis spoliis *r* Marcellus *s* opimis
Ingreditur, victorque viros superemmet omnes.
Hic rem Romanam, magno turbante *t* tumultu,
Sistet *u* eques: *x* sternet Pœnos, Gallumque rebellem,
y Tertiaque arma patri suspendet capta Quirino.
Atque hic Æneas: (una namque ire videbat
Egregium forma juvenem, & fulgentibus armis;
Sed frons læta parum, & dejecto lumina vultu;)
Quis, pater, ille, *z* virum qui sic comitatur euntem;
Filius? anne aliquis magna de stirpe nepotum?
Quis strepitus circa comitum? *a* quantum instar in ipso est?
Sed *b* nox atra caput tristi circumvolat umbra.
Tum pater Anchises lacrymis ingressus obortis:
O nate, ingentem luctum ne quære tuorum;
c Ostendent terris hunc tantum fata, neque ultra
Esse sinent: *d* nimium vobis Romana propago
Visa potens, superi, propria hæc si dona fuissent.

n Versus Ennianus. Qui cum Annibalem frangere non posset cunctando minuebat. *o* Aliæ gentes sibi habeant aliarum artium principatum; Romana gens paci belliquæ media aliis imperet, supplices & afflictos defendat, injuros & insolentes ulciscatur. *p* Corinthios innuere videtur, ut & Athenienses eloquentia claros, Chaldæos & Ægyptios astronomia. *q* Horat. ad Pisones, *molles imitabitur ære capillos.* *r* Claudius Marcellus, qui docuit Annibalem posse vinci. modo. *s* Optima spolia sunt arma quæ ipse dux duci victo cæsoque exuit, & dedicat Jovi Feretrio. supra de Corn. Cosso. *t* Proprie. Est enim tumultus aut domesticus, ut Italicus; aut finitimus, ut Gallicus. quo de hic Poeta. cæso sc. Viridomaro eorum rege. Plutarchus in Marcelli vita. *u* Cum equitatu eum contendisse adversus Gallos & vicisse refert idem Plutarch. *x* Quod fecit bis ad Nolam devicto Annnibalis exercitu. *y* Quirinum. i. Romulum autorem secutus, appendit illi sua arma opima, sed quæ Jovi Feretrio dedicata. Namque quod ajunt, ex lege Numæ, prima spolia opima debere suspendi Jovi, secunda Marti, tertia Romulo, capiendum est si quis unus tria suspendat spolia opima; non, si plures. *z* Cl. Marcellum Cos. *a* Quanta indoles & spes ad summos honores & gloriam? *vel*, quam refert superiorem illum Marcellum? unde sperandum est fore ut illum virtute æquiparet. *b* Morris germana, & præsagium. *c* Introibit vitæ hoc theatrum, tantum ut exeat, natus enim annos 18. ut alii, 20. interiit Ant. Musæ medici incuria. vide Joseph. Scalig. ad 17. el. 3. l. Propert. *d* Invidistis sc. Romanis diuturnam vitæ ipsius usuram, & perpetuum tanti viri futuri donum.

e Quan-

e Quantos ille virûm magnam Mavortis ad urbem
Campus agit gemitus! vel quæ Tiberine, videbis
Funera, cum tumulum præterlabêre recentem!
Nec puer Iliaca quisquam de gente Latinos
In tantum spe tollet avos: nec f Romula quondam
Ullo se tantum tellus jactabit alumno.
Heu pietas, heu prisca fides, invictaque bello
Dextera! non illi quisquam se impune tulisset
Obvius armato, seu cum pedes iret in hostem,
Seu spumantis equi foderet calcaribus armos.
Heu miserande puer, g si qua fata aspera rumpas,
Tu Marcellus eris. manibus date lilia plenis:
Purpureos spargam flores: h animamque nepotis
His saltem accumulem donis, & fungar i inani
Munere. Sic tota passim regione vagantur
k Aëris in campis latis, atque omnia lustrant.
Quæ postquam Anchises natum per singula duxit,
Incenditque animum famæ venientis amore:
Exin bella viro memorat, quæ deinde gerenda:
Laurentesque docet populos, urbemque Latini:
Et quo quemque modo fugiatque feratque laborem.
Sunt geminæ l somni portæ: quarum altera fertur
Cornea, qua veris faciles datur exitus umbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto:
Sed falsa m ad cœlum mittunt insomnia manes.
His ubi tum natum Anchises, unaque Sibyllam
Prosequitur dictis, portaque emittit eburna.
Ille viam secat ad nàves, sociosque revisit.
Tum se ad Cajetæ recto fert litore portum:
Anchora de prora jacitur: stant litore puppes.

e Quanto luctu, quanta pompa ducetur funus illius in Campo Martio, juxta Tiberim? sexcentis sc. lectis ornatum. f Romulea Romana. g Quod si Deorum benignitate aut qua ratione alia poteris fatalem moriendi necessitatem effugere, tu vero eris Marcellus. Fertur poeta recitasse librum hunc sextum coram Augusto, præsente Octavia, quæ audito nomine filii sui quod ille hucusque suspenderat, spiritu defecisse dicitur; refocillata tandem fletu atque ejulatu omnia miscuisse, sed poetæ pro singulis hujus argumenti versibus dena sestertia. h. e. nostræ monetæ 78. l. 2. ss. 6. d. dari jussisse. h Pro more funerum ornandorum, maxime in juvenum funeribus, quorum immaturam mortem referebant flores illi decerpti sparsique. i Sic l. 11. *Nos juvenem exanimum* Pallantem *vano mœsti comitamur honore* k Ubi inanis plaga, & umbræ aeriæ. per ἠερόεντα κενεάδα. l Somnii. Hom. δοιαὶ πύλαι εἰσὶν ὀνείρων, &c. Cum duas somniorum portas faciat, Corneam unam, oculorum sc. a cornea tunica; Eburneam alteram, oris, cujus septum dentium eburneum, illam veram, hanc falsam; quia quæ videntur certiora sunt, quam quæ audiuntur ore prolata; Æneam porta eburnea emittit; obscure ac symbolice indicans totam hanc περαϑολογίαν, descensum & relationem de inferis æque vera esse ac somnia ex eburnea porta emissa. Macrob. l. 1. in Somn. Scip. c. 3. m Ad regionem mortalium, qui Manibus superi. somnia autem ab inferis mitti credita.

ÆNEIDOS LIB. VII.

ARGUMENTUM.

CAjeram nutricem ſuam Æneas ſepelit, locumque ipſum ab ejus nomine Cajetam appellat. Inde Circes ſedem prætervehitur, ſecundoque vento ad Tiberis oſtia defertur; adverſoque flumine ſubvectus, in Laurentem agrum egreditur. Ibi cum ex Aſcanii verbis cognoviſſet eam eſſe terram fatis ſibi debitam, ad Latinum regem, qui ejus tractus regnum obtinebat, centum oratores mittit, qui & ſuo nomine illi munera offerrent, & urbis condendæ locum peterent. Latinus legatione benigne audita, præter poſtulata Laviniam filiam ſuam, quam ex Fauni (patris ſui oraculis, & Augurum reſponſis externo viro tradere jubebatur) ultro Æneæ conjugem offert. Interim Juno, proſperis Trojanorum rebus offenſa, Alecto ad diſturbandam pacem ab inferis evocat: quæ primum Amatam, Latini uxorem, deinde ipſum etiam Turnum furiis ſuis implet: atque inde ad Trojanorum juventutem converſa, quæ tum forte venationi operam dabat, manſuetum illis cervum objicit, Tyrrhi Armentarii regii liberis imprimis charum; quem cum Aſcanius ſagitta vulneraſſet, ruſtici arreptis armis in Trojanos impetum faciunt. Alecto ex ſuperiore loco claſſicum canit: cadunt in eo tumultu Almon Tyrrhi filius natu maximus, & Galeſus agricola regionis totius locupletiſſimus: qui cum in urbem mortui eſſent relati, Turnus, & Amata regem Latinum ad bellum ſuſcipiendum, injuriamque manu vindicandam exſtimulant. Verum cum ille & fatorum, & fœderis nuper cum Trojanis initi memor, adduci non poſſet, ut illis bellum indiceret, Juno ipſa belli portas aperuit. Turni auſpicia ad bellum ſequitur Mezentius: una cum Lauſo filio: item Aventinus Herculis ex Rhea filius, Catillus & Coras Tiburtini, fratres, Camilla ex Volſcorum gente, mulier fortiſſima, aliique complures, quorum catalogus ad finem libri recenſetur.

TU[a] quoque litoribus noſtris Æneïa nutrix
Æternam moriens famam Cajeta dediſti:
Et nunc [b] ſervat honos ſedem tuus: oſſaque nomen
[c] Heſperia in magna (ſi qua eſt ea gloria) ſignat.
At pius exſequiis Æneas rite ſolutis,
Aggere compoſito tumuli, poſtquam alta quierunt
Æquora, tendit iter velis, portumque relinquit.
Adſpirant auræ in [d] noctem: nec candida curſum
Luna negat: ſplendet tremulo ſub lumine pontus:
Proxima Circææ raduntur litora terræ:
[e] Dives [f] inacceſſos ubi Solis filia lucos

[a] Sicut Palinurus promontorio in Lucania; Miſenus monti in Campania, lib. 5. & 6. ſic & tu nutrix Æneæ nomen dediſti portui. Quem tamen alii a καίετα dictum volunt, quod ibi Trojanorum claſſis incenſa fuerit, alii a καίρτης, quod Laconibus cavitatem ſonat, h. e. Sinum, portum. [b] Sedes ſervat tuum honorem. Hypallage. [c] Italia, dicta Græcis quod ad Veſperum ſita eſſet. Ut Italis Hiſpania, dicta Heſperia ultima, magna a. armis & gloria. eſt enim minor quam Hiſpania. Poetis dicitur ab Heſpero fratre Atlantis. [d] Circa noctem, ubi increbreſcunt auræ. [e] Expreſſa hæc ex Hom. 5. Odyſſ. de Calypſo & 10. de Circe. vide & hæc imitatum Ovidium 14. Metam. [f] Nulli impune adeundos.

Aſſiduo

Assiduo * resonat g cantu : tectisque superbis
Urit odoratam nocturna in lumina h cedrum,
Arguto tenues percurrens pectine telas.
Hinc exaudiri gemitus, iræque leonum
Vincla recusantum, & sera sub nocte rudentum :
Setigerique sues, atque in præsepibus ursi
Sævire, ac formæ magnorum ululare luporum :
Quos hominum ex facie i dea sæva potentibus herbis
Induerat Circe in vultus, ac terga ferarum.
Quæ ne monstra pii paterentur talia Troës,
Delati in portus, neu litora dira subirent,
Neptunus ventis implevit vela secundis :
Atque fugam dedit, & præter vada fervida vexit.
Jamque rubescebat radiis mare, & æthere ab alto
Aurora in roseis fulgebat lutea bigis :
Cum venti k posuere, omnisque repente resedit
Flatus, & in lento luctantur marmore tonsæ.
Atque hic Æneas ingentem ex æquore lucum
Prospicit : hunc inter fluvio l Tiberinus amœno,
Vorticibus rapidis, & multa flavus arena
In mare prorumpit : variæ circumque supraque
Assuetæ ripis volucres : & fluminis alveo,
Æthera mulcebant cantu, lucoque volabant.
Flectere iter sociis, terræque advertere proras
Imperat, & lætus fluvio succedit m opaco.
Nunc age, qui reges, n Erato, quæ tempora rerum,
Quis Latio antiquo fuerit status, advena classem
Cum primum Ausoniis exercitus appulit oris,
Expediam : & primæ revocabo exordia pugnæ.
Tu vatem, tu diva mone. dicam horrida bella :
Dicam acies, actosque animis in funera reges,
Tyrrhenamque manum, totamque sub arma coactam
Hesperiam : major rerum mihi nascitur ordo :
Majus opus moveo. o Rex arva Latinus, & urbes
Jam senior longa placidas in pace regebat.
Hunc Fauno, & nympha genitum Laurente p Marica
Accipimus. Fauno Picus pater : isque parentem
Te Saturne refert : tu sanguinis q ultimus author.
Filius huic fato Divûm prolesque virilis
Nulla fuit, primaque oriens erepta juventa est,
Sola domum & tantas r servabat filia sedes,
Jam matura viro, jam plenis nubilis annis.
Multi illam magno è Latio, totaque petebant

* Resonare facit.
g Leniendo lanæ ac telæ studio. 1. Georg.
h Faces; vel oleum e cedro, in usum lampadum.
i Solis filia, Circe venefica.
k Se posuere, quievere.
l Fl. ipse, vel Deus fluminis.
m Umbra sylvæ, quam mediam interfluit.
n Cur Musa quæ *nomen amoris habet* invocatur ad bella dicenda? An pro Calliope ponitur, Musa pro Musa? An quia orta hæc bella ex amore & nuptiarum Laviniæ ambitu?
o Aborigi-num rex.
p Minturnensis litoris juxta Lirim fl. ex Circe facta Dea dicta, & *Fauna*. q Primus, ultra quem non ascenditur. r Paterni regni hæres.

Ausonia: petit ante alios pulcherrimus omnes
ſ Turnus, avis, atavisque potens: quem t regia con-
jux
Adjungi generum miro properabat amore:
Sed variis u portenta deûm terroribus obstant.
x Laurus erat tecti medio, in penetralibus altis,
Sacra comam, multosque y metu servata per annos:
Quam pater inventam primas cum conderet arces,
Ipse ferebatur Phœbo sacrasse Latinus;
z Laurentisque ab ea nomen posuisse colonis.
Hujus apes summum densæ (mirabile dictu)
Stridore ingenti, liquidum trans æthera vectæ,
Obsedere apicem: & pedibus per mutua nexis
Examen subitum ramo frondente pependit.
Continuo vates: Externum cernimus, inquit,
Adventare virum: & partes petere agmen easdem
Partibus ex iisdem, & summa dominarier arce.
a Præterea castis adolet dum altaria tædis;
Et juxta genitorem astat Lavinia virgo,
Visa (nefas) longis comprendere crinibus ignem,
Atque omnem ornatum flamma crepitante crema-
ri:
Regalesque accensa comas, accensa coronam
Insignem gemmis: tum fumida lumine fulvo
Involvi, ac totis b Vulcanum spargere tectis.
Id vero horrendum, ac visu mirabile ferri:
Namque fore illustrem fama fatisque canebant
Ipsam sed populo magnum portendere bellum.
At rex sollicitus c monstris oracula Fauni
Fatidici genitoris adit: lucosque sub alta
Consulit d Albunea: nemorum quæ maxima sacro
Fonte sonat, sævamque exhalat opaca e mephitim.
Hinc Italæ gentes, omnisque f Oenotria tellus
In dubiis g responsa petunt: huc dona sacerdos
Cum tulit, & cæsarum ovium sub nocte silenti
* Pellibus incubuit stratis, somnosque petivit,
Multa modis simulachra videt volitantia miris:
Et varias audit voces, h fruiturque deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.

ſ Rutulorum rex.
t Latini conjux, Amata.
u Prodigia.
x Primum prodigium, Examen apum considentium in apice lauri.
y Religione. *Primus in orbe Deos fecit timor.*
z Laurentis urbis, *vel* Laurenteis populos.
a Secundum prodigiū. Flamma lambens. Ductum videtur ex historia Servii Tulli. Liv. 1. lib.
b Ignem lambentem.
c Prodigiis hisce.
d Fonte & nemore agri Tiburtis, sacro Albuneæ Nymphæ, quam Sibyllam Tiburtinam indigitat Suidas.
e Sulphureum vaporem assurgentem ex aquis Albulis, cujus gravi odore afflati futura canebant. δαιμονίᾳ ἀσθμάτῳ Delphici originem vide apud Diodorum 16. lib. Biblioth. f Italia primum dicta est Hesperia, deinde Ausonia, mox Oenotria ab Oenotro Lycaonis filio Arcade, huc advecto. Cluv. 1. l. 1. c. g Oraculi hujus institutum Amphiarao auguri & somniorum interpreti referunt; Latioque illatum a Tiburno filio ejus. * Oraculum autem consulturus purgabatur primum, deinde cæsi arietis pelli incubuit, hinc per somnium captabat responsum. h Per Averni specum colloquium habet cum Diis infernis.

Hic & tum pater ipse petens responsa Latinus,
Centum lanigeras mactabat rite bidentes:
Atque harum effultus tergo, stratisque jacebat
Velleribus: subita ex alto vox reddita luco est:
Ne pete connubiis natam sociare Latinis,
O mea progenies! *i* thalamis neu crede *i* paratis.
Externi veniunt *k* generi: qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant, quorumque à stirpe nepotes
Omnia sub *l* pedibus, qua sol utrumque recurrens
Aspicit Oceanum, vertique regique videbunt.
Hæc responsa patris Fauni, monitusque silenti
Nocte datos, non ipse suo premit ore Latinus:
Sed circum late volitans jam fama per urbes
Ausonias tulerat: cum Laomedontia pubes
Gramineo ripæ religavit ab aggere classem.
Æneas, primique duces, & pulcher Iülus
Corpora sub ramis deponunt arboris altæ:
Instituuntque dapes, & adorea *m* liba per herbas
Subjiciunt epulis, (*n* sic Jupiter ipse monebat)
Et *o* Cereale solum pomis agrestibus augent.
Consumptis hic forte aliis, ut vertere morsus
Exiguam in *p* Cererem penuria adegit edendi:
Et *q* violare manu, malisque audacibus *r* orbem
s Fatalis crusti, patulis nec parcere quadris:
Heus etiam mensas consumimus, inquit Iülus:
Nec plura alludens, ea vox audita laborum
Prima tulit finem: primamque loquentis ab ore
Eripuit pater, ac stupefactus numine pressit.
Continuo, Salve fatis mihi debita tellus,
Vosque, ait, ô fidi Trojæ salvete Penates.
Hic domus, hæc patria est: *t* genitor mihi talia namque
(Nunc repeto) Anchises fatorum arcana reliquit:
Cum te, nate, fames ignota ad litora vectum
Accisis coget dapibus consumere mensas:
Tum sperare domos defessus: ibique memento
Prima locare manu, molirique aggere tecta.
Hæc erat illa fames: hæc nos suprema manebant
u Exitiis positura modum.
Quare agite, & primo læti cum lumine Solis,
Quæ loca, quive *x* habeant homines, ubi mœnia gentis

i Turni.
k Genere, Synecd. numeri.
l Ditione, imperio.
m Ex farre, melle, oleo placentas.
n Διὸς ὁ' ἐτέλεστο βουλή.
o Onerant mensas. i.e. liba adorea, vel quadras e pane, fructibus aliisque eduliis.
p Mensas adoreas.
q Mensæ enim sacræ habitæ.
r Placentam orbicularem in quatuor partes sectam.
s Erat enim in fatis, & ab Harpyia Celæno prædictum supra lib. 3. non prius habituros errorum & laborum finem, quam dira eos fames adegisset mensas absumere.
t Εὐφημισμοῦ gratia tribuit patri quod edixerat Harpyia. vel forte idem prædixerat Anchises. *u* Maris erroribus. *nam terra graviora manent.* *x* Incolant, habitent.

Vestigemus, & à portu diversa petamus.
Nunc *y* pateras libate Jovi, precibusque vocate
z Anchisen genitorem; & vina reponite mensis.
Sic deinde affatus, *a* frondenti tempora ramo
Implicat, & *b* Genium que loci, primamque Deorum
Tellurem, Nymphasque, & adhuc ignota precatur
Flumina: tum Noctem, Noctisque orientia signa,
c Idæumque Jovem, *d* Phrygiamque ex ordine *d* matrem
Invocat: & *e* duplices Cœloque, Ereboque parentes.
Hic pater omnipotens ter cœlo *f* clarus ab alto.
Intonuit: radiisque ardentem lucis, & auro,
Ipse manu quatiens ostendit ab æthere nubem.
g Diditur hic subito Trojana per agmina rumor,
Advenisse diem, quo debita mœnia condant.
Certatim instaurant epulas, atque omine magno
Crateras læti statuunt, & vina *h* coronant.
Postera cum prima lustrabat lampade terras
Orta dies: urbem, & fines, & litora gentis
Diversi explorant: *i* hæc fontis stagna Numici,
Hunc Tibrim fluvium: hic forteis habitare Latinos.
Tum satus Anchisa, delectos ordine ab omni,
Centum oratores augusta ad mœnia regis
Ire jubet, *k* ramis velatos *k* Palladis omnes:
Donaque ferre viro, pacemque exposcere Teucris.
Haud mora: festinant jussi, rapidisque feruntur
Passibus, ipse humili *l* designat mœnia fossa,
Moliturque locum, primasque in litore sedes
Castrorum in morem pinnis, atque aggere cingit.
Jamque iter emensi, turres & tecta *m* Latinorum
Ardua cernebant juvenes, muroque subibant.
Ante urbem pueri, & primævo flore juventus
Exercentur equis: domitantque in pulvere *n* currus:
Aut acres tendunt arcus, aut lenta lacertis
Spicula contorquent: cursuque ictuque lacessunt.
Cum prævectus equo, longævi regis ad aures
Nuncius, ingentes ignota in veste reportat
Advenisse viros. Ille intra tecta vocari
Imperat: & solio medius consedit avito.

y Metonymia continentis.
z Consecratum scil. ut lib. 5.
a Ex more sacra facientium.
b Regionem aliquam ingressis religiosi moris erat Genios loci Deosque Topicos salutare.
c Ab Ida monte Phrygiæ, vel Ida Cretæ, incunabulis Jovis celebri.
d Cybelen.
e Venerem apud Superos, Anchisen apud inferos.
f Claro sono & sereno cœlo, quod fausti erat ominis.
g Longe lateque spargitur. Lucret. lib. 5. de fulmine; *inde omnis flammarum diditur ardor.*
h Non vino tantum ad summam coronam & marginem implent, inquit Turnebus lib. 27. c. 13. Sed & crateras floreis coronis ornant, convivalis hilaritatis causa & libationis. *i* Et exploratum referunt, hæc esse stagna Numicii, &c. *k* Oleaginis, ut qui pacem peterent. *l* Sulco, fossa, vallo & aggere pinnato in morem castrorum munit adversum vim omnem & impetum. *m* Al. *Latini*. ad cavendum Hypermetrum. *n* Equos sub curribus. Allusum autem ad exercitia pubis & juventutis Rom.

Tectum

Tectum augustum, ingens, centum sublime columnis
o Urbe fuit o summa, Laurentis regia Pici,
p Horrendum sylvis, & religione parentum.
q Hinc sceptra accipere, & primos attollere fasces
Regibus omen erat: hoc illis curia templum,
Hæ sacris sedes epulis: hic ariete cæso
Perpetuis soliti patres considere mensis.
Quinetiam veterum r effigies ex ordine avorum
Antiqua ex ſ cedro, Italusque, paterque Sabinus,
Vitisator curvam servans sub imagine falcem,
Saturnusque senex, Janique bifrontis imago,
Vestibulo astabant: aliique t ab origine reges,
Martia qui ob patriam puguando vulnera passi.
u Multaque præterea sacris in postibus u arma,
Captivi pendent currus, curruque secures,
Et cristæ capitum, & portarum ingentia claustra,
Spiculaque, clypeique, ereptaque rostra carinis.
x Ipse Quirinali lituo, parvaque sedebat
Succinctus y trabea, lævaque z ancile gerebat
Picus equûm domitor: quem capta cupidine a conjux
b Aurea percussum virga, versumque c venenis,
Fecit avem Circe, sparsitque coloribus alas.
Tali intus templo divûm, patriaque Latinus
Sede sedens, Teucros ad se in tecta vocavit,
Atque hæc ingressis placido prior edidit ore:
Dicite Dardanidæ (neque enim ignoscimus & urbem,
Et genus, auditique advertitis æquore cursus)
Quid petitis? quæ causa rates, aut cujus egentes
Litus ad Ausonium tot per vada cærula vexit?
Sive errore viæ, seu tempestatibus acti,
(Qualia multa mari nautæ patiuntur in alto)
Fluminis intractis ripas, portuque sedetis:
Ne fugite hospitium: neve ignorate Latinos
Saturni gentem, d haud vinclo, nec legibus æquam,
Sponte sua, veteriſque dei se more tenentem.
Atque equidem memini (e fama est obscurior annis)

o Ἐν πόλει ἀκροπόλῃ Acropoli: p Arboribus consitum, quarum horror sacrum quendam horrorem animis incuteret. q Allusum ad Rom. mores. Capitolii Hastiliæ Hostiliæ, palatii. unde magistratus fasces desumebant, ubi sacra curabant, epulas dabant. r Statuæ, stemmata. ſ Quæ cariem non sentit. t Aboriginum reges. u Spolia Diis suspensa & templis affixa. x Insignis. ut 6. l. Agellius, Macrobius & Turnebus exponunt. Picus erat cum lituo, sedebatque succinctus trabea. Quirinalis vero, quali bacillo incurvo Romulus & ab illo augures cœli templa designabant. y Tunica, quam angures cocco & purpura trabeatim intertextam gerebant, aliam ab hac reges, aliam equites induebant. z Clypeum ἄγκυλον, a summa parte inflexum ad imam, ut sit quasi concavum. respicit autem mores Rom. a Circe amore illius capta; insidiis eum ambiens, sed repulsa. uxorem autem Picus habuit Canentem Jani ex Venilia filiam. vide Fab. 14. Ovid. Met. b Solis filia. Aliis placet ut contracta sit Ablat. Et referatur ad *virga*. c Veneficiis. d Non pœnis & legibus coercitam & coactam. *Non vincta minacia collo Ære ligabantur*. Ovid. 1. Met. *sed vindice nullo Sponte sua sine lege fidem rectumque colentem*. referentem scil. aurei seculi mores. e Haud ita multi sunt anni, sed fama pervagata non est. Scal.

f Aruncos ita ferre senes: his ortus ut agris
g Dardanus Idæas Phrygio penetravit ad urbes,
Threïciamque Samum, quæ nunc Samothracia fertur,
Hinc illum *h* Coriti Tyrrhena ab sede profectum,
Aurea nunc solio stellantis regia cœli
Accipit, & numerum divorum altaribus auget.
Dixerat: & dicta Ilioneus sic voce sequutus:
Rex, genus egregium Fauni, nec fluctibus actos
Atra subegit hyems vestris succedere terris,
Nec *i* sidus regione viæ, litusve fefellit.
Consilio hanc omnes, animisque volentibus urbem
Afferimur, pulsi regnis, quæ maxima quondam
Extremo veniens sol aspiciebat Olympo.
Ab Jove principium generis, Jove Dardana pubes
Gaudet avo: rex ipse Jovis de gente suprema
Troïus Æneas tua nos ad limina misit.
Quanta per Idæos sævis effusa Mycenis
k Tempestas ierit campos: *l* quibus actus uterque
Europæ, atque Asiæ fatis concurrerit orbis:
m Audiit, & si quem tellus extrema refuso
Submovet Oceano, & si quem extenta plagarum
Quatuor in medio dirimit plaga Solis iniqui.
n Diluvio ex illo tot vasta per æquora vecti,
Diis sedem exiguam patriis, litusque rogamus
o Innocuum, & *p* cunctis undamque, auramque patentem.
Non erimus regno indecores: nec vestra feretur
Fama levis, tantique abolescet gratia facti:
Nec *q* Trojam Ausonios gremio excepisse pigebit.
Fata per Æneæ juro, dextramque potentem,
Sive fide, seu quis bello est expertus, & armis:
r Multi nos populi, multæ (ne temne, quod ultro
Præferimus manibus *s* vittas, ac verba precantum)
Et petiere sibi, & voluere adjungere gentes.
Sed nos fata Deûm vestras exquirere terras
Imperiis egere suis. hinc Dardanus ortus,
Huc repetit, jussisque ingentibus urget Apollo
Tyrrhenum ad Tibrim, & fontis vada sacra Numici.

f Veteres Campaniæ pop. Rutulos vicinos. ut 11. *l.* infra. quorum traditione nititur.
g Dardanus Iovis ex Electra filius, propter fratrem Jasium interemptum ex Italia in Samothraciam fugit, inde Phrygiam. sacra, quæ ex Italia secum asportavit, retulit multa post secula Æneas.
h Arcis Etruscæ, *Cortona.* Cluv. 2. *l.* 3. c. vid. *l.* 3. *Corinum terrasque requirit Ausonias.*
i Sideris observatio.
k Belli.
l *Græcia Barbariæ lento collisa duello.* Horat. 2. Epist. lib. 1.
m Audierunt, & qui extra Herculeas fauces, qua se refundit Oceanus, habitant, & si qui sub torrida zona, quæ media est quatuor aliarum, degant.
n Clade universa belli & excidii. *o* Unde vobis nullum sit detrimentum. *p* Jure Naturæ & gentium aquæ & aeris usum liberum. *q* Trojæ reliquias, Æneadas. *r* Siculi, Pœni. *s* Supplices pacem aut veniam petentes præferebant oleæ ramos laneis vittis obvolutos, qui repræsentarent manus velamentis illigatas, vinctas & sese dedentes.

Dat tibi præterea fortunæ parva prioris
Munera, relliquias Troja ex ardente receptas.
[t] Hoc pater Anchises auro libabat ad aras :
Hoc Priami [u] gestamen erat, cum jura vocatis
More daret populus, sceptrumque, sacerque [x] tiaras,
[y] Iliadumque labor, vestes.
Talibus Ilionei dictis, defixa Latinus
Obtutu tenet ora, soloque immobilis hæret,
Intentos volvens oculos : nec purpura regem
[y] Picta movet, nec sceptra movent Priameia tantum,
Quantum in connubio natæ, thalamoque moratur :
Et veteris Fauni volvit sub pectore [z] sortem.
Hunc illum fatis externa à sede profectum
Portendi generum, paribusque in regna vocari
Auspiciis : hinc progeniem virtute futuram
Egregiam, & totum quæ viribus occupet orbem.
Tandem lætus ait : Dii nostra incepta secundent,
Auguriumque suum : dabitur, Trojane, [a] quod optas.
Munera nec sperno. non vobis, rege Latino,
Divitis [b] uber agri, Trojæve opulentia deerit.
Ipse modo Æneas (nostri si tanta cupido est,
Si jungi hospitio properat, sociusque vocari)
Adveniat, vultus neve exhorrescat amicos :
[c] Pars mihi pacis erit dextram tetigisse [d] tyranni.
Vos contra regi mea nunc mandata referte.
Est mihi nata, viro genitis quam jungere nostræ
Non patrio ex adyto sortes, non plurima cœlo
Monstra sinunt : [e] generos externis affore ab oris,
Hoc Latio restare canunt, qui sanguine nostrum
Nomen in astra ferant : hunc illum poscere fata
Et reor, &, si quid veri mens augurat, opto.
Hæc effatus, equos numero pater eligit omni.
Stabant tercentum nitidi in præsepibus altis.
Omnibus extemplo Teucris jubet ordine duci
Instratos [f] ostro alipedes, pictisque tapetis.
Aurea pectoribus demissa monilia pendent,
Tecti auro, fulvum mandunt sub dentibus [g] aurum.
Absenti Æneæ currum, geminosque jugales
[h] Semine ab ætherio spirantes naribus ignem,

[t] Hac patera aurea.
[u] Capitis gestamen, diadema.
[x] Sacerdotis mitra, infulis ornata, bucculis sub mento ligata. l. 9 *Et habent redimicula mitræ.* Persis & Turcis hodie in usu.
[a] *turbant.*
[y] Phrygæ acus opera, purpura & auro intertexta. Regia vere.
[z] Oraculi responsum.
[a] Unda, aura, terra, pax, quæcunque optas. Insuper
[b] Fertile sumen agri & ubertas soli non Trojæ ipsi cessura.
[c] Interea, donec justa sanciantur fœdera, pro pacis pignore erat juncta dextra.
[d] Regis. Τυράννου nomen initio honestum erat : postea principum improbitate odio esse cœpit
[e] Generum, Synecd. Occurrit fatis ab Ilioneo memoratis oraculum Fauno redditum Latino de genero externo.
[f] Stramentis acu pictis, ostro intertextis, & auro mox, *Tecti auro.*
[g] Frena aurea.
[h] Qui referant patres, Solis equos, *animosos ignibus illis, Quos in pectore habent, quos ore & naribus efflant.*

Illorum de gente, patri quos *i* Dædala Circe
k Supposita de *k* matre nothos furata creavit.
Talibus Æneadæ donis, dictisque Latini,
Sublimes in equis redeunt, pacemque reportant.
Ecce autem *l* Inachiis sese referebat ab Argis
Sæva Jovis conjux, auraſque invecta tenebat:
Et lætum Æneam classemque ex æthere longe
Dardaniam Siculo prospexit ab usque *m* Pachyno.
Moliri jam tecta videt, jam fidere terræ,
Deseruisse rates. sterit acri fixa dolore:
Tum quassans caput, hæc effudit pectore dicta:
Heu stirpem invisam, & fatis *n* contraria nostris
Fata Phrygum! num *o* Sigeis occumbere campis,
Num *p* capti potuere capi? num incensa cremavit
Troja viros? medias acies, mediosque per ignes
Invenere viam. *q* at, credo, mea numina tandem
Fessa jacent, odiis haud exsaturata quievi.
Quineriam patria excussos infesta per undas
q Ausa sequi, & profugis toto me opponere ponto.
Absumptæ in Teucros *r* vires cœlique marisque.
Quid *s* Syrtes, aut Scylla mihi, quid vasta Charybdis
Profuit? optato conduntur Tibridis alveo,
Securi pelagi, atque mei. *t* Mars perdere gentem
Immanem Lapithûm valuit: concessit in iras
u Ipse deûm antiquam genitor Calydona Dianæ:
(*x* Quod scelus aut Lapithis tantum, aut Calydone merente?)
Aſt ego magna Jovis conjux nil linquere inausum
Quæ potui infelix, quæ memet in omnia verti,
Vincor ab Ænea: quod si mea numina non sunt
Magna satis, dubitem haud equidem implorare quod usquam est.
Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.
Non dabitur regnis, esto, prohibere Latinis,
Atque immota manet fatis Lavinia conjux:
At trahere, atque moras tantis licet addere rebus:
At licet amborum populos *y* exscindere regum.
z Hac gener, atque *z* socer coëant mercede suorum.
Sanguine Trojano, & Rutulo dotabere *a* virgo:

i Ingeniosa artifex.
k Mortali matre, equa.
l Ab Inacho olim regnatis, ut distinguat ab aliis.
m Promontorio Siciliæ.
n Imo victricia.
o Trojanis.
p Sigæo promontorio.
q Qui, capta Troja & incensa, evaserunt tamen.
q At me forte defessam aut odiis exsaturatam cessare putant? Non ita. *Non sic abibunt odia.* apud Sen. Herc. F.
q Contra fata, atque extra meæ ditionis regna. Neptuni scil.
r Imbres, tempestates, &c. aeris vires, quæ tamen omnia incassum cessserunt, nec minus
s ——Brevia. Scopuli, maris monstra. e Catulli versu.

Quæ Syrtis, quæ Scylla vorax, quæ vasta Charybdis. *t* Iratus Pirithoo quod in nuptiali solemnitate ab ipso præteritus fuisset. cæteris Diis adeoque Centauris invitatis, immisit furorem ad disturbandas nuptias & excidium Lapitharum. *u* Jupiter permisit Dianæ ulcisci Oenea regem Calydonis immisso apro, quod de primitiis sacrificasset reliquis Diis, illa excepta. *x* Quam sceleris pœnam? *y* Si non exscindere, accidere tamen. *z* Æneas & Latinus. *a* Lavinia.

Et [b] Bellona manet te pronuba: [c] nec face tantum
Cisseis prægnans [d] ignes enixa jugales:
[e] Quin idem Veneri partus suus, & Paris alter,
Funestæque iterum [f] recidiva in Pergama tædæ.
Hæc ubi dicta dedit, terras horrenda petivit:
Luctificam Alecto dirarum ab sede sororum,
Infernisque ciet tenebris: cui tristia bella,
Iræque, insidiæque, & crimina noxia cordi.
Odit & ipse pater Pluton, odere sorores
Tartareæ monstrum: tot sese vertit in ora,
Tam sævæ facies, tot pullulat atra colubris.
Quam Juno his acuit verbis, ac talia fatur:
Hunc mihi da proprium, [g] virgo [h] fata nocte, laborem;
Hanc operam, ne noster honos, [i] infractave cedat
Fama loco, neu connubiis ambire Latinum
Æneadæ possint, Italosve obsidere fines.
Tu potes unanimes armare in prælia fratres,
Atque odiis versare domus: tu verbera tectis,
Funereasque inferre faces: tibi nomina mille,
Mille nocendi artes, fœcundum concute pectus,
Disjice compositam pacem, sere crimina belli:
[k] Arma velit, poscatque simul, rapiatque juventus.
Exin [l] Gorgoneis Alecto infecta venenis
Principio Latium, & Laurentis tecta [m] tyranni
Celsa petit, [n] tacitumque obsedit limen Amatæ:
Quam super adventu Teucrûm, Turnique hymenæis
Fœmineæ ardentem curæque, iræque coquebant.
Huic dea cæruleis unum de crinibus [o] anguem
Conjicit, inque sinum [p] præcordia ad intima subdit:
Quo furibunda domum monstro permisceat omnem,
Ille inter vestes, & lævia pectora lapsus
[q] Volvitur attactu nullo, fallitque furentem,
Vipeream inspirans animam. [r] fit torquis collo
Aurum ingens coluber, fit longæ [s] tænia vittæ:
Innectitque comas, & membris lubricus errat.
Ac dum prima lues udo sublapsa veneno
Pertentat sensus, atque ossibus implicat ignem;
Nec dum animus toto percepit pectore flammam:
Mollius, & soliro matrum de more loquitur est,
Multa super gnata lacrymans, Phrygiisque Hymenæis:

[b] Dea belli, haud ego.
[c] Neque enim Hecuba Cisseï filia, sola experta est vere somniasse se parituram facem quæ Trojam incenderet.
[d] Illicitis conjugiis patriæ suæ incendium & exitium illaturos.
[e] Æneas erit alter Paris, Venus Hecuba, Lavinia Helena.
[f] In hanc resurgentis Trojæ spem.
[g] Ἀεὶ παρὰ τὸ ἐμὲ νικᾶν. nec prece, nec precio corruptæ nec ulciscantur scelera.
[h] Furiæ enim Acherontis & Noctis filiæ.
[i] Hucusque infracta, vel jam valde fracta.
[k] Animo velit, voce poscat, manu rapiat arma contra jus, omina, fana, regis imperium.
[l] Angitibus Gorgonum venenis instructa. [m] Regis, ut supra. [n] Tacite. [o] Vesaniam mentis affectum, errorem, dissidium. [p] Affectuum sedes. [q] Insinuat se sine sensu furoris primum. [r] Sese in omnes formas vertit, in omnes partes funditur. [s] Pars vittæ dependens & extensa, a τείνω.

t Exulibusne datur ducenda Lavinia Teucris,
O genitor? nec te miseret gnatæque tuique? 360
Nec matris miseret, quam primo Aquilone relinquet
Perfidus, alta petens, abducta virgine prædo?
An non sic u Phrygius penetrat Lacedæmona pastor,
Ledæamque Helenam Trojanas vexit ad arces?
Quid tua sancta fides, quid cura antiqua tuorum, 365
Et x consanguineo toties data dextera Turno?
Si gener externa petitur de gente Latinis,
Idque sedet, Faunique premunt te jussa parentis:
Omnem equidem sceptris terram quæ libera nostris
Diffidet, externam reor, & sic dicere divos: 370
Et turno si prima domus repetatur origo,
y Inachus, Acriisiusque patres, mediæque Mycenæ.
His ubi nequicquam dictis experta, Latinum
Contra stare videt: penitusque in viscera lapsum
Serpentis furiale malum, totamque pererrat: 375
Tum vero infelix, ingentibus excita monstris,
Immensam sine more furit z lymphata per urbem:
Ceu quondam torto volitans sub verbere a turbo,
Quem pueri magno in gyro vacua atria circum
Intenti ludo exercent: ille actus habena 380
Curvatis fertur spatiis: stupet inscia turba,
Impubesque manus, mirata volubile buxum:
Dant animos plagæ. non cursu segnior illo
Per medias urbes agitur, populosque feroces.
Quinetiam in sylvas, b simulato numine Bacchi, 385
Majus adorta nefas, majoremque orsa furorem,
Evolat, & natam frondosis montibus abdit,
Quo thalamum eripiat Teucris, tædasque moretur,
Evohe Bacche fremens, solum te virgine dignum
Vociferans: etenim c molles d tibi sumere e thyrsos. 390
Te lustrare e choro, sacrum tibi pascere crinem,
Fama volat, furiisque accensas pectore matres
Idem omnes simul ardor agit, nova quærere tecta.
Deseruere domos: ventis dant colla, comasque.
Astralæ tremulis ululatibus æthera complent, 395
Pampineasque gerunt incinctæ f pellibus hastas.
Ipsa inter medias flagrantem fervida g pinum
Sustinet, ac natæ, Turnique canit hymenæos,

s Nuptiis jungenda erroni qui mox eam abducat prædo?
u Paris.
x Filio Veniliæ, quæ soror Amatæ.
y Inachus primus fuit ex Argivorum, Acrisius ultimus, ab eo translatum regnum Mycenas. Acrisius filiam Danaen arca inclusam in mare projecit, quam litori Apulo appulsam Pilumnus duxit, ex iis natus Danus pater Turni ex Venilia nympha.
z Mente mota, furibunda. ὑδροφοβικῷ πάθει agitata.
a Res longe a trocho diversa, quæ tamen interpretes confundunt.
b Simulans se inflatam Bacchi numine, & Orgia celebrans, evan, evohe ingeminans lib. 6 pag. 212. a. c Hastas pampineas, ut mox: pampinis & edera vestitas, 7. Ecl. d In tuam gratiam, tibi devotam, tuis nuptiis dignam atque e voto tibi nutrire comam. e Ut lib. 10. *lustrare choris*, non *choros* ut vulgo. f Cervinis. νεβρίδας indutus rediit Bacchus ab expeditione Indica. g Pinum facem, ut pronuba quæ nuptias filiæ suæ cum Turno caneret.

h Sanguineam torquens aciem, torvumque repente
Clamat: Iō matres audite ubi quæque Latinæ.
Siqua piis animis manet infelicis Amatæ
Gratia, si juris materni cura remordet:
* Solvite crinales vittas, capite Orgia mecum.
Talem inter sylvas, inter deserta ferarum,
Reginam Alecto stimulis agit undique Bacchi.
Postquam visa satis primos acuisse furores,
Consiliumque omnemque domum vertisse Latini;
Protinus hinc fuscis tristis *i* dea tollitur alis
Audacis Rutuli ad muros: quam dicitur urbem
k Acrisioneis Danaë fundasse colonis,
Præcipiti delata Noto. locus Ardua quondam
Dictus *l* avis: & nunc magnum manet Ardea nomen.
m Sed fortuna fuit: tectis hic Turnus in altis
Jam mediam nigra carpebat nocte quietem.
Alecto torvam faciem, & furialia membra
Exuit, in vultus sese transformat aniles,
Et frontem obscœnam rugis arat: induit albos
Cum *n* vitta crines; tum ramum innectit olivæ,
Fit Calibe Junonis anus, templique sacerdos:
Et juveni ante oculos his se cum vocibus offert:
Turne, tot incassum fusos patiere labores?
Et tua Dardaniis *o* transcribi sceptra colonis?
Rex tibi conjugium, & quæsitas *p* sanguine dotes
Abnegat, externusque in regnum quæritur hæres.
I nunc, ingratis offer te irrise periclis:
Tyrrhenas, i, sterne acies, tege pace Latinos.
Hæc adeo tibi me, placida cum nocte jaceres
Ipsa palam fari omnipotens Saturnia jussit.
Quare age, & armari pubem, portusque moveri
Lætus in arma para, & Phrygios, qui *q* flumine pulchro
Consedere duces, *r* pictasque exure carinas.
Cælestum *s* vis magna jubet. rex ipse Latinus,
Ni dare conjugium, & dicto parere fatetur,
Sentiat, & tandem Turnum experiatur in armis.
Hic juvenis vatem irridens, sic orsa vicissim
Ore refert: classes invectas Tibridis undam,
Non, ut rere, meas effudit nuncius aures:
Nec tantos mihi finge metus: nec regia Juno

h Oculos, ira & furore inflammatos. l. 4. *Sanguineam volvens aciem.*
* Solutis crinib. celebrate mecum Bacchanalia, ab τίεγω. arcentur enim a sacris profani, & non initiati.
i Furia. *dea dira.* 12. Æn. *invisum numen* infra. Pœnarum Dea.
k A patris Acrisii nomine dictis colonis, vel, qui e Græcia ad urbem a Danae conditam adventarint. Servius vult esse Nominativum Patronymicum fœm, refertque ad *Danae.* *l* Ovid. 14. Met.
m Tum forte Turnus, &c.
n Ut quæ sumeret sibi formam sacerdotis.
o A te in alienum transferri & proprie *transcribi* de colonis. *p* Tuo tuorumque, fuso in præliis, dum Latino auxilium fers contra Thuscos. l. 8. *q* Tibride. *r* Ad pompam potius quam pugnam adornatas, *vel potius* ob Deos tutelares & insigne navis in puppe pictos. *s* Juno. *t* Alecto. quam credidit Calyben.

Immemor est nostri.
u Sed te victa situ, verique effœta senectus,
O mater, curis nequicquam exercet, & arma
Regum inter falsa vatem formidine ludit:
Cura tibi divûm effigies, & templa tueri:
Bella viri, pacemque gerant queis bella gerenda.
Talibus Alecto dictis exarsit in iras.
x At juveni oranti subitus tremor occupat artus:
Diriguere oculi: tot Erinnys sibilat hydris,
Tantaque se facies aperit, tum flammea torquens
Lumina, cunctantem, & quærentem dicere plura
Reppulit, & y geminos erexit crinibus angues,
z Verberaque insonuit, rabidoque hæc addidit ore:
a En ego victa situ, quam veri effœta senectus
Arma inter regum falsa formidine ludit.
Respice ad b hæc: adsum dirarum ab sede sororum:
Bella manu, lethumque gero.
Sic effata c facem d juveni conjecit, & atro
Lumine fumantes fixit sub pectore tædas.
Olli somnum ingens rupit pavor, ossaque, & artus
Perfudit toto proruptus corpore sudor.
Arma amens e fremit, arma toro, tectisque requirit:
Sævit amor ferri, & scelerata insania belli,
Ira super. f magno veluti cum flamma sonore
Virgea suggeritur costis undantis aheni.
Exultantque æstu latices: furit intus g aquæ vis,
Fumidus atque alte spumis exuberat amnis:
Nec jam se capit unda: volat vapor ater ad auras.
h Ergo iter ad regem, i polluta pace, Latinum
Indicit primis juvenum, & jubet arma parari:
Tutari Italiam, detrudere finibus hostem:
Se satis ambobus Teucrisque venire, Latinisque.
Hæc ubi dicta dedit, divosque in vota vocavit:
Certatim sese Rutuli exhortantur in arma.
Hunc decus egregium formæ movet, atque juventæ:
Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis.
Dum Turnus Rutulos animis audacibus implet,
Alecto in Teucros Stygiis se concitat alis,
Arte nova speculata locum, quo litore pulcher

u Sed te senectus gravis & delira a veris ad vana & curas nihil ad te pertinentes abducit.
x At Turno etiamnum loquenti.
y Instar cornuum erexit. *Alii*, pares crinibus. *Alii*, exspuit duos angues.
z Vel *Verbere*. i. e. flagello.
a verba Turni insultans furia in ipsum retorquet, Sarcastice.
b Angues, facem, flagellum, insignia belli ac lethi; & agnosce Furiam.
c Incendentem desiderium belli ferro ac face furentis.
d Turno.
e Cum fremitu poscit *arma* ingeminans.
f Lege Macrobium l. 5. c. 11. Sat. exponentem hanc comparationem, & cum Homeri loco Il. 21. conferentem & Jul. Scal. l. 5. Poet. c. 3.
g Alii præferunt lectionem *furit intus aquai fumicus*, &c.
h Mittit principes juvenum ad Latinum, qui moneant, bellum indicant, &c.
i A Turno, qui violavit pacem initam inter Latinum & Æneam? an a Latino, qui violavit pacem cum Turno.

k In-

[k] Insidiis cursuque feras agitabat Iülus.
Hic subitam canibus rabiem [l] Cocytia virgo
Objicit, & noto nares contingit odore,
Ut cervum ardentes agerent: [m] quæ prima malorum
Causa fuit, belloque animos accendit agrestes.
Cervus erat forma præstanti, & cornibus ingens;
[n] Thyrridæ pueri, quem matris ab ubere raptum
Nutribant, Tyrrhusque pater, cui regia parent
Armenta, & late custodia credita campi.
Assuetum imperiis soror omni [o] Sylvia cura
Mollibus intexens ornabat cornua sertis,
Pectebatque [p] ferum, puroque in fonte lavabat.
Ille manum patiens, mensæque assuetus herili,
Errabat sylvis, rursusque ad limina nota
Ipse domum sera quamvis se nocte ferebat.
Hunc procul errantem [q] rabidæ venantis Iüli
Commovere canes, fluvio cum forte secundo
Deflueret, ripaque æstus viridante levaret.
Ipse etiam eximiæ laudis succensus amore
Ascanius, curvo direxit spicula cornu:
Nec dextre erranti [r] deus abfuit; actaque multo
Perque uterum sonitu, perque ilia venit arundo.
Saucius at quadrupes nota intra tecta refugit,
Successitque gemens stabulis, questuque, cruentus,
Atque imploranti similis, tectum omne replevit.
Sylvia prima soror, palmis percussa lacertos,
Auxilium vocat, & duros [s] conclamat agrestes.
Olli (per [t] pestes enim tacitis latet aspera sylvis)
Improvisi adsunt, hic torre armatus obusto,
Stipitis hic gravidi nodis. quod cuique [u] repertum
[u] Rimanti, telum ira facit. vocat agmina Tyrrhus,
Quadrifidam quercum cuneis ut forte coactis
Scindebat, rapta spirans immane securi.
At sæva è speculis tempus [x] dea nacta nocendi,
Ardua tecta petit, stabuli & de culmine summo
[y] Pastorale canit [y] signum, cornuque recurvo
Tartaream intendit vocem: qua protinus omne
Contremuit [z] nemus, & sylvæ intonuere profundæ:

[k] Subsessoribus & alatis venatoribus.
[l] Infernalis, a Cocyto fl.
[m] Locum hunc exagitat Macrobius, ineptam dictitans futilemque tanti belli causam.
Sed & ille, passus suos manes, a plurimis iisque doctis qui Virgilium asserunt, probe compulsatus vapulat.
[n] Filii Tyrrhi, qui regii pecoris magister & custos erat.
[o] Sororem Tyrrhidarum, non Tyrrhi.
[p] Cervum. ut 2. Æneid. *Ilatus, inque feri*, &c. de equo ligneo. Alii leg. *feram*.
[q] In animalibus observatum, ubi de feritate sermo, nominari fœminas; ubi de generositate, mares.
[r] Alecto dea, supra.
[s] Deos autem volunt esse ἀρσενοθήλειας. ut 2. Æn. *Descende, ac ducente Deo*. i. e. Venere. [t] Clamore convocat agrestes. Alias, verbum castrense; ad bellum, vel convasare significans. [u] Alecto. Cerda pastores intelligit. [x] Neque tamen locus hic componit dividias Grammaticorum litigantium de discrimine inter *reperio* & *invenio*. spero a me diremptas in Indice Rhetorico. tit. Schematis Oxymori. [y] Alecto. ut supra. [z] Pastoribus notum Classicum, quo audito ad arma concurrere solebant. [z] Aricinum.

Audiit

Audiit & [a] Triviæ longe [b] lacus, audiit amnis
Sulfurea [c] Nar albus aqua, fontesque [d] Velini:
Et trepidæ matres [e] pressere ad pectora natos.
Tum vero ad vocem celeres, qua buccina signum
Dira dedit, raptis concurrunt undique telis
Indomiti agricolæ: nec non & Troïa pubes
Ascanio auxilium castris effundit apertis.
Direxere acies: non jam certamine agresti,
Stipitibus duris agitur, sudibusve præustis:
Sed ferro ancipiti decernunt, atraque late
[f] Horrescit strictis seges ensibus, æraque fulgent
[g] Sole lacessita, & lucem sub nubila jactant:
[h] Fluctus uti primo cœpit cum albescere vento,
Paulatim sese tollit mare, & altius undas
Erigit, inde imo consurgit ad æthera fundo.
Hic juvenis primam ante aciem stridente sagitta,
Natorum Tyrrhi fuerat qui maximus, Almon
Sternitur. hæsit enim sub gutture [i] vulnus, & udæ
Vocis iter, tenuemque inclusit sanguine vitam.
Corpora multa virum circa, seniorque Galesus,
Dum paci medium se offert; justissimus unus
Qui fuit, Ausoniisque olim ditissimus arvis:
Quinque greges illi balantum, quina redibant
Armenta, & terram centum vertebat aratris.
Atque ea per campos [k] æquo dum Marte geruntur,
Promissi [l] dea facta potens, ubi sanguine bellum
Imbuit, & primæ commisit funera pugnæ,
Deserit Hesperiam, & cœli [m] convexa per auras
Junonem victrix affatur voce superba:
En perfecta tibi bello discordia tristi:
[n] Dic, in amicitiam coëant, & fœdera jungant:
Quandoquidem Ausonio respersi sanguine Teucros:
Hoc etiam his addam, tua si mihi certa voluntas,
Finitimas in bella feram rumoribus urbes,
Accendamque animos insani Martis amore;
Undique ut auxilio veniant, [o] spargam arma per agros.
Tum contra Juno: Terrorum, & fraudis abunde est.
[p] Stant belli causæ: pugnatur comminus armis,
Quæ fors prima dedit, sanguis novus imbuit arma.
Talia connubia, & tales celebrent hymenæos

[a] Diana cur vocetur Trivia, vide quæ nos ad Senecæ Hippolytum. v. 11.
[b] Aricinus, qui & Dianæ speculum dicitur.
[c] Fluvius Sabinos ab Umbris disterminans. hodie. *la solforata*, a sulphureis aquis.
[d] Velinus fl. per lacum Velinum defluit in Narem.
[e] Arctius, ut in timore, complexæ.
[f] Horrescunt vibrati enses instar segetis fluctuantis. 2. Georg. *densisque virum seges horruit hastis.* πέφρικαν δ' ὥστε λήϊον γυῖαι λόγχαις ἀποστίλβοντες.
[g] Ex repercussu Solis.
[h] Comparationem hanc cum Homerica vide apud Macrob. l. 5. Sat. c. 13.
[i] Sagitta vulnerans.

[k] Justo prælio & jam dissidio palam facto. neque enim æquo Marte pugnatum, cum Itali soli fuerint interempti. [l] Alecto. [m] Convecta per cœli auras. ut in 4. Georg. *amnis devexus ab Indis*. non ut l. 6. Æn. *cœli convexa tueri*. [n] Ironica insultatio. [o] Omnes undique agrestes concitabo ad arma. [p] Jacta sunt belli fundamina, sparsa semina.

d Egre-

q Egregium Veneris genus, & rex ipse Latinus.
Te super ætherias errare licentius auras,
Haud pater ipse velit, summi regnator Olympi.
Cede locis: ego siqua r super fortuna laborum r est,
Ipsa regam. Tales dederat Saturnia voces: 560
Illa autem attollit stridentes anguibus alas,
Cocytique petit sedem, supera ardua linquens.
s Est locus Italiæ in medio, sub montibus altis,
Nobilis, & fama multis memoratus in oris,
Amsancti valles: densis hunc frondibus atrum 565
Urget utrinque latus nemoris, medioque fragosus
Dat sonitum saxis, & torto vortice torrens.
Hic specus horrendum, & sævi spiracula Ditis
Monstrantur: ruptoque ingens Acheronte vorago
Pestiferas aperit fauces: t queis condita Erynnis, 570
Invisum numen, terras, cœlumque levabat.
Nec minus interea extremam Saturnia bello
Imponit regina manum. ruit omnis in urbem
Pastorum ex acie numerus; cæsosque reportant,
Almonem puerum, u fœdatique ora Galesi: 575
Implorantque Deos, obtestanturque Latinum.
Turnus adest, medioque in crimine x cædis & ignis
Terrorem ingeminat: Teucrosque in regna vocari,
Stirpem admisceri Phrygiam, se limine pelli. 579
y Tum quorum attonitæ Baccho nemora avia matres
Insultant z thyasis (neque enim leve nomen Amatæ)
Undique collecti coëunt, Martemque fatigant.
Ilicet infandum cuncti a contra omina bellum,
a Contra fata Deûm perverso numine poscunt.
Certatim regis circumstant tecta Latini. 585
Ille, velut pelagi rupes immota, resistit:
Ut pelagi rupes, magno veniente fragore,
Quæ sese, multis circum latrantibus undis,
Mole tenet: scopuli nequicquam, & spumea circum
Saxa fremunt, laterique illisa refunditur alga. 590
Verum ubi nulla datur cæcum exsuperare potestas
Consilium, & sævæ nutu Junonis eunt res:
Multa deos, auraque pater testatus inanes,
b Frangimur heu fatis, inquit, ferimurque procella:
Ipsi has c sacrilego pendetis sanguine pœnas. 595
O miseri; te, Turne, nefas, te triste manebit

q Æneas. Iro.
r Supereſt fortuna laborum.
s Mesis. Nec in meditullio & umbilico Italiæ, ut volunt interpretes. nec sub montibus est lacus iste Amsancti in Hirpinis, neque enim scrobes hic Charoneæ. Sed vide Cluverii Italiam l. 4. c. 8.
t Per specum hunc, fauces pestiferas & spiracula Ditis ad inferos remeasse Furiam dicit Poeta.
u Cruore & sanie.
x Belli, quod ferro grassatur & igne, terrorem ingeminat.
y Tum juvenes quorum matres Baccho furiatæ choreis lustrabant nemora, in gratiam Amatæ, deposcunt b llum.
z Choreis. Eclog. 5.

thyasos inducere Baccho. vide quæ nos ibi. a Contra prodigia & oraculum Fauni. b Utcunque firmus, uti pelagi rupes, frangor tamen, & tanquam navis vi tempestatis victa auferor. c Quia sacris Deorum prodigiis & oraculis adversati bella parabant.

Sup-

Supplicium, votisque deos *d* venerabere seris.
e Nam mihi parta quies, omnisque in limine portus:
Funere felici spolior. Nec plura loquutus,
Sepsit se rectis, rerumque reliquit habenas.
f Mos erat Hesperio in Lario, quem protinus urbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima movent in prælia Martem:
g Sive Getis inferre manu lacrymabile bellum,
Hyrcanisve, Arabisve parant, seu tendere ad Indos
Auroramque sequi, Parthosque reposcere signa.
Sunt geminæ belli portæ, (sic nomine dicunt)
Religione sacræ, & sævi formidine Martis:
Centum ærei claudunt vectes, *h* æternaque ferri
Robora: nec custos absistit limine *i* Janus.
Has, ubi certa sedet patribus sententia pugnæ,
Ipse, *k* Quirinali trabea, *l* cinctuque Gabino
Insignis, referat stridentia limina consul:
Ipse vocat pugnas: sequitur tum cætera pubes:
Æreaque assensu conspirant cornua rauco.
Hoc & tum Æneadis indicere bella Latinus
More jubebatur, *m* tristesque recludere portas.
Abstinuit tactu pater, aversusque refugit
Fœda ministeria, & cæcis se condidit umbris.
Tum regina deûm cœlo delapsa, morantes
Impulit ipsa manu portas, & cardine verso
n Belli ferratos rupit Saturnia postes:
Ardet inexcita Ausonia, atque immobilis ante,
Pars pedes ire parat campis; *o* pars arduus altis
Pulverulentus equis furit: omnes arma requirunt.
Pars leves clypeos, & spicula lucida tergent
Arvina pingui, subiguntque in cote secures:
Signaque ferre juvat, sonitusque audire tubarum.
Quinque adeo magnæ positis incudibus urbes
Tela *p* novant, Atina potens, Tiburque *q* superbum,
Ardea, *r* Crustumerique, & turrigeræ *s* Antemnæ.

d Precabere.
e Vitæ actæ securus ego & felix, quid si funeris honore destituar? vestro cedant res periculo. *ego in portu navigo.*
f Mores sui ævi transfert non raro tribuitque superiori ævo, ut majestas ab antiquitate rebus accedat. uti hic de Martis & Jani templo, quod ortum habuit sub Numa.
g Hæc cum respectu sui temporis, ubi Aug. Dacos atque Sarmatas repressit & coercuit: & quem veriti Parthi signa M. Crasso & Antonio adempta remiserunt.
h Lucret. 2. l. *& duri robora ferri.*

i Index pacis & belli. apertus significabat in armis esse civitatem; clausus, pacatos circa omnes populos. Liv. 1. l. *k* Quali utebatur postea Quirinus regia sc. purpurea, cui admistum est aliquid albi. supra. *l* Toga sic in terquorum rejecta, ut ejus lacinia revocata hominem cingeret. a Gabiis mos ortus, *m* Tristis belli indices. *n* Ennius citante Hor. 4. Sat. 1. l. *Belli ferratos postes portasque refregit.* *o* Alii sublimes in equis, sensu sano, voce parum congrua. *p* Incudibus fingunt nova, refringunt vetera arma. *q* Prolepsis respiciens tempora Romana. Cum enim a Senatu auxilia poscerent Tiburtes commemoratis suis beneficiis, & quasi benemeritis debita, tulerunt responsum, *Superbi estis*, vel quia in monte situm. Hor. *Tiburque supinum.* & *Tiburis arces.* *r* Crustumerium. in Sabinis opp. *s* Oppidum a Latinis conditum cis Anienem, unde nomen, *ante amnem.*

t Tegmina tuta cavant capitum, *u* flectuntque salignas
Umbonum crates: alii thoracas ahenos,
Aut leves ocreas lento ducunt *x* argento.
y Vomeris huc, & falcis honos, huc omnis aratri
Cessit amor: recoquunt *z* patrios fornacibus enses.
a Classica jamque sonant: it bello *b* tessera signum.
Hic galeam tectis *c* trepidus rapit; ille frementes
Ad juga cogit equos, clypeumque, auroque *d* trilicem
Loricam induitur, fidoque accingitur ense.
e Pandite nunc Helicona deæ, cantusque movete,
Qui bello exciti reges, quæ quemque secutæ
Complerint campos acies, quibus Itala jam tum
Floruerit terra alma viris, quibus arserit armis,
Et *f* meministis enim, divæ, & memorare potestis:
Ad nos vix tenuis famæ perlabitur aura.
Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
g Contemptor divûm Mezentius, agminaque armat
Filius huic juxta Lausus, quo pulchrior alter
Non fuit, *h* excepto Laurentis corpore Turni:
Lausus, equûm domitor, debellatorque ferarum,
Ducit *i* Agyllina *k* nequicquam ex urbe secutos
Mille viros, *l* dignus patriis qui lætior esset
Imperiis, & cui pater haud Mezentius esset.
Post hos insignem *m* palmâ per gramina currum,
Victoresque ostentat equos, *n* satus Hercule pulchro
Pulcher *o* Aventinus, clypeoque insigne paternum,
Centum angues, cinctamque gerit serpentibus hydram.
Collis Aventini silva quem Rhea sacerdos
Furtivum partu sub luminis edidit auras,
p Mista deo mulier: postquam Laurentia victor
q Geryone exstincto, *r* Tirynthius attigit arva,
s Tyrrhenoque boves in *s* flumine lavit *t* Iberas.
u Pila manu, sævosque gerunt in bella *x* dolones:
Et tereti pugnant mucrone, *y* veruque Sabello.

t Galeas.
u In usum scutorum, quæ teguntur corio.
x Spondæus in quinto loco producit ocreas e lento argento.
y Georg. 1. *Et curvæ rigidum falces conflantur in ensem.*
z Veteres, avitos.
a Signa tubarum ad arma conclamantium. *alaimes.*
b Muta in tabellis aut insignibus ad distinguendum. aut vocalis. *the worth* in excubiis & expeditionibus.
c Festinus, propere huc illuc discurrens.
d Τρίμιτος, e tribus liciis, tertio quoque aureo.
e Εσπετε νῦν μοι μοῦσαι, &c. Hom. 2. Ilexorsurus

catalogum. *f* Estis enim filiæ Mnemosynes. *g* Quia suis imperavit, ut sibi offerrent primitias Diis debitas. *h* Excepto Turno. Hellen. *i* Agylla opp. Etruriæ, eadem cum Cære. *k* Statim enim perierunt in bello, una cadente duce. *l* Dignus melioribus auspiciis, meliore patre. *m* Victoriæ in certaminibus præmio & insigni. ergo *Victores equos est.* *n* De catalogi hujus artificio, fabulisque vemo miscendis vide Macrob. 5. l. 16. c. In fab. enim Aventini ex Hercule & Rhea nati respicit ad historiam Romuli & Remi, qui Marte & Ilia geniti. *o* Cui a sylva collis Aventini, ubi natus est, nomen inditum vult. *p* Τῷ θεῷ μιγεῖσα γυνή. *q* Rege Hispaniæ *r* Hercules, a Tirynthia opp. Argis vicino, ubi nutritus est. *s* Tibride. *t* Hispanas. *u* Pilum fuit hastile pedum quinque & semis ferro præfixum, respicit Rom. peditatum cujus hoc erat telum. Veget. l. 2. 15. c. *x* Gladiolos in ligneo conto latentes. *y* Veru vel veruto Sabino, cui teres mucro.

Ipse

Ipſe * pedes, ϰ tegmen torquens immane leonis,
Terribili impexum ſeta, cum dentibus albis
[a] Indutus capiti, ſic regia tecta ſubibat,
Horridus, * Herculeoque humeros innixus amictu.
Tum gemini fratres Tiburtia mœnia linquunt,
Fratris Tiburti dictam cognomine gentem,
Catilluſque, acerque Coras, [b] Argiva juventus:
Et primam ante aciem denſa inter tela feruntur,
Ceu duo nubigenæ cum vertice montis ab alto
Deſcendunt Centauri, [c] Omolen, [c] Othrynque nivalem
Linquentes: curſu rapido dat euntibus ingens
Sylva locum, & magno cedunt virgulta fragore.
Nec Præneſtinæ fundator defuit urbis,
Vulcano genitum pecora inter agreſtia regem,
Inventumque focis, omnis quem credidit ætas,
Cæculus, hunc legio late comitatur agreſtis:
Quique [d] altum Præneſte viri, quique arva [e] Gabinæ
Iunonis, gelidumque Anienem, & [f] roſcida rivis
[g] Hernica ſaxa colunt: quos [h] dives Anagnia paſcit,
Quos [i] Amaſene pater, non illis omnibus arma,
Nec clypei, curruſve ſonant: [k] pars maxima glandes
Liventis plumbi ſpargit: pars ſpicula geſtat
Bina manu, fulvoſque lupi de pelle galeros
Tegmen habet capiti: [l] veſtigia nuda ſiniſtri
Inſtituêre pedis: crudus tegit altera pero.
At Meſſapus equûm domitor, [m] Neptunia proles,
Quem neque fas [n] igni cuiquam, nec ſternere ferro,
Jampridem reſides [o] populos, deſuetaque bello
Agmina in arma vocat ſubito, ferrumque retractat,
Hi [p] Feſcenninas acies, [q] æquoſque Faliſcos,
Hi [r] Soractis habent arces, [ſ] Flaviniaque arva,
Et [t] Cymini cum monte lacum, lucoſque [u] Capenos.
Ibanti æquati [x] numero, regemque canebant:
[y] Ceu quondam nivei liquida inter nubila cygni,
Cum ſeſe è paſtu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos; ſonat ϰ amnis, & Aſia longe
Pulſa palus.

* Herculis ritu.
ϰ Ab læva torquens recinctam leonis pellem.
[a] Pellis quippe caput adaptabatur capiti Aventini, galeæ loco, ad terrorem & munimen.
[b] Filii ſc. Amphiarai, qui ab Argis huc vecti Tibur condiderunt.
[c] Theſſaliæ montes.
[d] Editum, in monte ſitum.
[e] Quæ Gabiis colitur.
[f] Trero & Cola fluviis rigata.
[g] Loca montoſa. Hernam ſaxum a Sabinis dici ferunt.
[h] Fertilis urbs.
[i] Privernatium fl. patera. Nympharum, i.e. aquarum ſ. paſcis.
[k] Funditores ſc.
[l] Hernicos ab Ætolis oriundos ad ipſorum morem

μοναυρήπιδας producit, Macrobium vide l. 5. c. 18. [m] Sic enim mari advectos aliunde, appellabant. Quia Dei aquarum filium. [o] Etruſcos. [p] A Feſcennia Tuſciæ opp. Epithalamio, ab ea invento, nobili. [q] A quibus Romani acceperunt jura fecialia, & ſupplementa 12 tabularum. vel a ſanctitate qua tuti per ardentes prunas illæſi incedebant. Æn. 11. [r] Montem Soracte in Faliſcis Aſcm. [ſ] Flavina Etruriæ. opp. [t] Prope lacum Volſinienſem. [u] Capena, oppidum, non longe a Faliſcis & Soracte. [x] Ordine & numero. Al. numeroſe ad tympana ſe moventes. [y] Hom. Il. 2. Scal. Poet. 5. l. 3. c. ϰ. Cayſter Aſiæ minoris fl.

Nec

Nec quisquam æratas acies ex agmine tanto
Misceri putet, aëriam sed gurgite ab alto
Urgeri volucrum raucarum ad litora [a] nubem.
Ecce Sabinorum prisco de sanguine, magnum
Agmen agens Clausus, magnique ipse agminis instar:
Claudia nunc à quo diffunditur & tribus, & gens
Per Latium, [b] postquam in partem data Roma Sabinis.
Una ingens* Amiterna cohors, priscique [c] Quirites,
Ereti manus omnis, oliveræque Mutuscæ:
Qui* Nomentum urbem, qui [d] Rosea rura Velini,
Qui [e] Tetricæ horrentes rupes, montemque Severum,
* Casperiamque colunt, * Foruloscque & [f] flumen Himellæ:
Qui Tiberim, [g] Fabarimque bibunt, quos frigida misit
*Nursia, & [h] Hortinæ classes, populique Latini:
Quosque secans infaustum interluit [i] Allia nomen:
Quam multi Libyco volvuntur marmore fluctus,
Sævus ubi [k] Orion hybernis conditur undis;
Vel cum Sole novo densæ torrentur aristæ,
Aut [l] Hermi campo, aut Lyciæ flaventibus arvis:
Scuta sonant, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Hinc [m] Agamemnonius, Trojani nominis hostis,
Curru jungit Halesus equos, Turnoque feroces
Mille rapit [n] populos: vertunt felicia Baccho
[o] Massica qui rastris, & quos de collibus altis
Aurunci misere patres, Sidicinaque juxta
Æquora, quique Cales linquunt, amnisque vadosi
Accola Vulturni, pariterque Saticulus [p] asper,
Oscorumque manus: teretes sunt [q] aclides illis
Tela: sed hæc lento mos est aptare flagello,
Lævas [r] cetra tegit, falcati comminus enses.
Nec tu carminibus nostris indictus abibis,
Oebale: quem generasse Telon [s] Sebethide nymphâ
Fertur, [t] Teleboûm Capreas cum regna teneret
Jam senior: patriis sed non & filius arvis
Contentus: late jam tum ditione premebat

[a] Cygnorum gregem.
[b] Respicit tempora Romana, conciliatos a feminis Sabinis Romanos & Sabinos, inde initam pacem & fœdus, urbem datam. vide Manutii quæsita per Epistolas 1. l. 1. Ep.
[c] Amiterni, Curenses, inde Quirites.
[d] Rosea, campus Rearini agri fertilissimus prope Velinum fl. Alii *roscida* legi volunt, sed perperam.
[e] Tetricum & Severum, montes in Sabinis.
* Sabinorum opp. vide Cluverii Italiam. l. 2. c. 8. neque enim Geographis vett. certa semper fides. Servio minime.
[f] Prope Casperiam
[g] Qui & Farfarus dictus, hod. *Farfa*.
[h] Ex Horta vel Hortano Etruriæ oppido milites in classes divisi.
[i] Fl. clade accepta XVII. Kal. Sextiles, a Gallis, Brenno duce.
[k] Sidus, ortu & occasu nimbosus.
[l] Fl. Phrygiæ.
[m] Agamemnonis dudum partes secutus. Agamemnonis comes vel notus.
[n] Campanos sc. Auruncos, Sidicinos, Cilenos, Vulturni fl. accolas, Saticulos, Oscos.
[o] Colles Massicos seu Garranos in Campania.
[p] Montosus.
[q] Tela e tereti ligno aut ferro, vel amentata loro, vel funda vibrata torraque, quod flagellum appellat.
[r] Scutum Hispanum, levis armaturæ.
[s] Sebethus fl. Campaniæ prope Neapolim.
[t] Græcos ea tenuisse, Capreasque Telebois habitatas fama refert, Tacit. 4. Annal.

u Sarni accolas.
x Agros planos.
y Opp. in finibus Hirpinorum, ultra Apenninum.
z Batulum & Celennæ, ubi sitæ fuerint, non liquet Cluverio accuratissimo Italiæ antiquæ investigatori.
a Opp. supra tontes Literni fl. malis Punicis nobile.
b Tela quæ Hisp. *chuços.*
c Galeæ e recenti subere.
d Æreis laminis tectæ.
e Opp. Æquorum qui quotannis rebelles, semper raptores.
f Marrubium urbs, caput Marsorum.
g Oleagina fronde undique compta coronatus, uti sacerdos. *Undique decerptæ frondem præponere olivæ* Hor. 1. l. od. 7 Sed variatur lectio.

u Sarrastes populos, & quæ rigat, *x* æquora Sarnus,
Quique *y* Rufas, *z* Batulumque tenent, atque arva
z Celennæ,
Et quos maliferæ despectant mœnia *a* Abellæ,
Teutonico ritu soliti torquere *b* cateias,
c Tegmina queis capitum raptus de subere cortex,
d Æratæque micant peltæ, micat æreus ensis.
Et te montosæ misêre in prælia Nursæ,
Ufens, insignem fama, & felicibus armis:
Horrida præcipue cui gens, assuetaque multo
Venatu nemorum, duris *e* Æquicola glebis,
Armati terram exercent, semperque recentes
Convectare juvat prædas, & vivere rapto.
Quin & *f* Marrubia venit de gente sacerdos
g Fronde super galeam, & felici comptus oliva,
Archippi regis missu, fortissimus Umbro:
h Vipereo generi, & graviter spirantibus hydris,
Spargere qui somnos cantuque manuque solebat,
Mulcebatque iras, & morsus arte levabat:
Sed non Dardaniæ medicari cuspidis ictum
Evaluit, neque eum juvêre in vulnera cantus
Somniferi, & Marsis quæsitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitrea te *i* Fucinus undâ,
Te liquidi flevêre lacus.
Ibat & *k* Hippolyti proles pulcherrima bello,
l Virbius: insignem quem mater Aricia misit,
Eductum *m* Egeriæ lucis, *n* Hymettia circum
Litora, *o* pinguis ubi, & placabilis ara Dianæ.
Namque ferunt fama, Hippolytum postquam arte *p* novercæ
Occiderit, *q* patriasque explerit sanguine pœnas,
Turbatis distractus equis, ad sidera rursus
Ætheria, & superas cœli veniisse sub auras,
r Pæoniis revocatum herbis, & amore Dianæ.
Tu pater omnipotens, aliquem indignatus ab umbris
Mortalem infernis ad lumina surgere vitæ,
Ipse repertorem medicinæ talis & artis,
Fulmine *s* Phœbigenam Stygias detrusit ad undas.

h Viperas sopire atque incantare, vipereos sanare morsus, innatum, a Circe, unde ducebant originem, munus. Agell. 16. l. c 11. *i* Opp. apud ipsum lacum Fucinum in Marsis. h. *Luco* *k* Noti ex Ovidio & Seneca tragico. *l* Primo, Demophoon dictus est; ab equis discerptus, Hippolytus: ab Æsculapio restitutus vitæ, Virbius. *m* Nymphæ, cum qua Numa nocturnos congressus simulavit. *n* *Hymettia* legendum monet Prol. Flavius ✣. l. conject. cap. 16. quo minus *Hymettia* obtineat, vetat lex Pedia, & sensus, nisi cum respectu ad suas Athenas. *o* Pecudum adipe, non sanguine humano, ut in Tauricis Scyth. *p* Phœdræ. *q* Thesei irati. *r* Medicis. Pæon insignis medicus. Hom. Il. 5. *s* Æsculapium Phœbi natum. *Al. pœnigenam.* Coronidis matris pœna natum.

At

At Trivia Hippolytum secretis alma recondit
Sedibus, & nymphæ Egeriæ nemorique relegat ;
Solus ubi in sylvis Italis *t* ignobilis ævum
Exigeret, versoque ubi nomine Virbius esset.
Unde etiam Triviæ templo, lucisque sacratis
Cornipedes arcentur equi, quod litore currum,
Et juvenem monstris pavidi effudere marinis.
Filius ardentes *u* haud secius æquore campi
Exercebat equos, curruque in bella ruebat.
Ipse inter primos præstanti corpore Turnus
x Vertitur, arma tenens, & toto vertice supra est :
Cui *y* triplici crinita juba galea alta *z* Chimæram
Sustinet, *a* Ætnæos efflantem faucibus ignes.
Tum magis illa fremens, & tristibus *b* effera flammis ;
Quam magis effuso crudescunt sanguine pugnæ.
At *c* levem clypeum sublatis cornibus Io
Auro insignibat, jam setis obsita, jam bos,
d Argumentum ingens, & *e* custos virginis Argus,
f Cælataque amnem fundens pater Inachus urna.
Insequitur nimbus peditum, clypeataque totis
Agmina densantur campis, *g* Argivaque pubes,
Auruncæque manus : Rutuli, veteresque *h* Sicani,
Et *i* Sacranæ acies, & picti scuta *k* Labici,
Qui saltus, Tiberine, tuos, sacrumque *l* Numici
Litus arant, Rutulosque exercent vomere colles,
m Circæumque jugum, queis Jupiter Anxuris arvis
Præsidet, & viridi gaudens Feronia luco :
Qua *n* Saturæ jacet atra palus, gelidusque per imas
Quærit iter valles atque in mare conditur Ufens.
Hos super advenit *o* Volsca de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & *p* florentes ære catervas,
Bellatrix. *q* non illa colo, calathisve Minervæ
Fœmineas assueta manus ; sed prælia virgo
Dura pati, cursuque pedem prævertere ventos.
Illa vel intactæ segetis per summa volaret

t Ignotus, latens.
u Non segnius quam pater, inquiunt interpretes. Palmerius *nihilo secius* a seco. Simplicius & verius exponi posse arbitror, nihilo secius. i. e. nihilo minus.
x Versatur, hinc inde se rotans.
y Τριφάλαια, galea insignis tribus conis seu cristis.
z Chimeræ effigiem, ad terrorem.
a Instar Ætnæ montis Siculi flammivomi.
b Motu & tumultu pugnæ crebrius evomuit flammas.
c Ob nitorem, vel Io nondum cornutam.
d Cælatura hæc argumentum

erat generis ducti ab Acrisio rege Argivorum, atque inde ab Inacho. *e* Additus a Junone. *f* Quod fluviorum insigne est & cælatura. *g* Cum respectu ad originem Turni ab Argis, ut modo. *h* Latium olim Sicilia dicebatur. hinc Latini, veteres Sicani. *i* Sacrani Reate orti Roma Ligures Siculosque exegerant. Festus. *k* Latii pop. a Glauco Labico oriundi Minois filio, qui pictum gentis suæ scutum primus in Italia ostendit. *l* Supra. *m* Promontorium Circæum, cui opponitur ultra Ufentem fl. Anxur seu Tarracina, ubi Jupiter imberbis ἀνὸ ξυροῦ, colebatur. ut in vicinia colebatur Feronia Jovis Anxuris uxor. legitur & *Anxurus*. *n* Saturam hanc Patinam esse paludem sunt qui autumant. *o* Priverno Volscorum oppido profecta a gente Amazonum, quæ in Attica devictæ in Italiam fugerunt. *p* Fulgentes æreis armis. Lucr. *florentia lumina flammis*. *q* Non illa lanificio & studiis Minervæ assueta, sed Palladis.

Gra-

Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas:
Vel mare per medium, [r] fluctu suspensa tumenti
Ferret iter, celeres nec tingeret æquore plantas.
Illam omnis tectis, agrisque effusa juventus,
Turbaque miratur matrum, & prospectat euntem,
Attonitis inhians animis: ut regius ostro
Velet honos leves humeros, ut fibula crinem:
Auro internectat, [s] Lyciam ut gerat ipsa pharetram,
Et pastoralem præfixa cuspide [t] myrtum.

[r] Cujus cursu ne tumor quidem fluctuum deprimeretur, inquit Scaliger quem vide 5. 1. Poet. 2. c. ista cum Hom. Il. 20, conferentem.

[s] Apollinis & Dianæ gestamen, qui in Lycia colebatur. Licii autem sagittandi arte claruerunt. [t] Hastam myrteam.

ÆNEIDOS LIB. VIII.

ARGUMENTUM.

BElli signum Turnus Laurenti arce proponit, Latiique totius finitimarumque urbium sibi auxilia adjungit. Venulus quoque Argos ad Diomedem mittitur, ut eum periculi similitudine ad belli societatem impellat. Quibus rebus permotus Æneas, copiarumque suarum paucitati diffidens, Tiberini monitu, adverso flumine in ea loca subvehitur, in quibus postea Roma condita fuit: Evandrique regis, qui ex Arcadia profugus, in Palatino monte oppidum nomine Palanteum condiderat, auxilium implorat. Evander Æneam, adventus ejus causa cognita, benigne hospitio excipit: sacrisque Herculis, quibus tum intentus erat, adhibitum caussam ritusque sacrificii edocet, locaque ejus tractus nobiliora obiter hospiti recenset. Postridie Æneas, equitum quadringentorum subsidio adjutus (quibus præerat Pallas, unicus Evandri filius) partem copiarum secundo flumine ad suos remittit: ipse cum reliquis Agyllam florentissimam Tyrrhenorum civitatem petit: cui cum Mezentio, quem ob intolerandam crudelitatem regno expulerat, internecina odia intercedebant. Interim Vulcanus uxoris blanditiis adductus, privigno suo arma fabricatur: eademque a Venere ad Æneam deferuntur: qui armorum pulchritudine delectatus, cum cætera omnia tum clypeum imprimis, qui res a posteritate sua strenue gerendas habebat depictas, studiose admiratur.

UT belli [a] signum Laurenti [b] Turnus ab arce
Extulit, & rauco strepuerunt cornua cantu,
Utque acreis [c] concussit equos, utque [d] impulit arma:
Extemplo turbati animi: simul omne [e] tumultu
Conjurat trepido Latium. sævitque juventus
Effera. ductores primi, [f] Messapus & Ufens,

[a] Vexillum, ad comitia, & exercitum conscribendum.

[b] Namque Latinus, Sepserat se tectis, rerumque reliquerat habenas. supra 7. 1. [c] Procursu excitavit. [d] Animos diu jam resides ad arma retractanda vibratione, ventilatione & concussione exacuit. Alludunt volunt ad Rom. morem, ubi qui curam belli susceperat Martis sacrarium ingressus ancilia movit, ipsumque Martis simulachrum, cum hoc dicto, *Mars vigila*. [e] Simpliciter, vel cum respectu ad militiæ genera, conjurationem, evocationem, tumultum, sacramentum. Et tumultus proprie de bello Italico & Gallico. [f] De his supra 7. 1.

g Contemptorque deûm Mezentius, undique cogunt
Auxilia, & latos h vastant cultoribus agros.
Mittitur & magni Venulus i Diomedis ad urbem,
Qui petat auxilium, & Latio consistere Teucros,
Advectum Æneam classi, victosque penates
Inferre, & fatis regem se dicere posci,
Edoceat; multasque viro se adjungere gentes
Dardanio, & late Latio increbrescere nomen.
Quid struat his cœptis, quem, si fortuna sequatur,
Eventum pugnæ cupiat, manifestius k ipsi,
Quam Turno l regi, aut regi apparere Latino.
m Talia per Latium: quæ n Laomedontius heros
Cuncta videns, magno curarum fluctuat æstu:
Atque animum nunc huc celerem, nunc dividit illuc,
In partesque rapit varias, perque omnia versat.
o Sicut aquæ tremulum labris ubi lumen ahenis
Sole repercussum, aut radiantis p imagine lunæ,
Omnia pervolitat late loca, jamque sub auras
Erigitur, summique ferit laquearia tecti.
Nox erat, & terras animalia fessa per omnes
Alituum, pecudumque genus sopor altus habebat,
Cum pater in ripa, q gelidique sub ætheris axe
Æneas, tristi turbatus pectora bello,
Procubuit, seramque dedit per membra quietem.
Huic deus ipse loci, fluvio Tiberinus amœno,
Populeas inter senior se attollere frondes
Visus. eum tenuis glauco velabat amictu
r Carbasus, & crines umbrosa tegebat s arundo.
Tum sic affari, & curas his demere dictis.
O sate gente deûm, Trojanam ex hostibus urbem
Qui t revehis nobis, æternaque Pergama u servas,
Exspectate solo Laurenti, arvisque Latinis,
Hic tibi certa domus, certi (ne absiste) penates:
Neu belli terrere minis, tumor omnis & iræ
Concessere x Deûm.
Jamque tibi (ne vana putes hæc fingere somnum)
y Litoreis ingens inventa sub ilicibus sus,
z Triginta capitum fœtus enixa, jacebit,
Alba, solo recubans, albi circum ubera nati

g Qui sibi divinos honores & primitias offerri imperavit.
h Pecore, frugibus, ipsis colonis spoliant.
i Argyripam, sive Arpos opp. in Apulia, a Diomede Ætolia pulso conditum.
k Ut qui Trojanos prius propiusque noverat.
l Rutulorum duci, aut cui jus ad regnum Laurenti.
m Gerebantur, agitabantur.
n Æneas.
o Ἠελίου ὥς τις τε δόμοις ἐνεπάλλεται ἀγλη, &c. Apollon. Arg. 3. lib.
p Lumen in laquearibus intelligit, lunæ imaginem exceptam atque repercussam, inquit Jul. Scal. 5. l. Poetic. 6. c.
q Sub dio.
r Vestis carbasina glauca, fluvio concolor.
s Corona arundinea; qua prætexebantur ripæ.
t Ita Ilioneus. l. 7. supr. *Hinc Dardanus ortus huc repetit.*
u Ne intereant, reliquiis advectis; servando facit ut sint æterna.
x Jovis, &c. namque Junonis etiamnum manebant.
y Heleni idem vaticinium iisdem versibus prolatum habes l. 3.
z Porcelli 30. signant annos totidem, quibus exactis Ascanius conditurus erat urbem a sue alba dictam Albam. *Et stabit Alba potens albæ suis omine dicta.* Propert. l. 4. El. 1.

Hic locus urbis erit, requies ea certa laborum.
Ex quo ter denis urbem redeuntibus annis
Ascanius clari condet cognominis Albam.
Haud incerta cano. nunc qua ratione, quod instat,
Expedias victor, paucis (adverte) docebo.
[a] Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui regem Evandrum comites, qui signa sequuti
Delegêre locum, & posuere in montibus urbem,
Pallantis proavi de nomine Pallanteum.
Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina:
Hos castris adhibe socios, & fœdera junge.
Ipse ego te ripis, & [b] recto flumine ducam,
Adversum remis superes subvectus ut amnem.
Surge age, nate dea, [c] primisque cadentibus astris
Junoni fer rite preces, iramque, minasque
Supplicibus supera votis. mihi victor honorem
Persolves. ego sum, pleno quem flumine cernis
[d] Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tybris, [e] cœlo gratissimus amnis.
Hic mihi magna domus, celsis caput urbibus exit.
Dixit, deinde [f] lacu fluvius se condidit alto,
Ima petens. nox Æneam, somnusque reliquit.
Surgit, & ætherei [g] spectans orientia solis
Lumina, rite cavis undam de flumine palmis
Sustulit, ac tales effundit ad æthera voces:
Nymphæ, Laurentes Nymphæ, [h] genus amnibus unde est,
[i] Tuque, ô Tybri, tuo genitor cum flumine sancto,
Accipite Æneam, & tandem arcete periclis.
Quo te cunque [k] lacus miserantem incommoda nostra
Fonte tenet, [l] quocunque solo pulcherrimus exis:
Semper [m] honore meo, semper celebrabere [m] donis,
[n] Corniger Hesperidum fluvius regnator aquarum.
Adsis ô tandem, & propius tua numina firmes.
Sic memorat: geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat: [o] socios simul instruit [p] armis.
Ecce autem subitum atque oculis mirabile [q] monstrum:
Candida per sylvam cum fœtu concolor albo

[a] Evander pronepos Pallantis, patre occiso patria profugus Arcadia, in has Italiæ partes cum suis venit, Aborigines expulit, urbem a proavo dictam Pallanteum condidit. quo in loco postea Roma condita est.
[b] Alii leg. *tecto* sylvæ sc. & arboribus. quia Tibris flexuosus.
[c] Albescente Aurora, quæ fugat astra.
[d] Præmordentem, radentem, subruentem, quæ Tibridis natura est.
[e] Cælitibus, quorum numine Oceanus decesserit Tibri, ad quem Roma condita, arx & metropolis erit Italiæ, caput devicti orbis. [f] Antro, regia, domo sua. [g] Ad orientem solem conversus, ter libato vivo flumine se lustravit. [h] A quibus amnes ducunt originem, a lymphis sc. [i] Ennius 1. Annal. *Tuque pater Tiberine tuo cum flumine sancto*. [k] Antrum, regia. [l] Hæc, ut advena dubitans nesciusque loci & originis sl. [m] Sacris. [n] Cornuti finguntur majorum gentium fluvii, ab alveis geminis vel ostiis pluribus in quæ divisi sese in mare exonerant. 4. Georg. [o] Remiges, nautas, milites. [p] Remis, armamentis, telis. [q] Portentum, prædictum ab Heleno. 3. l. & a Tiberino, supra.

Pro-

Procubuit, viridique in [r] litore conspicitur sus:
Quam pius Æneas, tibi enim, tibi maxima Juno,
Mactat, sacra ferens, & cum grege sistit ad aram:
Tibris ea fluvium, quam longa est, nocte tumentem
Leniit, & tacita refluens ita substitit unda,
Mitis ut in morem stagni, placidæque paludis
Sterneret æquor aquis, remo ut luctamen abesset.
Ergo iter inceptum celebrat [s] rumore secundo:
Labitur uncta vadis abies: mirantur & undæ,
Miratur nemus insuetum fulgentia longe
Scuta virûm fluvio, [t] pictasque innare carinas.
Olli remigio noctemque diemque fatigant,
Et longos superant [u] flexus, variisque teguntur
Arboribus, viridesque secant placido æquore [x] sylvas.
Sol medium cœli conscenderat igneus orbem,
Cum muros, arcemque procul, & rara domorum
Tecta vident, quæ nunc Romana potentia cœlo
Æquavit: tum res inopes Evandrus habebat.
Ocius advertunt proras, urbique propinquant.
Forte die solennem illo rex Arcas honorem
[y] Amphitryoniadæ magno, divisque ferebat
Ante urbem, in luco. Pallas huic filius una,
Una omnes juvenum primi, pauperque [z] senatus,
Thura dabant, tepidusque cruor fumabat ad aras.
Ut celsas videre rates atque inter opacum
Adlabi nemus, & [e] tacitis incumbere remis:
Terrentur visu subito, cunctique relictis
Consurgunt mensis. audax quos [b] rumpere Pallas
Sacra vetat, raptoque volat telo obvius ipse:
Et procul è tumulo; Juvenes, quæ causa subegit
Ignotas tentare vias? quo tenditis? inquit.
Qui [c] genus? [d] unde domo? pacemne huc fertis, an arma?
Tum pater Æneas puppi sic fatur ab alta,
([e] Paciferæque manu ramum prætendit olivæ.)
Trojugenas, ac tela vides inimica Latinis,
Quos illi bello [f] profugos egere superbo.
Evandrum petimus. ferte hæc, & dicite lectos

[r] Satis tamen longinqua a Tibridis ripa erat sedes Albæ longæ.

[s] Unde remis proscissæ strepitu, & fluore secundi amnis a βρύω, fluo, vel κατ' ῥοῦν φερομένω. Alii *Rumone* quod nomen est Tibridis, unde *Ruminalis ficus*. Neque enim placet, quod de plausu nautico intelligi volunt.

[t] Rubrica, vel puppes pictas, vel Phrygias. Juno 7. Æn. supra, *pictasque exure carinas.*

[u] Mæandros sinuosos *Winding reaches.* Angl.

[x] Impendentium sylvarum imagines in placidis undis apparentes *Reddit navales vitreo sub gurgite formas.* Auson. Mosel.

[y] Herculi Amphitruonis filio. [z] Senes, vel simpliciter senatus. [a] In amne placido, nullo aut leni remorum luctamine. [b] Interrumpi sacra nefas, infaustique ominis. [c] E quo genere, i. e. gente estis? [d] E qua domo, i. e. patria? [e] Pacem petentes præferebant oleæ ramos laneis vittis obvolutos. l. 7. *Præferimus manibus vittas*, vitta autem religionis, oliva pacis insigne. [f] Uti & vos, advenas.

Dardaniæ venisse duces, socia arma rogantes.
Obstupuit tanto perculsus nomine Pallas:
Egredere, ô quicunque es, ait: coramque parentem
Alloquere, ac nostris succede penatibus hospes.
Accepitque manu, g dextramque amplexus inhæsit.
Progressi subeunt luco, fluviumque relinquunt.
Tum regem Æneas dictis affatur amicis:
Optime Grajugenûm, h cui me fortuna precari,
i Et k vitta comptos voluit prætendere ramos:
Non equidem extimui, Danaûm quod ductor, & Arcas,
l Quodque à stirpe fores geminis conjunctus Atridis:
Sed mea me virtus, & sancta oracula divûm,
m Cognatique patres, tua terris n didita fama,
Conjunxere tibi, & fatis egere volentem.
Dardanus Iliacæ primus pater urbis & author,
Electra (ut Graji perhibent) Atlantide cretus,
Advehitur Teucros: Electram maximus Atlas
Edidit, ætherios humero qui sustinet orbes.
Vobis Mercurius pater est, quem o candida Maja
Cyllenes gelido conceptum vertice fudit.
At Majam (auditis si quicquam credimus) Atlas,
Idem Atlas generat, cœli qui sidera tollit.
Sic genus amborum scindit se sanguine ab uno.
p His fretus, q non legatos, neque prima per artem
Tentamenta tui pepigi: me me ipse, meumque
Objeci caput, & supplex ad limina veni.
Gens eadem, quæ te, crudeli r Daunia bello
Insequitur: nos si pellant, nihil abfore credunt,
Quin omnem Hesperiam penitus sua sub juga mittant:
Et mare, quod s supra, teneant, quodque alluit s infra.
Accipe, daque fidem. sunt nobis fortia bello
Pectora, sunt animi, & rebus t spectata juventus.
Dixerat Æneas. ille os oculosque loquentis
Jamdudum, & totum lustrabat lumine corpus.
Tunc sic pauca refert. u Ut te, fortissime Teucrûm,
Accipio, agnoscoque libens! ut verba parentis
Et vocem Anchisæ magni, vultumque recordor!
x Nam memini Hesiones visentem regna sororis

g Fidei pignus.
h Hellenism. Εὔχιο Ἀπόλλωνι.
i Suppliciter pacem petere, ut modo, nota e.
k Innexos & illigatos vitta lanea.
l Ex Sterope Atlantis filia natus Oenomaus, ex illo Hippodamia; e qua Pelops Atreum genuit, patrem Agamemnonis & Menelai. Ex Maja Sterobes sorore Mercurius, ab illo Evander.
m Dardanus Trojanæ gentis pater filius Majæ, quæ soror Electræ. filia utraque Atlantis, ut sequ. quamvis tres fuerint Atlantes.
n Sparsa. 7. Æn. *Diditur hic subito Trojana per agmina rumor.*
o Pulchra. vel cum respectu ad Pleiades, quarum lucidissima est Maja.
p Virtute mea, Deorum oraculis, cognatione nostra.
q Neque per fœdera aut legatos experiri aut pacisci placuit; sed ipse coram & cum fiducia supplex adsum.
r Rutuli a Dauno Turni patre.
s Adriaticum & Tyrrhenum.
t Decennali bello circa Trojam.
u Ως; *how?* Angl.
x Refert, ubi Anchisen viderit Evander qui Trojano bello non interfuisset. comitem sc. Priami, cum sororem Hesionem Telamoni Salamino nuptam viseret, inde Arcadiam venere, ubi excepti sunt ab Evandro in Pheneo, urbe Arcadiæ.

Laomedontiadem Priamum, Salamina petentem,
Protinus Arcadiæ gelidos invisere fines.
Tum mihi prima genas vestibat flore juventa:
Mirabarque duces Teucros, mirabar & ipsum
Laomedontiadem; sed cunctis altior ibat
Anchises. mihi mens juvenili ardebat amore
Compellare virum, & dextræ conjungere dextram.
Accessi, & cupidus Phenei sub mœnia duxi.
y Ille mihi insignem pharetram, Lyciasque sagittas,
Discedens, chlamydemque auro dedit z intertextam,
Frænaque bina, a meus quæ nunc habet, aurea, Pallas.
Ergo &, quam petitis, juncta est mihi b fœdere dextra:
Et lux cum primum terris se crastina reddet,
c Auxilio lætos dimittam, opibusque juvabo.
Interea sacra hæc (quando huc venistis amici)
Annua, quæ differre nefas, celebrate d faventes
Nobiscum, & jam nunc sociorum assuescite mensis.
Hæc ubi dicta, dapes jubet, & sublata reponi
Pocula, gramineoque viros locat ipse sedili:
Præcipuumque e toro, & villosi pelle leonis
Accipit Æneam, f solioque invitat acerno.
Tum lecti juvenes certatim, aræque sacerdos
Viscera tosta ferunt taurorum, onerantque canistris
g Dona laboratæ Cereris, g Bacchumque ministrant.
Vescitur Æneas simul, & Trojana juventus
h Perpetui tergo bovis, & lustralibus i extis.
k Postquam exempta fames, & amor compressus edendi,
Rex Evandrus ait: Non hæc solennia nobis,
Has ex more dapes, hanc tanti numinis l aram,
Vana superstitio, veterumve ignara deorum
Imposuit. sævis, hospes Trojane, periclis
Servati facimus, meritosque novamus honores.
Jam primum, saxis m suspensam hanc aspice rupem:
Disjectæ procul ut moles, desertaque montis
Stat domus, & scopuli ingentem traxere ruinam.
Hic spelunca fuit, vasto submota recessu,
n Semihominis Caci: facies quam dira regebat,
Solis inaccessam radiis; semperque recenti
Cæde tepebat humus; foribusque affixa superbis
Ora virûm tristi pendebant pallida tabo.
Huic monstro Vulcanus erat pater: illius atros
Ore vomens ignes, magna se mole ferebat.
Attulit o & nobis aliquando optantibus ætas

y Gratus beneficii æstimator munera hospitalia accepta agnoscit, recenset gratus, elogiisque ornat.
z Opus Phrygium proprie.
a Filius.
b Olim sancito, nunc renovato.
c Copiis militaribus.
d Animis linguisque, εὐφημοῦντες.
e Herba & fronde exstructo. στιβάδι.
f Sacra Herculis celebrantes sedere moris erat.
g Panem, vinumque.
h Νώτοισι δικχινέεσσι, Hom. 7. Il. porrecto tergo bovis vescebatur Æneas, socii extis.
i Quæ reliqua erant e sacrificio.
k Ad verbum ex notissimo illo Homerico, Αὐτὰρ ἐπὰ πόσιος καὶ ἐδητύος ἐξ ἔρον ἕντο.
l Herculeam, quæ Magno dicata numini dicta est Maxima, infra, quæ Maxima semper, &c. m Labentem & ruinam minitantem, lapsuræ similem. n Infra. villosaque feris Pectora semiferi. o Sicut ante multis aliis.

Auxilium, adventumque dei. nam maximus [p] ultor,
[q] Tergemini nece Geryonis, [r] ſpoliiſque ſuperbus
Alcides aderat, tauroſque hac victor agebat
Ingentes; vallemque boves, amnemque tenebant.
At furiis Caci mens effera, nequid inauſum
Aut intentatum ſceleriſve, dolive fuiſſet,
Quattuor à ſtabulis præſtanti corpore tauros
Advertit, totidem forma ſuperante juvencas.
[ſ] Atque hos, nequa forent pedibus veſtigia rectis,
Cauda in ſpeluncam tractos, verſiſque viarum
Indiciis raptos, ſaxo occultabat opaco.
Quærentem nulla ad ſpeluncam ſigna ferebant.
Interea cum jam ſtabulis ſaturata moveret
Amphitryoniades armenta, abitumque pararet;
Diſceſſu [t] mugire boves, atque omne querelis
Impleri nemus, & colles clamore relinqui.
Reddidit una boum vocem; vaſtoque ſub antro
Mugiit, & Caci ſpem cuſtodita fefellit.
Hîc vero Alcidæ furiis exarſerat atro
[u] Felle dolor: rapit [x] arma manu, [y] nodiſque gravatum
[y] Robur, & aërii curſu petit ardua montis.
Tum primum noſtri Cacum videre timentem,
Turbatumque [z] oculis, fugit ilicet ocyor Euro,
Speluncamque petit. pedibus timor addidit alas.
Ut ſeſe incluſit, ruptiſque immane catenis
Dejecit ſaxum, [a] ferro quod & arte paterna
Pendebat; fultoſque emuniit obice poſtes:
Ecce furens animis aderat Tirynthius, omnemque
Acceſſum luſtrans, huc ora ferebat, & illuc,
Dentibus infrendens. ter totum fervidus ira
Luſtrat Aventini montem: ter ſaxea tentat
Limina nequicquam: ter [b] feſſus valle reſedit.
Stabat acuta ſilex, præciſis undique ſaxis,
Speluncæ dorſo inſurgens, altiſſima viſu,
[c] Dirarum nidis domus opportuna volucrum.
Hanc, ut prona jugo lævum incumbebat ad [d] amnem,
Dexter in adverſum nitens concuſſit, & imis
Avulſum ſolvit radicibus: inde repente

[p] Scelerum vindex, tyrannorum exactor, monſtrorum domitor.
[q] Ter ampli, tricorporis, cui propter concordiam & mutuum auxilium 3 fratrum, tria adfinguntur corpora. Juſtin. 44 lib.
[r] Bobus abductis ex Hiſpania.
[ſ] *Hic, ne certa forent manifeſtæ ſigna rapinæ, Adverſos cauda traxit in antra boves.* Propert. 4. l. 10. eleg. quem lege ad plenum fabulam Caci referentem; ut & Ovidium 1. Faſt. & Liv. 1. l. & Dionyſ. Hal. 1. lib.
[t] Relictine paſcui, an abactorum boum deſiderio, ut Livius.
καὶ γὰρ τὰ θήρια τῶν συντρεφομένων ἀποσπώμενα, ταῦτα ποθοῦνθα φαίνεται. Plutarch. pæd.
[u] Quæ bilis ſedes. atra vero bilis, ubi incaluit, commoto animo ac perturbata ratione, hominem in furias agit.
[x] Arcum & ſagittas.
[y] Nodoſam clavam. ῥόπαλον.
[z] Qui mentis perturbationum indices.
[a] Quod ferreis catenis libratum arte Vulcania, obſtrueret aditum antri.
[b] Inops conſilii.
[c] Rapacium & mali ominis.
[d] Tiberim.

Impu-

Impulit: impulsu quo maximus insonat æther,
Dissultant ripæ, refluitque exterritus amnis.
At specus, & Caci detecta apparuit ingens
Regia, & umbrosæ penitus patuere cavernæ.
Non secus, ac si qua penitus vi terra dehiscens
Infernas reseret sedes, & regna recludat
Pallida, *e* diis invisa, *f* superque immane *g* barathrum
Cernatur, trepidentque immisso lumine manes.
Ergo insperata deprensum luce repente,
Inclusumque cavo saxo, atque insueta *h* rudentem,
Desuper Alcides telis premit, omniaque arma
Advocat, & *i* ramis, vastisque molaribus instat.
Ille autem (neque enim fuga jam super ulla pericli est)
Faucibus ingentem fumum (mirabile dictu)
Evomit, involvitque domum caligine cæca,
Prospectum eripiens oculis, glomeratque sub antro
k Fumiferam noctem, commistis igne tenebris.
Non tulit Alcides animis, seque ipse per ignem
Præcipiti jecit saltu, qua plurimus undam
Fumus agit, nebulaque ingens specus æstuat atra.
Hîc Cacum in tenebris incendia *l* vana vomentem
Corripit in *m* nodum complexus, & angit inhærens
Elisos oculos, & siccum sanguine guttur.
Panditur extemplo foribus domus atra revulsis:
Abstractæque boves, *n* abjuratæque rapinæ
Cœlo ostenduntur, pedibusque informe cadaver
Protrahitur. nequeunt expleri corda tuendo
Terribiles, oculos, vultum, villosaque setis
Pectora semiferi, atque exstinctos faucibus ignes.
Ex illo celebratus honos, lætique *o* minores
Servavere diem: primusque *p* Potitius author,
Et domus Herculei *q* custos *p* Pinaria sacri,
Hanc aram luco statuit, quæ Maxima semper
Dicetur nobis, & erit quæ Maxima semper.
Quare agite, ô juvenes, tantarum in munere laudum
Cingite *r* fronde comas, & *s* pocula porgite dextris,
t Communemque vocate deum, & date vina volentes,

e Stygia. ἀ στυγέουσι θεοί.
f Desuper.
g Vorago inferorum. proprie, puteus profundus Athenis in quem nocentes dabantur præcipites.
h De Caco semper ut de fera loquitur.
i Truncis, simpliciter, vel, clava ex o[illegible] cum ramalibus & radice. *Mœnalio jacuit pulsus tria tempora ramo Cacus.* Propert. 10. El. 4. lib.
k Nebulam fumei vaporis.
l Nihil adversus Herculem proficientia.
m Brachiorum arcte stringentium.
n Obstinate abnegatæ.

Dionys. 1. l. *o* Posteri. proprie, qui ultra trinepotes; ut majores, qui supra tritavum. *p* Potitium & Pinarium senes duos instituebat Hercules sacerdotes suos. mansitque cultus ratio & sacrorum Herculis munus diu in duabus illis familiis. primus honor Potitiis, secundus Pinariis datus. rationem vide apud Livium 1. lib. Festum Macrobium 3. Sat. 6. c. *q* Ministra. *r* Ad preces. *s* Ad libamina. *t* Trojanis & Arcadibus ex æquo cultum. An, Medioxumum, & Medium fidium? An benignum & omnibus patentem & ad auxilia paratum? An, quia idem cum Marte, qui κοινὸς, ut & Mercurius?

Dixerat: [u] Herculea bicolor cum populus umbra
Velavitque comas, foliisque innixa pependit:
Et [x] sacer implevit dextram scyphus. ocius omnes
In mensam læti libant, divosque precantur.
[y] Devexo interea propior fit vesper Olympo:
Jamque sacerdotes, primusque Potitius, ibant,
Pellibus in morem cincti, flammasque ferebant.
Instaurant epulas, & mensæ grata secundæ
Dona ferunt, cumulantque oneratis lancibus aras.
Tum [z] Salii ad cantus, incensa altaria circum,
Populeis adsunt evincti tempora ramis.
Hic juvenum chorus, ille senum, qui carmine laudes
Herculeas, & facta ferunt. [a] ut [b] prima [c] novercæ
Monstra manu, geminosque premens eliserit angues:
Ut bello egregias idem disjecerit urbes,
[d] Trojamque, [e] Oechaliamque: ut duros mille labores
Rege sub [f] Euristheo, fatis Junonis iniquæ,
Pertulerit. Tu [g] nubigenas, invicte, bimembres,
[g] Hylæumque, [g] Pholumque manu, tu [h] Cretia mactas
Prodigia, & vastum Nemeæ sub rupe leonem.
Te Stygii tremuere lacus, te [i] janitor Orci,
Ossa super recubans antro semesa cruento:
Nec te ullæ [k] facies, non terruit ipse [l] Typhœus
Arduus, arma tenens: [m] non te rationis egentem
Lernæus turba capitum circumstetit anguis.
Salve vera Jovis proles, decus addite divis:
Et nos & tua [n] dexter adi pede sacra secundo.
Talia carminibus celebrant: super omnia Caci
Speluncam adjiciunt, spirantemque ignibus ipsum.
Consonat omne nemus strepitu, collesq; resultant.
Exin se cuncti divinis rebus ad urbem
Perfectis referunt. ibat rex [o] obsitus ævo,
Et comitem Æneam juxta, natumque tenebat
Ingrediens; varioque viam sermone levabat.

[u] Populus alba ab Hercule ad inferos descendente in coronam adoptata. cujus interior pars qua capiti adhæsit, alba permansit, exterior ab inferis nigredinem contraxit.
[x] Herculi proprie dicatus, ut Baccho cantharus. capax scil. ut qui manum impleverit.
[y] In noctem inclinante.
[z] Ludii qui ab tibiam & cantum in sacris saltant, nec sacris tantum Martis, ut Macrobius habet, qui idem est cum Hercule 3. l. 12. c. Sed & qui ἐνόπλιον ὄρχησιν saltarunt, Salii dicti sunt. Jos. Scal. in Catull. 17. epigr.

[a] Hymnus laudes Herculis comprehendens. Præter Homerum, Orphea & alios qui ex professo hymnos canebant, vide Ovidium, initio l. 4. Horat. l. 1. Od. 21. & 2. l. Od. 19. &c. Statium sub fine v. l. Thebaidos, &c. [b] In cunis. [c] Junonis. [d] A Laomedonte pacta mercede fraudatus. [e] Ab Euryto rege rejectus in nuptiis desponsatæ ei filiæ. [f] Rege Argivorum, ministro Junonis. Herculem ad difficillima obeunda adigente. [g] Centauros ex nube in Junonis speciem informatæ & Ixione genitos. [h] Taurum Cretensem. sed de his videndi Mythologi. Ovid. 9. Metam. &c. [i] Cerberus, κρεοβόρος. [k] Formæ monstrorum, species malorum. [l] Gigas. [m] Non exanimatum, aut confusum te sensit Hydra multiceps. [n] Favens, propitius. [o] Annis confectus. Terent. Eun. *annis annisque obsitus.*

Miratur, *p* facileſque oculos fert omnia circum
Æneas: capiturque locis, & ſingula lætus
p Exquiritque, auditque virûm monimenta priorum.
Tum rex Evandrus, *r* Romanæ conditor arcis:
Hæc nemora *ſ* indigenæ Fauni, nymphæque tenebant,
Genſque virûm truncis, & duro robore nata:
Queis neque mos, neque cultus erat: nec jungere tauros,
Aut componere opes norant, aut parcere parto:
Sed *t* rami, atque aſper victu venatus alebat.
u Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo,
Arma Jovis fugiens, & regnis exul ademptis.
Is genus *x* indocile, ac diſperſum montibus altis
Compoſuit, legeſque dedit, Latiumque vocari
Maluit; his quoniam latuiſſet tutus in oris.
Aureaque (ut perhibent) illo ſub rege fuere
Sæcula: ſic placida populos in pace regebat.
Deterior donec paulatim, ac *y* decolor ætas,
Et belli rabies, & amor ſucceſſit habendi.
Tum manus Auſonia, & gentes venêre Sicanæ:
z Sæpius & nomen poſuit Saturnia tellus.
Tum reges, aſperque immani corpore *a* Tibris:
A quo poſt Itali fluvium cognomine Tibrim
Diximus: amiſit verum vetus Albula nomen.
Me pulſum patria, pelagique extrema ſequentem,
Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum
His poſuere locis: matriſque egere tremenda
Carmentis nymphæ monita, & deus author Apollo.
Vix ea dicta: dehinc progreſſus, monſtrat & *b* aram,
Et Carmentalem Romano nomine portam:
Quam memorant *c* Nymphæ priſcum Carmentis honorem
Vatis fatidicæ: cecinit quæ prima futuros
d Æneadas magnos, & nobile *e* Pallanteum.
Hinc lucum ingentem (*f* quem Romulus acer Aſylum
Rettulit) & gelida monſtrat ſub *g* rupe Lupercal,
h Parrhaſio dictum Panos de more Lycæi.

p Curioſos, omnia luſtrantes.
q Vide Macrob. 7. c. 2.
r Pallanteæ, quod poſtea Palatium Rom.
ſ Αὐτόχθονες, ἐπιχώριοι, Aborigines Fauni homines rudes & bruti ſub dio agebant; quibus nymphæ ſuæ fœtum ſub ilicibus aut fagis fuderunt: mox & cavas arbores habitarunt unde naſci dicebantur.
t Fructibus ſponte natis veſcebantur, venatione victitabant.
u Creta pulſus a Jove filio; propter artes ab indigenis de cœlo deſcendiſſe creditus.
x Rude & ferum.
y Colore detrito ac vitiato, ab auri ſplendore in argenti pallorem, mox in ferruginem belli, avaritiæ & omnium vitiorum degenerans.
z Primum dicta Argeſſa, inde Cameſene, mox Heſperia, hinc Auſonia, dein Oenotria, denique Italia. Cluver. 1. l. 2. c.
a Thuſcorum dux prædabundus Albula demerſus mutavit fluvio nomen.
b Carmentæ matri dicatam.
c *Supple*, retinuiſſe priſcum honorem.
d Romanos olim, Æneæ progeniem.
e Palatium Rom. Imperii ſedem.
f Quem Romulus poſtea retulit in aſylum, quo quicunque confugerent, benigne accepti in ſocietatem invitabantur.
g Monte Palatino.
h Templum Arcadico ritu & cultu conſecratum Pani Lycæo, nomen utrique a λύκος, lupus.

Nec non & *i* sacri monstrat nemus *k* Argileti: 345
Testaturque locum & lethum docet hospitis Argi.
Hinc ad *l* Tarpejam sedem, & Capitolia ducit,
m Aurea nunc, olim sylvestribus horrida dumis.
n Jam tum religio pavidos terrebat agrestes
Dira loci: jam tum sylvam, saxumque tremebant. 350
Hoc nemus, *o* hunc (inquit) frondoso vertice collem
(Qui Deus, incertum est) habitat Deus: *p* Arcades ipsum
Credunt se vidisse *q* Jovem; cum sæpe nigrantem
r Ægida concuteret dextra, nimbosque cieret.
Hæc duo præterea disjectis oppida muris, 355
Reliquias, veterumque vides monimenta virorum.
Hanc Janus pater, hanc Saturnus condidit urbem:
Janiculum huic, illi fuerat Saturnia nomen.
Talibus inter se dictis, ad tecta subibant
Pauperis Evandri: passimque armenta videbant 360
s Romanosque foro & *t* lautis mugire *u* Carinis.
Ut ventum ad sedes *x* Hæc (inquit) limina victor
Alcides subiit: hæc illum regia cepit.
Aude hospes contemnere opes, & te quoque dignum
Finge deo: rebusque veni non asper egenis. 365
Dixit: & *y* angusti subter fastigia tecti
y Ingentem Æneam duxit: stratisque locavit
Effultum foliis & pelle Libystidis *z* ursæ.
Nox ruit, & fuscis tellurem amplectitur alis. 369
At Venus haud animo nequicquam exterrita mater,
Laurentumque minis, & duro mota tumultu,
Vulcanum alloquitur: *a* thalamoque hæc conjugis aureo
Incipit, & dictis divinum aspirat amorem.
Dum bello Argolici vastabant Pergama reges.

i Execrandi, scelesto tumulo Argi violant sacra hospitalia jura.
k A letho Argi cujusdam, qui hospitio ab Evandro acceptus conjurabat in Evandrum, a cujus comitibus interfectus est.
l Arcem Tarpejam dictam a filia Sp. Tarpeji quæ illam Sabinis prodidit. postea Capitolium, a capite Toli ibi inventi. Liv. Dionys. alii.
m Ovid. 1. Fastor. & Propert. 4. lib. 1. sel.
n Sic l. 7. de Latini tecto, *Horrendum sylvis & religione parentum.* *o* Rupem Tarpejam. *p* Nostri. *q* Agnitum postea a Romanis & Capitolini nomine & honore cultum. *r* Scutum Jovis, Amaltheæ αἰγὸς & pelle tectum. *s* Illo loco, in quo postea erant Romanum forum & Carinæ. Prolepticus Anachronismus. *t* Ædificiorum magnificentia, namque ibi Pompeji domus postea, Ciceronis & aliorum. Proleptice. *u* Vico Rom. extructo ædificiis in morem carinarum inversarum. *x* Hercules ille monstrorum domitor victo Geryone reversus non dedignatus est subire humilia hæc limina, hanc qualemcunque regiam. Tu quoque tantum heroa imitatus, imo Deum ipsum, contemnendo opes luxuriosas, noli fastidire res tenues, sed lætus succede angustis hisce tectis. Seneca laudato hoc versu. ep. 18. *Nemo*, inquit, *alius est Deo dignus, quam qui opes contempsit* Et Juv. 11. Sat. Persicum ad frugalem invitans cœnam, *habebis Evandrum, venies Tirynthius, aut minor illo Hospes*, &c. Æneas sc. *y* Pulchra Antithesis. Sic Martialis de Domitiano. 4. l. 8. Epigr. *Ingeniique tenet pocula parca manu.* *z* An Leonis. vide quæ ad versum illum 5. l. *Horridus in jaculis, & pelle Libystidis ursæ* *a* *Hos illa Dei molles aditus, mollissima fandi Tempora* norat, hic fragrare cydonia, dominari Suadas, Gratias, Veneres geminatas.

b Debita, caſuraſque inimicis ignibus arces:
Non ullum auxilium miſeris, non arma rogavi
Artis, opiſque tuæ: nec te, chariſſime conjux,
Incaſſumve tuos volui exercere labores:
Quamvis & Priami deberem plurima *c* natis:
Et durum Æneæ fleviſſem ſæpe laborem.
Nunc Jovis imperiis, Rutulorum conſtitit oris:
Ergo eadem ſupplex venio; & ſanctum mihi numen
Arma rogo, *d* genitrix nato, te *e* filia Nerei,
Te potuit lacrymis *f* Tithonia flectere conjux.
Aſpice qui coëant populi, *g* quæ mœnia clauſis
Ferrum acuant portis in me, excidiumque meorum.
Dixerat: & niveis hinc atque hinc Diva lacertis
Cunctantem amplexu molli fovet. ille repente
Accepit ſolitam *h* flammam, notuſque medullas
Intravit *h* calor, & labefacta per oſſa cucurrit.
Non ſecus, atque olim tonitru cum rupta coruſco
Ignea rima micans percurrit lumine nimbos.
Senſit læta dolis, & formæ conſcia conjux.
Tum pater *i* æterno fatur devictus amore:
Quid cauſas petis *k* ex alto? fiducia ceſſit
Quo tibi diva mei? *l* ſimilis ſi cura fuiſſet,
Tum quoque fas nobis Teucros armare fuiſſet.
Nec pater omnipotens Trojam, nec *m* fata vetabant
Stare decemque alios Priamum ſupereſſe per annos.
Et nunc, ſi bellare paras, atque hæc tibi mens eſt;
Quicquid in arte mea poſſum promittere curæ,
Quod fieri ferro, liquidove poteſt *n* electro:
Quantum ignes, *o* animæque valent: abſiſte precando
Viribus *p* indubitare tuis. Ea verba loquutus,

b Ruinæ & exitio deſtinata a fatis.
c Paridi præcipue, cujus judicio de forma palmam tuli. nec non Creüſæ.
d Non leves hic dividiæ inter Grammaticos, quorum alii judicium Poëtæ deſiderant inducentis Venerem deprecantem filio arma a marito cui ſoli nupſerat, neque ex eo proem ſuſcepiſſe ſe noverat. Sic itaque diſtinguendum cenſent. *Arma rogo genitrix nato te filia Nerei, Te potuit, &c.* Alii contra tuentes

quam retinuimus lectionem, parant defenſionem: eſſe bonum virum Vulcanum, qui Marti retibus implicito ignoverit, qui Venerem patienter amet, rivalem Anchiſen ferat, cujus iram lacrymula una vix vi expreſſa reſtinguat; apud quem blanditiæ interlocicales, *chariſſime conjux*, *ſanctum mihi numen* delere valeant omnem nequitiarum furtorumque Veneris ſuæ memoriam. Ab his inſuper ſtat Anaphoræ gratia, *Te filia Nerei*, *te potuit lacrymis* —— Quamvis & illis in mundo ſit quod opponant precanti Ven. *mihi arma rogo*, & mox Vulc. reſp. *ſi bellare paras* —— namque & illa bellatrix, Il. *e*. *e* Thetis Achilli ſuo. Il. 18. unde hæc adumbrata. *f* Aurora Memnoni. *g* Supra, l. 7. *Quinque adit magnæ, poſitis incudibus, urbes Tela novant.* *h* Vulcano conveniunt *flamma* per *medullas* & *calor* per *oſſa*. *i* Magno & divino, qualem agnoſcunt Dii æterni. Sed & Lucret. præibat 1. *æterno devinctus vulnere amoris*; de Marte amante Venerem. *k* Ab ovo quaſi Trojani belli, ab exemplis? *l* Si tibi ſimilis cura armorum fuiſſet prius. *m* Fata Troiæ mutare non potui, differre potui. *n* Factitio, vel etiam nativo, ubi auro conflatur quinta argenti portio, ad duritiem metalli ideo *liquido*. *o* *Auratum animæ*. Lucret. & follium flabra. *p* Diffidere, particula *In* ἐπιτατικῇ. ut *incana*, *infamus*, &c.

Optatos dedit amplexus, placidumque petivit
Conjugis infusus gremio per membra soporem.
Inde, ubi prima quies medio jam noctis abactæ
q Curriculo expulerat somnum: e ceu fœmina primum
Cui f tolerare colo vitam, tenuique r Minerva,
Impositum cinerem, & sopitos suscitat ignes,
Noctem addens operi, famulasque ad lumina longo
Exercet penso; castum ut servare cubile
Conjugis, & possit parvos educere gnatos:
Haud secus u ignipotens, nec tempore segnior illo
Mollibus e stratis opera ad fabrilia surgit.
x Insula Sicanium juxta latus, y Æoliamque
Erigitur y Liparen, fumantibus ardua saxis:
Quam subter specus, & z Cyclopum exesa caminis
Antra a Ætnæa tonant, validique incudibus ictus
Auditi referunt gemitum, b striduntque cavernis
c Stricturæ chalybum, & fornacibus ignis anhelat:
Vulcani domus, & Vulcania nomine tellus.
d Hoc tunc ignipotens cœlo descendit ab alto.
Ferrum exercebant vasto Cyclopes in antro.
Brontesque, Steropesque, & nudus membra Pyracmon.
His e informatum manibus jam parte polita
Fulmen erat (toto genitor f quæ plurima cœlo
Dejicit in terras) pars imperfecta manebat.
g Tres imbris torti radios, h tres nubis aquosæ
Addiderant, rutili i tres ignis, & k alitis Austri.
Fulgores nunc terrificos, sonitumque metumque
Miscebant operi, flammisque sequacibus iras.
Parte alia Marti currumque, rotasque volucres
l Instabant; quibus ille viros, quibus excitat urbes:
m Ægidaque horrificam n turbatæ Palladis arma,
Certatim squamis serpentum, auroque polibant,
Connexosque angues, ipsamque in pectore divæ
Gorgona defecto vertentem lumina collo,
Tollite cuncta (inquit) cœptosque auferte labores,

q Cursu.
r Ὡς ὅ γυνὴ μαλερῷ πυρί, &c. Apollon. Arg. 3.
f Bene ac pudice vitam instituit, lana ac tela victum quæritans. Terent. Andr.
t Lanificio, Minervæ invento ac opere.
u Mulciber, ferrariæ deus,
x Hiera ins. Vulcani officina, inter Siciliam & Liparen
—— y Unam ex Æoliis insulis.
z Qui fabricam ferrariam inveniisse feruntur.
a Ignivoma. instar Ætnæ.
b Ictu sc. malleorum in incudibus.
c Scintillæ erumpentes e ferro dum cuditur stringiturque.

d Non sine autoritate Grammaticorum, pro *huc*. quod & habent nonnulli codices. e Formam habens, sed rudem. fulmen nondum erat plane perfectum & absolutum. infra, *clypeum informant*. f Qualia plurima Jupiter dejicit cœlo. g Grandinis. 3. h Pluviæ. 3. i Ignis, seu æstuantis aeris. 3. k Venti. 3. l Intenta opera fabricabant. m Munimentum pectoris æreum, Jovis aut Palladis propriuin, squammoso draconum corio contectum, sic ut extremum ipsius ambitum dracunculi ad limbi aut fimbriæ vicem circumcluderent: In medio habent Gorgonis caput. n Ad bellum concitatæ, turbidis oculis torvam intuitæ.

Ætnei Cyclopes, & huc advertite mentem.
Arma acri facienda viro: nunc viribus usus,
Nunc manibus rapidis, omni nunc arte magistra:
Præcipitate moras. Nec plura effatus. at illi
Ocyus incubuere omnes, o pariterque laborem
Sortiti: p fluit æs rivis, aurique metallum;
Vulnificusque chalybs vasta fornace liquescit.
Ingentem clypeum informant, unum omnia contra
Tela Latinorum: septenosque orbibus orbes
Impediunt. alii ventosis follibus auras
Accipiunt, redduntque; alii q strigentia tingunt
Æra lacu: gemit impositis incudibus antrum.
Illi inter sese multa vi brachia tollunt
r In numerum, versantque tenaci forcipe massam.
Hæc s pater Æoliis properat dum t Lemnius oris;
Evandrum ex humili tecto lux suscitat alma,
Et matutini volucrum sub culmine cantus.
Consurgit senior, u tunicaque inducitur arcus,
Et x Tyrrhena pedum circundat x vincula plantis:
Tum lateri, atque humeris x Tegeæum subligat ensem
y Demissa ab læva panthera terga retorquens.
Nec non & z gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumque z canes comitantur herilem.
Hospitis Æneæ sedem & secreta petebat,
Sermonum memor, & promissi muneris heros.
Nec minus Æneas se matutinus agebat.
Filius huic Pallas, olli comes ibat Achates.
Congressi jungunt dextras, mediisque residunt
Ædibus: & a licito tandem sermone fruuntur.
Rex prior hæc.
Maxime Teucrorum ductor, quo sospite nunquam
Res equidem Troiæ victas, aut regna fatebor:
Nobis ad belli auxilium pro nomine tanto
Exiguæ vires: hinc b Thusco claudimur b amni:
Hinc Rutulus premit, & murum circumsonat armis.
Sed tibi ego c ingentes populos, opulentaque regnis
Jungere castra paro: quam fors inopina salutem
Ostentat: faris huc te poscentibus affers.
Haud procul hinc saxo incolitur fundata vetusto

o Divisis inter se operibus.
p Conflatum liquitur ad modum fluentis aquæ.
q Stridet sc. ferrum, dum in aqua tingitur.
r In ordinem, ita ut ex alternis ictibus numerus & concentus advertatur. vide quæ ad hos versus supra. 4. Georg.
s Vulcanus, a Lemno insula, in qua a Lemniis excipiebatur cœlo a Junone dejectus ob deformitatem. nec non præcipitatus a Jove, eodem cecidit. Il. a.
t Il. 2. Agamemnon μαλακὸν δ' ἔνδυνε χιτῶνα. Ποσσὶ δ' ὑπαὶ λιπαροῖσιν ἐδήσατο καλὰ πέδιλα. u ὑποδήματα, sandalia, soleas corrigiis subvinctas. x Arcadicum. Tegea urbs Arcadiæ. y Pellem pantheræ ab humero lævo demissam revocans ad partem sinistram. z Telemachum ἅμα δύω κύνες ᾠρχηὶ ἕποντο. z, Odyss.
a Remotis arbitris. b Tiberi. c Etruriam, in qua 12 urbes a Tyrrheno conditæ sub præfectis totidem.

Urbis *d* Agyllinæ sedes: *e* ubi Lydia quondam
Gens bello præclara, jugis insedit Etruscis.
Hanc multos florentem annos, rex deinde superbo
Imperio & sævis tenuit Mezentius armis.
Quid memorem infandas cædes? quid facta tyranni
Effera? Dii capiti ipsius, generique reservent.
Mortua quin etiam jungebat corpora vivis,
Componens manibusque manus, atque oribus ora,
(Tormenti genus) & sanie, taboque fluentes
Complexu in misero, longa sic morte necabat.
At fessi tandem cives *f* infanda furentem
Armati circumsistunt, ipsumque, domumque:
Obtruncant socios; ignem ad fastigia jactant.
Ille inter cædes Rutulorum elapsus in agros
Confugere, & *g* Turni defendier hospitis armis.
Ergo omnis *h* furiis surrexit Etruria justis:
Regem ad supplicium *i* præsenti Marte reposcunt.
His ego te, Ænea, ductorem millibus addam,
Toto namque fremunt condensæ litore puppes,
Signaque ferre jubent. retinet longævus *k* aruspex
Fata canens: O *l* Mæoniæ delecta juventus,
Flos veterum, virtusque virûm, quos justus in hostem
Fert dolor, & merita accendit Mezentius ira:
Nulli fas Italo tantam subjungere gentem:
Externos *m* optate duces. Tum Etrusca resedit
Hoc acies campo, monitis exterrita divûm.
Ipse oratores ad me, regnique *n* coronam
Cum sceptro misit, mandatque insignia Tarchon:
o Succedam castris, Tyrrhenaque regna capessam.
Sed mihi tarda *p* gelu *q* seclisque effœta senectus
Invidet imperium; seræque ad fortia vires.
Gnatum exhortarer, ni *r* mistus matre Sabella
s Hinc partem patriæ traheret. Tu cujus & *t* annis,
Et *u* generi fatum indulget, quem numina poscunt,
Ingredere, ô Teucrum, atque Italum fortissime ductor.
Hunc tibi præterea, spes, & solatia nostri,
Pallanta adjungam: sub te tolerare magistro
Militiam, & grave Martis opus: tua cernere facta
Assuescat, primis & te miretur ab annis.
Arcadas huic equites bis centum, robora pubis

d Agylla, quæ & Cære, urbs Etruriæ.
e Ubi Lydia colonia quondam insedit Tyrrheno duce, infra.
f Infandum. Helleniſm. Infando scelere & suppliciis.
g Inversa a nostro historia. namque Turnus ad Mezentium confugit. Liv. 1. lib.
h Ira, tumultu.
i Ne mora intermissus tepescat calor.
k Tarchon forte; cujus ministerio usus fuerat Tyrrhenus rex ad condendas 12 urbes, jam quasi Interrex.
l Herrusci a Lydis & Mœoniis oriundi, qui sub Tyrrheno Lydi fratre duce hanc Italiæ partem appulsi occuparunt.
m Adoptate.
n Diadema.
o Ut velim. succedere castris. *p* Gelida senecta novis imperiis inepta. *q* Seculum hic 30 annis censetur. *r* Duxerat enim Evander filiam regis Sabinorum. *s* A materna parte esset Italus. *t* Cum respectu ad Evandrum. *u* Cum respectu ad Pallantem.

Lecta

Lecta dabo, totidemque suo tibi nomine Pallas.
Vix ea fatus erat: defixique ora tenebant
Æneas Anchisiades, & fidus Achates:
Multaque dura suo tristi cum corde putabant;
Ni signum cœlo x Cytherea dedisset y aperto.
Namque improviso vibratus ab æthere fulgor
Cum % sonitu venit; & ruere omnia visa repente,
a Tyrrhenusque tubæ mugire per æthera clangor.
Suspiciunt. b iterum, atque iterum fragor intonat ingens:
Arma inter nubem, cœli in regione serena
Per sudum rutilare vident, & pulsa tonare.
Obstupuere animis alii: sed Troius heros
c Agnovit sonitum, & divæ promissa parentis.
Tum memorat: Ne vero hospes, ne quære profecto,
Quem casum portenta ferant: d ego poscor Olympo.
Hoc signum cecinit missuram diva e creatrix,
Si bellum ingrueret; Vulcaniaque arma per auras
Laturam auxilio.
Heu! quantæ miseris cædes Laurentibus instant!
Quas pœnas mihi Turne dabis! quam multa sub undas
Scuta virûm, galeasque, & fortia corpora volves
Tibri pater! f poscant acies & fœdera rumpant.
Hæc ubi dicta dedit; solio se tollit ab alto,
Et primum Herculeis g sopitas ignibus g aras
Excitat, h hesternumqûe larem, i parvosque penates
Lætus adit: mactat lectas de more bidentes,
Evandrus pariter, pariter Trojana juventus.
Post hinc ad naves graditur, sociosque revisit:
Quorum de numero, qui sese in bella sequantur,
Præstantes virtute legit: pars cætera prona
Fertur aqua, segnisque secundo defluit amni,
Nuncia ventura Ascanio rerumque, patrisque.
Dantur equi k Teucris Tyrrhena petentibus arva:
Ducunt l exsortem Æneæ, quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus mureis.
Fama volat parvam subito vulgata per urbem,
Ocius ire equites m Tyrrheni ad litora regis.
Vota metu duplicant matres, propiusque periclo
It timor, & major Martis jam apparet imago.

x Venus ab inf. Cythera, ad quam orta mari appulit.
y Disrupto
% hi ante fulgetris & tonitribus.
% Tonitru.
a Proprie. inventum enim Tyrrhenorum tuba. Cum respectu tamen ad Etruscos ducem externum jam poscentes.
b Ad firmandum omen.
c Prodigio hoc armorum conjicit sibi delata a matre arma contra arma inimica; nec non acies & prælia.
d Me cœlestia hæc portenta designant ad hoc bellum.
e Mater Venus.
f Permissio Ironica. Eant jam, vi ac bello rumpant fœdera pacta inter me & Latinum. sed non diu impune.
g Sopitos ignes in aris Herculeis.
h Hesternum focum excitat. vel, adit Larem cui pridie sacrum factum.
i Domesticos, ut distinguat a Provincialibus & Urbanis.
k Electis illis, qui cum Ænea ad Tarchontem & Etruscos ituri erant.
l Extra ordinem sortis; eximium supra alios.
m Aurum referentibus ex politie; aut aureis ung. arte insertis, aut aureis laminis opertis.
n Mezentii, in Etruriam sc.

Tum

Tum pater Evandrus dextram complexus euntis
Hæret, inexpletum lacrymans, ac talia fatur:
O mihi præteritos referat si Juppiter annos:
Qualis eram, o cum primam aciem Præneste sub ipsa
Stravi, p scutorumque incendi victor acervos,
Et regem hac o Herilum dextra sub Tartara misi:
Nascenti cui q tres animas r Feronia mater,
(Horrendum dictu) dederat: terna arma movenda,
Ter letho sternendus erat: cui tum tamen omnes
Abstulit hæc animas dextra, & totidem exuit armis.
s Non ego nunc dulci amplexu divellerer usquam,
Nate, tuo: neque finitimus Mezentius unquam
Huic capiti insultans tot ferro sæva dedisset
Funera, tam multis viduasset civibus urbem.
At vos, ô superi, & divûm tu maxime rector
Juppiter, Arcadii quæso miserescite regis,
Et patrias audite preces. t si numina vestra
Incolumem Pallanta mihi, si fata reservant;
Si visurus eum vivo, & venturus in unum:
Vitam oro: patiar quemvis durare laborem.
Sin aliquem infandum u casum fortuna minaris;
Nunc, ô nunc liceat crudelem abrumpere vitam:
x Dum curæ ambiguæ, dum spes incerta futuri,
Dum te, chare puer, mea y sera & sola voluptas,
Complexu teneo; gravior ne nuncius aures
Vulneret. Hæc genitor digressu dicta supremo
Fundebat: famuli z collapsum in tecta ferebant.
Jamque adeo exierat portis equitatus apertis;
Æneas inter primos, & fidus Achates,
Inde alii Trojæ proceres: ipse agmine Pallas
In medio, chlamyde, & pictis a conspectus in armis:
b Qualis ubi Oceani c perfusus d Lucifer unda,
(Quem d Venus ante alios astrorum diligit ignes)
Extulit os sacrum cœlo, e tenebrasque resolvit.
Stant pavidæ in muris matres, oculisque sequuntur
f Pulverem nubem, & fulgentes ære catervas.
Olli per dumos qua proxima meta viarum,
Armati tendunt: it clamor, & agmine facto
Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.

* Evandrum ex Arcadia venientem in Italiam repellere conatus est Herilus rex Prænestinus; sed ab Evandro victus, cæsusque.
p Victores arma, scuta præsertim, eorum quos vicerant, incendebant ex more & voto.
q Tres vitas, namque *ter letho sternendus erat.* seq.
r Dea nemoris Tarracini. Jovis Auxuris uxor. supra 7. lib.
s Ipse una protectus comitarer Æneam.
t Si reducem filium sospitem recepturus sum.
u Mortem. sed male ominato verbo abstinet.
x *Dum metus est, nec adhuc dolor.* Val. 1. lib. *Nec dum est ille dolor, sed jam metus.* Lucan 2.
y Mihi seni natus, & unigena.
z Delinquentem animam præ dolore.
a Conspicuus.
b Homer. Il. 5. & 22.
c Ex opinione veterum qui humore ali sidera credebant.
d Eadem cum sit stella, Luciferum intelligit globum & corpus; Venerem autem numen illud, quam intelligentiam vocant Metaphysici. Scal. Poet. 5. lib. 3.
e Proxime Solem ac Lunam stella clarissima, diei præmuncia.
f Ab equitibus concitatam.

Est ingens gelidum lucus prope Cæritis g amnem,
Relligione patrum late sacer: undique colles
Inclusere cavi, & nigra nemus abjete cingunt.
Sylvano fama est veteres sacrasse Pelasgos,
Arvorum pecorisque deo, lucumque h diemque,
i Qui primi fines aliquando habuere Latinos.
Haud procul hinc Tarcho, & Tyrrheni tuta tenebant
Castra locis; celsoque omnis de colle videri
Jam poterat legio, & latis tendebat in arvis.
Huc pater Æneas, & k bello lecta juventus
Succedunt, fessique & equos, & corpora curant.
At Venus ætherios inter dea candida nimbos
Dona ferens aderat: natumque in valle reducta
Ut procul l è gelido secretum flumine vidit,
Talibus affata est dictis, seque obtulit m ultro.
En perfecta mei promissa conjugis arte
Munera: ne mox aut Laurentes (nate) superbos,
Aut acrem dubites in prælia n poscere Turnum.
Dixit, & amplexus nati Cytherea petivit:
Arma sub adversa posuit radiantia quercu.
Ille deæ donis, & tanto lætus honore,
Expleri nequit, atque oculos per singula volvit:
Miraturque, interque manus & brachia versat
Terribilem cristis galeam, o flammasque vomentem,
p Fatiferumque ensem, loricam ex ære rigentem,
Sanguineam, ingentem: qualis cum cærula nubes
Solis inardescit radiis, longeque refulget.
Tum leves ocreas q electro, auroque recocto,
Hastamque, & clypei non enarrabile r textum.
Illic res Italas, Romanorumque triumphos,
s Haud vatum ignarus, venturique inscius ævi,
Fecerat ignipotens: illic genus omne futuræ
Stirpis ab Ascanio, pugnataque in ordine bella,
Fecerat & viridi t fœtam Mavortis in antro
Procubuisse u lupam: x geminos huic ubera circum
Ludere pendentes x pueros, & lambere matrem
Impavidos: illam tereti cervice reflexam
Mulcere alternos, & corpora y fingere lingua.

g Minionem, fl. 10. Æneid.
h Festum annua celebritate.
i Qui primi e Græcia advenæ incoluere Italiam.
k Supra. *qui sese in bella sequantur Præstantes virtute legit.*
l Ex ποταμοῖο λιασθεὶς divisum a sociis interjecto flumine. Al. leg. *egelido.*
m Confessa Deam, agnoscendam.
n Provocare.
o De Turni galea, quæ Chimæram sustinuit. *Ætneos efflantem faucibus ignes.* vide 7. lib. sub fine. quamvis alii hoc ad ensem fulmineum referunt.
p Fatalem Turno & aliis.
q Metallo misto: ubi auro conflatur quinta argenti portio. supra.
r Ego potius ad imagines insculptas, quam ad varia metalla e quibus confectus fuit, retulerim. ut sit quasi transeundi ansa ad historias & gesta Romana inibi cælata, quæ continuantur ad exitum hujus libri.
s Non ignarus artis vaticinandi, ut qui futura præsciret.
t Partu levatam.
u Verane fuerit lupa, an fœmina; videndi historici, Livius, Dionys. Plutarch. &c.
x Romulum & Remum.
y Allusum ad ursos, qui informi fœtui lambendo formam inducere finguntur.

Nec

Nec procul hinc Romam, & raptas sine ϰ more Sabinas
a Consessu caveæ, *b* Magnis Circensibus *c* actis,
Addiderat; subitoque novum consurgere bellum
Romulidis, *d* Tatioque seni, *e* Curibusque severis.
Post *f* iidem inter se posito certamine reges
Armati, Jovis ante aras, paterasque tenentes
Stabant, & cæsa jungebant fœdera *g* porca.
Haud procul inde, citæ *h* Metium in diversa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis, Albane, maneres,)
Raptabatque viri mendacis viscera Tullus
Per sylvam, & sparsi rorabant sanguine vepres.
Nec non Tarquinium ejectum *i* Porsenna jubebat
Accipere, ingentique urbem obsidione premebat:
k Æneadæ in ferrum pro libertate ruebant.
l Illum indignanti similem, similemque minanti
Aspiceres: pontem auderet quod *m* vellere Cocles,
Et fluvium vinclis innaret *n* Cloelia ruptis.
o In summo custos *p* Tarpejæ *q* Manlius arcis
Stabat pro templo, & Capitolia celsa tenebat,
r Romuleoque recens horrebat regia culmo.
Atque hîc auratis volitans *s* argenteus anser
Porticibus, Gallos in limine adesse canebat:
Galli per dumos aderant, arcemque *t* tenebant,
Defensi tenebris & *u* dono noctis opacæ.
Aurea cæsaries ollis, atque aurea *x* vestis:
y Virgatis lucent sagulis: tum lactea colla
ϰ Auro innectuntur: duo quisque *a* Alpina coruscant
b Gesa manu, scutis protecti corpora longis.
Hinc exultantes *c* Salios, *d* nudosque Lupercos,
Lanigerosque *e* apices, & lapsa *f* ancilia cœlo

ϰ Malo more.
a Circi, seu Theatri sedibus, unde spectabantur ludi.
b Consualibus in quib. raptæ Sabinæ 683. Neptuno aut Conso & Magnis Diis ludi hi instituti, magnis impensis. Asconius.
c Dum agerentur.
d Sabinorum regi.
e Cures opp. caput quondam Sabinorum, tristi ac masculamorum gravitate ac disciplina nobile.
f Romulus & Tatius in acie conciliati interventu Sabinarum.
g In sacris potentiores victimæ fœmineæ.
h Metium Sufferium Albanorum regem, qui a Tullo Hostilio in auxilium contra Fidenates accitus, suos in collem subduxit. Rom. victor eum binis quadrigis illigatum discerpsit.
i Rex Etruscorum Tarquin. regem Roma ejectum restituere conatus.
k Romani in arma ruebant ad tuendam libertatem partam exactis regib.
l Porsenam.
m Tueri; hostem sustineus, dum Romani a tergo pontem revellerent.
n Virginum Vestalium una, quæ obses Porsenæ data, deceptis custodib. Tibrim ad suos tranavit. de his vid. Liv. 1. Dionys. l. 3. 4.
o In summa clypei parte.
p De Tarpeja arce & Capitolio, sup.
q Manlii historia, excitati ab anseré, cum Galli, qui sub Brenno Romam occuparant, Capitolium conscendentes noctu pene cepissent, vid. Liv. 2. & hist. alios.
r Porticib. licet auratis, culmo tamen horrebat casa Romuli, ut moneret eos morum veterum.
s Candidus. an ex argento flatus in clypeo?
t Parum abfuit quin tenerent.
u Beneficio.
x Barba. hinc vestis, imberbis.
y Vario colore ad modum virgarum distinctis aut segmentatis.
ϰ Torquib. aureis.
a Ex arboribus montanis, Alpinis sc.
b Jacula Gallorum, uti pila Romanorum.
c Sacerdotes Martis. sup. ad, *Tum Salii ad cantus*.
d Sacerdotes Panos Lycæi, qui nudi per compita in Lupercalibus discurrebant.
e Pileos Flaminum & sacerdotum.
f Clypeos incurvos, quorum unus e cœlo delapsus, cum fato Imperii, ad cujus formam & undecim alii efficti, ne internosceretur verus.

Extuderat : caſtæ ducebant ſacra per urbem
g Pilentis matres in mollibus. hinc procul addit
Tartareas etiam ſedes, alta oſtia Ditis :
Et ſceleruin pœnas, & te, h Catilina, minaci
Pendentem ſcopulo, furiarumque ora trementem :.
Secretoſque pios, i his dantem jura k Catonem.
Hæc inter tumidi late maris ibat imago
Aurea ; ſed fluctu ſpumabant cærula cano :
Et circum argento clari delphines in orbem
Æquora verrebant caudis, æſtumque ſecabant.
In medio claſſes æratas, l Actia bella
Cernere erat : totumque inſtructo Marte videres
Fervere m Leucaten, n auroque effulgere fluctus.
Hinc Auguſtus agens Italos in prælia Cæſar
o Cum patribus, populoque, penatibus, & magnis Diis,
Stans celſa in puppi : geminas cui p tempora flammas
Læta vomunt, patriumque aperitur vertice ſidus.
Parte alia, ventis & diis Agrippa q ſecundis,
Arduus, agmen agens : cui belli inſigne ſuperbum
Tempora r navali fulgent ſ roſtrata r corona.
Hinc t ope barbarica, variiſque Antonius armis
u Victor ab auroræ populis, & litore x rubro
Ægyptum, viresque Orientis, & y ultima ſecum
y Bactra vehit, ſequiturque, z nefas ! Ægyptia conjux.
Una omnes ruere, ac totum ſpumare reductis
Convulſum remis a roſtris ſtridentibus æquor.
Alta petunt : pelago credas innare revulſas
Cycladas, aut montes concurrere montibus altos.
Tanta mole viri b turritis puppibus inſtant.

g Pilentis vehi ad ſacra ludoſque indultum matronis, quod ex mundo ſuo aurum ſuppleverant Apollini Delphico ex voto Camilli.
h Catilinam ad ſuppli cia, ut inſidiatorem relegat: Catonem ad judicia inferna, ut rigidum nec ſibi parcentem.
i In Elyſiis judicem piorum fiſtit Catonem. cum Minoa, Æacum, Rhadamanthum Græci damnatis dent judices.
k Cenſorium intelligi volunt,

ne honorem Uticenſi habitum indigne ferat Auguſtus. Sed & hujus rigidam vanamque de Rep. Cæſare, Pompejo ipſo, ſc. omnibus opinionem ad inferos relegatam damnare videtur. l Inter Auguſtum & Antonium depugnata ſub Actio Acarnaniæ opp. maritimo. m Acarnaniæ promontorium & peninſulam in ſinu Ambracio. n Aureorum armorum & roſtrorum reflexu. o A Cæſare ſtabant Senatus & populus. Penates & Dii magni Jupiter, Mercurius, Minerva ſupr. l 3. vid. Macr. l. 3. c. 4. Satur. & Arnob. l. 3. adverſ gentes. p Galea, hinc inde flammivoma. uti Turni & Æneæ galeæ ſupra. aut ſplendore flammeo, quam gloriam vocamus, inſignita ; ut & ſidere Julii Cæſ. in cujus ludis funebrib. cum apparuiſſet ſtella crinita per dies ſeptem habita eſt Julii anima; adjectaque illa ſtatuis, & ab Auguſto geſtata in galea. q Proſperis, & proxime Auguſti auſpicia ſecundis. Namque Auguſtus dextrum, M Agrippa gener ejus ſiniſtrum cornu claſſis tuebatur. r Bello navali Siculo ob rem feliciter geſtam contra Pompeji filium, ſibi ab Auguſto datam. ſ Ea quaſi navium roſtris inſignita eſt, inquit Agell. l. 5. c. 6. t Africæ, Ciliciæ, Cappadociæ, Thraciæ, aliis quæ enumerat Plutarch. auxiliis. u Parthos decem & octo præliis vicit. Sed Cadmeæ erant victoriæ. x Rubri maris, ab Erythro rege, non a colore. y Imperii ſui ultimos. Bactrianos. z Contra diſciplinam Rom. militiæ : & quia peregrina, & maxime repudiata uxore Octavia ſorore Imper. Rom. a Al. *roſtriſque tridentibus* propter roſtra trifida. *ſpumas vomit ære tridenti.* Valer. Flac. l. 1 b Turrib. ſuper tabulatis erectis. Liburnis. Agrippæ, ut volunt, inventum. Sed utraque claſſis erat turrita, videatur Dio lib. 50. & Flor. l. 4.

c Stup-

c Stuppea flamma manu, telisque volatile ferrum
Spargitur: d arva nova d Neptunia cæde rubescunt.
e Regina in mediis patrio vocat agmina f sistro: 696
Nec dum etiam geminos à tergo respicit g angues.
h Omnigenûmque deûm monstra, & i latrator Anubis,
Contra Neptunum, & Venerem, contraque Minervam
Tela tenent: sævit medio in certamine Mavors,
Cælatus ferro, tristesque ex æthere k Diræ:
Et sciissa gaudens vadit k Discordia palla:
Quam cum sanguineo sequitur k Bellona flagello.
l Actius hæc cernens arcum intendebat Apollo,
Desuper: omnis eo terrore m Ægyptus, & Indi,
Omnis Arabs, omnes vertebant terga Sabæi.
Ipsa n videbatur ventis regina vocatis
Vela dare, & laxos jam jamque immittere funes:
Illam inter cædes, pallentem morte futura
o Fecerat ignipotens, undis, & p Japyge ferri.
Contra autem magno mœrentem corpore Nilum,
Pandentemque q sinus, & tota veste vocantem
Cæruleum in gremium, latebrosaque flumina victos.
At Cæsar, r triplici invectus Romana r triumpho
s Mœnia, diis Italis, t votum immortale sacrabat,
u Maxima ter centum totam delubra per urbem
Lætitia, ludisque viæ plausuque fremebant:
Omnibus in templis matrum chorus, omnibus aræ:
Ante aras terram cæsi stravere juvenci.
Ipse sedens x niveo candentis limine Phœbi,
y Dona recognoscit populorum, aptatque superbis
Postibus. incedunt victæ longo ordine gentes,
Quam variæ linguis, habitu tam vestis, & armis.
Hic Nomadum genus, & x discinctos Mulciber Afros,
Hîc a Lelegas, b Carasque, sagittiferosque c Gelonos

c Cæsariani phalaricis & ignitis telis; Antoniani missilibus pugnabant.
d Mare.
e Jusserat enim Antonius ut legiones parerent Cleopatræ.
f Instrumento musico Ægyptiorum, quod opponit Poeta Buccinæ Rom.
g Aspides, in clypeo a tergo Cleopatræ, cælatas, quarum morsu interiisse creditur.
h Quis nescit qualia demens Ægyptus portenta colat? Iuven. 15. sat.
i Canino enim capite colebatur.
k Martis ministræ & comites.
l Hæc in gratiam Augusti, cujus mater Actia credita est ab Apolline sub forma draconis compressa. Apollini autem in litore Leucadio vetus erat templum, quod post hanc victoriam ampliavit Augustus. m Ægyptii. n In clypei cælatura. o Cælarat Vulcanus. p Vento ex Japyge & Gargano in Apulia flante. q Allusum ad septem Nili ostia. r Curules triumphos (inquit Sueton. c. 22.) tres egit, Dalmaticum, Actiacum, Alexandrinum, continuo triduo omnes. s Diruptis enim mœnibus intrabant triumphantes, non portis. t Vota in periculis extremis nuncupare solebant Imperatores. Augustus templum Apollini u Qui & omnium templorum conditor aut restitutor agnitus ab historicis. Liv. Suet. vel leg 300. *totam delubra per urbem Lætitia, ludisque viæ* (id est Compitalitiis) *plausuque fremebant.* x Marmoreo templo Apollinis ab Augusto exstructo in Palatio, marmore advecto a portu Lunæ in Liguria. y In his coronas & aurum. z Veste fluxa, mente ignava. a Mysiæ pop. ad sinum Adramytenum. b Minoris & Asiæ pop. c Scythiæ pop.

Pin-

Pinxerat: *d* Euphrates ibat jam mollior undis,
Extremique hominum *e* Morini, Rhenusque *f* bicornis,
Indomitique *g* Daæ, & *h* pontem indignatus *i* Araxes,
Talia per clypeum Vulcani, dona parentis
Miratur: rerumque ignarus imagine gaudet,
Attollens humero famamque, & fata nepotum.

d Pathos, quasi se victum agnoscens. *Medumque flumen gentibus additum Victis, minores volvere vortices.* Horat. l. 2. Ode. 9. fl. Mesopotamiæ. *e* Belgæ litorales, ad Ictium & Gessoriacum, unde transitus in Britanniam. *f* Ostiis duobus, cognomine alteros altero Vahali in mare exiens. *g* Scythiæ pop. *h* Pathos. cum respectu ad Alexandri pontem a rapido flumine dirutum, quem tamen Augustus firmiore coercuit. *i* Armeniæ fl.

ÆNEIDOS LIB. IX.

ARGUMENTUM.

ABsente Ænea, & in Tuscia conquirendis auxiliis occupato, Turnus a Junone per Iridem admonitus, ne tantam rei bene gerendæ occasionem amitteret, quam proxime ad hostes copias admovet. Qui cum suis se mœnibus continerent, neque æquo loco facerent dimicandi potestatem, ut illis spem omnem fugæ intercluderet, classem exurere conatur. Erat ejus classis materia ex Idææ matris luco cæsa: quapropter matris precibus adductus Jupiter, naves omnes instanti incendio eripuit, & in totidem nymphas marinas convertit. Post hæc imminente jam nocte, Turnus adversus hostium eruptiones ad oppidi portam excubias disponit: iis Messapum præficit. Interim consultantibus Trojanorum ducibus, quemnam potissimum ad Æneam mitterent, qui de suorum periculo eum faceret certiorem, ultro eam provinciam suscipiunt Nisus & Euryalus, conjunctissimum amicorum par: qui cum urbe emissi, hostium excubias vino somnoque obrutas offendissent, Rhamnetem cum magno Rutulorum numero trucidant, eorumque se spoliis exornant. Verum cum instante jam luce se recipere conantur, a Volscentis equitibus conspecti, ad sylvas confugiunt. Ibi Euryalus armorum pondere, viæque errore impeditus, in hostes incidit, & a Volscente, frustra deprecante Niso, confoditur. Nisus quoque cæso Volscente, & Euryali nece strenue vindicata, multis vulneribus confossus super amici corpus concidit. Capita hastis affixa, in castra deferuntur: ubi a Trojanis e mœnibus agnita, ingentem in urbe luctum excitant. Interim Turnus totis viribus hostes oppugnat, magna utrinque strages editur. Ibi Ascanius Numanum, insolentius se jactantem, sagittæ ictu interficit. Pandarus & Bitias successu elati portam recludunt, hostesque subeuntes ingenti cæde propellunt. Ejus rei nuntio accepto Turnus per portam patentem in oppidum irrumpit, Trojanosque in fugam convertit, tandem hostium multitudine circumventus, paulatim cedit ad eam oppidi partem quæ fluvio alluitur: & ut erat armatus, flumen tranans incolumis ad suos revertitur.

ATque ea *a* diversa *b* penitus dum parte geruntur,
Irim de cœlo misit Saturnia Juno

a In Etruria; ubi jam Æneas

b Longe a castris. *extremas sc. Coryti penetravit ad urbes.* mox.

Auda-

Audacem ad Turnum. luco tum forte [c] parentis
Pilumni Turnus sacrata valle [d] sedebat.
Ad quem sic roseo [e] Thaumantias ore locuta est:
Turne, quod optanti divûm promittere nemo
Auderet, [f] volvenda dies en obtulit ultro.
Æneas, urbe, & sociis & classe relicta,
Sceptra Palatini sedemque [g] petit Evandri:
Nec satis, extremas [h] Coryti penetravit ad urbes,
[i] Lydorumque manum, collectos armat agrestes.
Quid dubitas? nunc tempus equos, nunc poscere currus.
Rumpe moras omnes, & [k] turbata arripe castra,
Dixit, & in cœlum paribus se sustulit alis;
Ingentemque fuga [l] secuit sub nubibus arcum.
Agnovit juvenis, duplicesque ad sidera palmas
Sustulit, & tali fugientem est voce sequutus:
Iri, decus cœli, quis te mihi nubibus actam
Detulit in terras? unde hæc tam clara repente
Tempestas? video medium [m] discedere cœlum,
[n] Palantesque polo stellas, sequar omina tanta,
Quisquis in arma vocas. & sic effatus, ad undam
Processit, summoque hausit de gurgite [o] lymphas,
Multa deos orans; oneravitque æthera votis.
Jamque omnis campis exercitus ibat apertis,
Dives equûm, dives pictai vestis, & auri.
Messapus primas acies, [p] postrema coercent
[q] Tyrrhydæ juvenes: medio dux agmine Turnus
[r] Vertitur arma tenens, & toto vertice supra est.
Ceu [s] septem surgens sedatis amnibus altus
Per tacitum Ganges, aut [t] pingui flumine Nilus,
[u] Cum refluit campis, & jam se condidit alveo.
Hic subitam nigro glomerari pulvere nubem
Prospiciunt Teucri, ac [x] tenebras insurgere campis.
Primus ab adversa conclamat [y] mole Caycus:
Quis globus, ô cives, caligine volvitur atra?
Ferte citi ferrum, date tela, [z] scandite muros.
Hostis adest: eja, ingenti clamore per omnes

[c] Avi sui, sive abavi, *Pilumnus quidam quartus pater.* Sed a primo, & posteri omnes dicti sunt Pilumni. v. 10. l. [d] Rite. qui enim manibus majorum parentabant, utpote mortuis feriati, solo sedere solebant. [e] Thaumantis filia. Iris, vere θαῦμα. [f] Se volvens, jam voluta. [g] Ne prima syllaba Evandri corripiatur. cum alias legatur, *perirti.* [h] Arcis Etruriæ, supra l. 3. & 7. [i] Etruscos Namque Lydi, Tyrrheno duce, in hac Italiæ parte consederant. [k] Absente Æneâ, auxilio & consilio destituta. [l] Ipsa suo subvecta arcu.

[m] Chasmate & hiatu divisum aperiri. [n] Tempore locoque non suo apparentes, *vel* cadentes stellas. [o] Queis visa purgaret, puriorque ad precandum accederet. [p] Agmen claudunt. [q] Tyrrhi filii de quib. supr. 7. [r] Videtur hic versus huc irrepsisse ex 7. l. quem respice. [s] Cum respectu ad Nilum septem fluum. namque unicum Gangis ostium agnoscunt autores probati, nisi intelligi placeat de fluminib. quæ recipit Ganges profundus amnis; adeoque tacitus. [t] Fœcundans Ægyptum. [u] Cum ab inundatione recedit reddirque se suo alveo. [x] Caligine pulvere. [y] Turre speculatoria. [z] Præ festinatione, cæspitatumque contra legem Pediam. Excusant alii leg. *& scandite*, alii, *ascendite.*

Con-

Condunt se Teucri portas, & [a] mœnia complent.
Namque ita discedens præceperat [b] optimus armis
Æneas: [c] siqua interea fortuna fuisset,
Ne struere auderent aciem, neu credere campo:
Castra modo, & tutos servarent aggere muros.
Ergo, etsi conferre manum pudor, iraque [d] monstrat,
Objiciunt portas tamen, & præcepta facessunt:
Armatique cavis exspectant turribus hostem.
Turnus, ut ante volans [e] tardum præcesserat [e] agmen,
Viginti lectis equitum comitatus, & urbi
Improvisus adest: [f] maculis quem Thracius albis
Portat equus, cristaque tegit galea aurea rubra.
Ecquis erit mecum, ô juvenes, qui primus in hostem?
En, air, & [g] jaculum intorquens emittit in auras,
Principium pugnæ, & campo sese arduus infert.
[h] Clamorem excipiunt socii, fremituque sequuntur
Horrisono, Teucrum [i] mirantur inertia corda;
Non æquo dare se campo, non obvia ferre
Arma viros, sed castra fovere. huc turbidus atque huc
Lustrat equo muros, aditumque [k] per avia quærit.
Ac veluti * pleno lupus insidiatus ovili,
Cum * fremit ad caulas, * ventos perpessus, & imbres,
Nocte super media; * tuti sub matribus agni
Balatum exercent; ille * asper, & * improbus ira
Sævit in [m] absentes: * collecta fatigat edendi
Ex longo rabies, & * sicca sanguine fauces:
Haud aliter Rutulo muros & castra tuenti,
Ignescunt iræ, & duris dolor ossibus ardet:
Qua tentet ratione aditus, [n] & qua via clausos
Excutiat Teucros vallo, atque effundat in æquor.
Classem, quæ lateri castrorum adjuncta latebat,
Aggeribus septam circum, & fluvialibus undis,
Invadit: socioque incendia poscit ovantes;
Atque manum pinu flagranti fervidus implet.
Tum vero incumbunt, urget præsentia Turni:
Atque omnis facibus pubes [o] accingitur atris.
Diripuere focos: piceum fert fumida lumen
Tæda, & commistam [p] Vulcanus ad astra favillam.
Quis deus, [q] ô Musæ, tam sæva incendia Teucris
Advertit? tantos ratibus quis depulit ignes?

[a] Muros, & propugnacula castrorum.
[b] Rei militaris scientissimus.
[c] Si quis forte oppugnationis aliusve belli casus, se absente, daretur.
[d] Suadet, urget.
[e] Peditum, si collati ad equites Turni. *aut* Turno festinanti tardum visum.
[f] Sic l. 5. *quem Thracius albis Portat equus* bicolor maculis.
[g] Respicit morem Romanum, ubi Fecialis clarigatum missus; vel etiam Græcum morem, ubi dux, hasta in fines hostium missa, principium pugnæ dedisse putabatur.
[h] Al. *Clamore*. i, applausu.
[i] Bene consultos cautosque interpretantur ignavos.
[k] Qua via, qua non via, * Emphatica omnia. 2. Æneid. *quos improba ventris Exegit cæcos rabies.* [m] Seclusos, & quos rapere negatum. [n] Et qua ratione via aliqua eliciat aut excutiat Troas castrorum vallo in aciem & campum. proinde init consilium incendendæ classis. [o] Expedite instruitur. [p] Incendium. [q] Rei haud ita probabilis fidem penes Musas autores esse mavult.

Dici,

Dicite, priſca fides facto, r ſed fama perennis.
Tempore, quo primum Phrygia formabat in Ida
Æneas claſſem, & pelagi petere alta parabat:
Ipſa deûm fertur genitrix ſ Berecynthia magnum
Vocibus his affata Jovem: Da, nate, petenti,
Quod tua chara t parens domito te poſcit Olympo:
Pinea ſylva mihi multos dilecta per annos,
Lucus in u arce fuit u ſumma, quo ſacra ferebant,
Nigranti picea, trabibuſque obſcurus acernis:
Has ego x Dardanio juveni, cum claſſis egeret,
Læta dedi: nunc ſollicitam timor anxius urget.
Solve metus, atque hoc precibus ſine poſſe parentem,
y Ne curſu quaſſatæ ullo, neu turbine venti
Vincantur: proſit noſtris in montibus ortas.
Filius huic contra, torquet qui ſidera mundi,
O genitrix, quo fata vocas? aut quid petis iſtis?
Mortaline manu factæ, immortale carinæ
a Fas habeant? certuſque incerta pericula luſtret
Æneas? cui tanta deo permiſſa poteſtas?
Imo ubi b defunctæ finem portuſque tenebunt
Auſonios, olim quæcunque evaſerit undis,
Dardaniumque ducem Laurentia vexerit arva,
Mortalem eripiam formam, magnique jubebo
Æquoris eſſe deas: qualis Nereïa Doto,
Et Galatea ſecant ſpumantem pectore pontum.
Dixerat: idque ratum c Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes, atraque voragine ripas,
Annuit, & d totum nutu tremefecit Olympum.
Ergo aderat e promiſſa dies, & tempora Parcæ
Debita complerant: cum Turni injuria f matrem
Admonuit, ſacris ratibus depellere tædas.
Hic primum nova lux oculis effulſit, & ingens
Viſus ab aurora cœlum tranſcurrere g nimbus,
Idæique chori: tum vox horrenda per auras
Excidit, & Troûm, Rutulorumque agmina complet:
h Ne trepidate meas Teucri defendere naves,
Neve armate manus: maria ante exurere Turno,
Quam ſacras dabitur pinus. Vos ite ſolutæ,
Ite i deæ pelagi, genitrix jubet. & ſua quæque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis,
Delphinumque modo demerſis æquora roſtris
Ima petunt, hinc virgineæ (mirabile monſtrum)
Reddunt ſe totidem facies, pontoque feruntur,

r Atque etiamdum fama ad nos conſtans pervenit.
ſ Cybele, a Berecyntho Phrygiæ monte.
t Ego.
u Cacumine Idæ montis, quæ Gargara dicuntur. κάρα κρατός.
x Æneæ.
y Ne intereat claſſis pinea.
z Navibus, aut iſtis precibus.
a Jus, immortalitatis ſc. navibus: & ſecuritatis Æneæ in incertis periculis.
b Curſu ſuo.
c Styga, quæ jurata facit cœlo fidem. l. 6. *Dii cujus jurare timent & fallere numen.*
d Κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων. μέγαν δ' ἐλέλιξεν ὄλυμπον. 1. Il.
e Qua naves munere ſuo defunctæ ſalvum Æneam in Italiam perduxiſſent.
f Cybelen.
g Nubes ſplendore inſignis, in qua Cybele, & Phrygii Deæ comites.
h Ne feſtinate ſolliciti.
i Transformatæ in deas pelagi. lege Ovid. 14. Met.

Quot

Quot prius *k* æratæ steterant ad littora *k* proræ.
Obstupuere animis Rutuli: conterritus *l* ipse
Turbatis Messapus equis: cunctatur & amnis
Rauca sonans, *m* revocatque pedem Tyberinus ab alto,
At non audaci cessit fiducia Turno:
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro:
n Trojanos hæc monstra petunt: his Jupiter ipse
Auxilium solitum eripuit. non tela, nec ignes
Exspectant Rutulos, ergo maria invia Teucris,
Nec spes ulla fugæ: *o* rerum pars altera adempta est:
Terra autem in manibus nostris: *p* tot millia gentes
Arma ferunt Italæ. Nil me fatalia terrent,
Si qua Phryges præ se jactant responsa deorum.
q Sat fatis, Venerique datum est, tetigere quod arva
Fertilis Ausoniæ Troës: sunt & mea contra
Fata mihi, *r* ferro sceleratam exscindere gentem,
s Conjuge prærepta: *t* nec solos tangit Atridas
Iste dolor, solisque licet capere arma Mycenis.
u Sed periisse semel satis est: peccare fuisset
Ante satis, penitus modo non genus omne perosos
Fœmineum: quibus hæc medii fiducia valli,
Fossarumque moræ, lethi discrimina parva
Dant animos. an non viderunt mœnia Trojæ,
Neptuni fabricata manu, considere in ignes?
Sed vos ô lecti, ferro quis scindere vallum
Apparat, & mecum invadit trepidantia castra?
x Non armis mihi Vulcani, *y* non mille carinis
Est opus in Teucros: *z* addant se protinus omnes
Etrusci socios; *a* tenebras & inertia furta
Palladii, cæsis summæ custodibus arcis,
Ne timeant: nec equi cæca condemur in alvo:
Luce palam certum est igni circundare muros.
Haud sibi cum Danais rem faxo, & pube Pelasga
Esse putent, decimum quos distulit Hector in annum.
Nunc adeo, melior quoniam pars acta diei,
Quod superest, læti bene gestis corpora rebus
Procurate viri, & *b* pugnam sperate parati.
Interea vigilum excubiis obsidere portas,

k Rostris ereis armatæ proræ. i. naves.
l Utut Neptuni filius.
m Sic 8. l. *refluitque exterritus amnis*. de eodem Tybri.
n Portenta hæc Trojanos spectant, eorum perniciem prædicunt.
o Fuga scil. per mare, amissis jam navibus.
p Copiæ & auxilia recensita supra l. 7.
q Adimplentur fata, Jovisque promissa Veneri, eo quod —
r Namque hoc jubent fata, ulcisci sceleratos qui aliena præripiunt conjugia. *Inverso.*
s Sponsa Lavinia.
t Η, μοῦνοι φιλέουσ' ἀλόχους μερόπων ἀνθρώπων Ατρεῖδαι. Iliad. 6.

u Verum dicent Trojani, se luisse jam Helenæ raptum. resp. desiissent ergo peccare; didicissent odisse potius fœminas omnes quam vel unam rapere, quod quia in Lavinia faciunt, iterum pereant. *x* Non mihi ut Achilli, opus est πανοπλίᾳ Vulcaniisque armis: satis ensis erit. 12. Æn. *y* Ut Græcis Trojam expugnaturis. *z* Hoc propter Evandri, Tarchontis, Thuscorumque auxilia. *a* Non insidiis, ut Græci, rem agemus; sed palam luce media, igni muros circumdabimus. De Palladio & equo Durateo, l. 2. supra. *b* Crastinam, curatis refectisque corporibus, parte, quæ superest, hodierna.

Cura datur Messapo, & mœnia cingere [c] flammis.
Bis septem Rutuli, muros qui milite servent,
Delecti: aut illos centeni quemque sequuti
Purpurei cristis juvenes, auroque coruſci
Discurrunt, [d] variantque vices: fusique per herbam
Indulgent vino, & vertunt crateras ahenos.
Collucent ignes: noctem custodia ducit
Insomnem ludo.
Hæc super è vallo prospectant Troës, & armis
Alta tenent: nec non trepidi formidine portas
Explorant, [e] pontesque & propugnacula jungunt;
Tela gerunt: instant Mnestheus, acerque Serestus:
Quos pater Æneas, si quando adversa vocarent,
Rectores [f] juvenum, & rerum dedit esse magistros.
Omnis per muros legio [g] sortita periclum
Excubat, exercetque vices, quod cuique tuendum est.
Nisus erat portæ custos, acerrimus armis,
Hyrtacides (comitem Æneæ quem miserat [h] Ida
Venatrix, jaculo celerem, levibusque sagittis)
Et juxta comes Euryalus, quo pulchrior alter
Non fuit Æneadum. [i] Trojana nec induit arma,
Ora puer [k] prima signans intonsa [k] juventa.
His amor unus erat, pariterque in bella ruebant:
Tunc quoque communi portam statione tenebant.
Nisus ait: Diine hunc ardorem mentibus addunt
Euryale? [l] an sua cuique Deus fit [m] dira cupido?
Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum
Mens agitat mihi, nec placida contenta quiete est.
Cernis, quæ Rutulos habeat fiducia rerum:
Lumina rara micant: somno vinoque soluti
Procubuere: silent late loca: percipe porro
[n] Quid dubitem, & quæ nunc animo sententia surgat.
Æneam acciri omnes populusque patresque
Expoſcunt, mittique viros qui certa reportent.
[o] Si tibi quæ poſco, promittunt, (nam mihi facti
Fama sat est) tumulo videor reperire sub illo

[c] Accensis ab excubitoribus, ad lucem; ne erumperent rebus desperatis Trojani, aut etiam abirent.
[d] Per vices succedunt vigiliis, primæ, secundæ, tertiæ.
[e] Pontes inter propugnacula, per quos transitus & discursus.
[f] Alii leg. *juveni*. Ascanio sc. prospectores, consultores, institutores, præsides.
[g] Sorte dispositi ad munia tuendi muros per vices & loca.
[h] Mons Phrygiæ, patria & parens venatorum opt. inter alios Nisi. neque enim placet, ut nomen sit matris, quod quidam volunt.
[i] Neque omnium, qui Trojana induerunt arma, alius quispiam pulchrior fuit.
[k] Lanugine, inventæ primæ insigni.
[l] An suam quisque cupiditatem ut ut diram pro Deo habet? *Animus humanus etiam nunc in corpore suus*, inquit Apulejus de Deo Socratis, Δαίμων *nuncupatur*, citat deinde hos versus, deinde pergit: *Igitur & bona cupido animi, bonus Deus est.*
[m] Vehemens & magna.
[n] Quid mihi varia in animo versanti, deliberatum tandem fixumque sedeat.
[o] Ut una mecum eas, inquiunt interpretes. Verum expeditior & ex mente poetæ sanior, ut puto, erit expositio; Si proceres Trojani tibi se soluturos promiserint quæ poscam expeditionis hujus præmia; nam mihi facti fama sat est. Rationes enim postea reddit tres, cur Euryalum non admissurus comitem, sibi superesse velit.

Posse

Posse viam ad muros, & mœnia Pallantea.
Obstupuit magno laudum perculsus amore
Euryalus, simul his ardentem affatur amicum:
Mene igitur socium summis adjungere rebus,
Nise, fugis? solum te in tanta pericula *p* mittam?
Non ita me genitor bellis assuetus Opheltes
q Argolicum terrorem inter, Trojæque labores
Sublatum erudiit: nec tecum talia gessi,
Magnanimum Æneam, & fata extrema sequutus.
Est hic, est animus, lucis contemptor, & istum
Qui vita bene credat emi, quo tendis, honorem.
Nisus ad hæc: Equidem de te nil tale verebar,
Nec fas: non ita me referat tibi magnus ovantem
Juppiter, aut quicunque oculis hæc aspicit æquis.
Sed si quis (quæ multa vides discrimine tali)
Si quis in adversum rapiat casusve, deusve,
Te superesse velim: tua vitâ dignior ætas.
Sit qui me raptum pugna, pretiove redemptum
Mandet humo *s* solita: aut, siqua id fortuna vetabit,
Absenti *t* ferat inferias, decoretque sepulchro.
Neu matri miseræ tanti sim causa doloris,
Quæ te sola, puer, multis è matribus ausa
Prosequitur, magni *u* nec mœnia curat Acestæ.
Ille autem: Causas nequicquam nectis inanes,
Nec mea jam mutata loco sententia cedit.
Acceleremus, ait, vigiles simul excitat: illi
Succedunt, servantque vices; statione relicta
Ipse comes Niso graditur, *x* regemque requirunt.
Cætera per terras omnes animalia somno
Laxabant curas, & corda oblita laborum:
Ductores Teucrûm primi, & delecta juventus,
y Consilium *z* summis regni de rebus habebant;
Quid facerent, quisve Æneæ jam nuncius esset.
Stant longis adnixi hastis, & scuta tenentes,
Castrorum, & campi medio. tum Nisus, & una
Euryalus confestim alacres admittier orant.
Rem magnam, *a* pretiumque moræ fore. primus Iülus
Accepit trepidos, ac Nisum dicere jussit.
Tum sic Hyrtacides: Audite ô mentibus æquis
Æneadæ, neque hæc nostris spectentur ab annis,

p Mitti sinam?
q Inter bella, quæ Græci Trojanis inferebant, natum educatumque.
r Vitæ.
s More solito debitoque exequiarum munere: sin minus; cenotaphio saltem decoret.
t Inferebantur autem sacris hisce mortuorum, mel, lac, oleum, vinum, sanguis, comæ.
u Nec cum reliquis matribus remansit in urbe ab Acesta rege condita donataque Trojanis. ut l. 5.
x Ascanium principem, regis filium, cui jus ad regnum. Ita l. 6. Ariadna Minois regis filia dicitur regina. & Laviniæ datur corona. 7. l.
y Consiliis

nox apta, hinc εὐφρόνη dicta Euripidi in Iphigenia. *z* Et jam quasi extremis, & in summo periculo sitis. *a* Temporis indulti precium, ut, operæ precium. fieri quidem potest ut importunus videatur interventus hic noster, qui consultationes vestras remoretur; fore tamen speramus ut rei oblatæ pondus moram officio compenset.

Quæ ferimus. Rutuli somno vinoque sepulti
Conticuere, locum insidiis conspeximus ipsi,
Qui patet in bivio [b] portæ, quæ proxima ponto.
[c] Interrupti ignes, aterque ad sidera fumus
Erigitur, [d] si fortuna permittitis uti,
Quæsitum Æneam ad mœnia Pallantea,
Mox hîc cum spoliis, ingenti cæde peracta,
Affore cernetis. nec nos via fallet euntes.
Vidimus obscuris *f* primam sub vallibus *f* urbem
Venatu assiduo, & totum cognovimus [g] amnem.
Hic annis gravis, atque animi maturus Alethes:
Dii patrii, quorum semper sub numine Troja est,
Non tamen omnino Teucros delere paratis;
Cum tales animos juvenum, & tam certa tulistis
Pectora: sic memorans, humeros dextrasque tenebat
Amborum, & vultum lacrymis atque ora rigabat.
Quæ vobis, quæ digna, viri, pro talibus ausis
Præmia posse rear solvi? pulcherrima primum
Dii, moresque dabunt vestri: tum cætera reddet
[h] Actutum pius Æneas, atque integer ævi
Ascanius, meriti tanti non immemor unquam.
Imo ego vos, cui sola salus genitore reducto
([i] Excipit Ascanius) per magnos, Nise, Penates,
Assaracique larem, & [k] canæ penetralia [k] Vestæ
Obtestor, (quæcunque mihi fortuna, *l* fidesque est,
In vestris pono [m] gremiis) revocate parentem,
Reddite conspectum: nihil illo triste recepto,
Bina dabo argento perfecta atque aspera signis
Pocula, devicta genitor quæ cepit [n] Arisba:
Et [o] tripodas geminos, auri duo magna talenta:
Cratera antiquum, quem dat Sidonia Dido.
Si vero capere Italiam, sceptrisque potiri
Contigerit victori, & prædæ ducere sortem:
Vidisti quo Turnus equo, quibus ibat in armis
Aureus? [p] ipsum illum, clypeum, cristasque rubentes
[q] Excipiam sorti, jam nunc tua præmia, Nise.
Præterea bis sex genitor lectissima matrum

[b] Castrorum portæ, quæ proxima est Tyrrheno mari.
[c] Aliis sc. extinctis aut cerre deficientibus quod ex fumo apparet, quod signum est ignium sopitorum.
[d] Si occasione oblata per vos vestrumque imperium uti liceat. neque enim ex rei militaris disciplina atque sacramenti licet a castris discedere inconsulto duce.
f Frontem ædificiorum sub vallibus obscuris, sic enim e longinquo spectantibus visa nemus & luci. l. 8. *solennem rex Arcas honorem Herculi ferebat Ante urbem in lucem.*
[g] Tiberim, qui Pallantis urbem præterlabitur. [h] Statim & in præsentia Æneas in posterum & æternum Ascanius, ubi ad ætatis maturitatem & imperium summum pervenerit. [i] Interrumpit Ascanius, ut ad quem ista propius spectant. [k] Antiquissimæ Deorum terræ, & parentis Deorum. *l* Quæ in principe debet esse maxima. [m] Fidis & fortibus. [n] Troadis oppido. Il. 12. & 21. [o] Virorum præmia fortium. tripodum duo erant genera. alterum quo aqua calefiebat, ἐμπυριβήτης: alterum in quo vinum diluebatur, ἄπυρον, vide, quæ ad 3. l. *In medio sacri tripodes.* [p] Equum. Sic Il. 10. Hector Doloni promittit equos Achillis. [q] Extra sortem divisæ prædæ, exsortes.

Cor-

Corpora, captivoſque dabit, ſuaque omnibus arma:
r Inſuper his, campi quod rex habet ipſe Latinus.
ſ Te vero, mea quem ſpatiis propioribus ætas
Inſequitur, t venerande puer, jam pectore toto
Accipio, & comitem caſus complector in omnes.
Nulla meis ſine te quæretur gloria rebus:
Seu pacem, ſeu bella geram: tibi maxima rerum
Verborumque fides. Contra quem talia fatur
Euryalus. Me nulla dies tam fortibus auſis
Diſſimilem arguerit: u tantum fortuna ſecunda
Aut adverſa cadat. ſed te ſuper omnia dona
Unum oro: genitrix Priami de gente vetuſta
Eſt mihi, quam miſeram tenuit non x Ilia tellus,
Mecum excedentem, non y mœnia regis Aceſtæ:
Hanc ego nunc, ignaram hujus quodcunque pericli eſt,
z Inque ſalutatam linquo a (nox, & tua teſtis
Dextera) quod nequeam lacrymas perferre parentis.
At tu, oro, ſolare inopem, & ſuccurre relictæ.
Hanc ſine me ſpem ferre tui. audentior ibo
In caſus omnes. Perculſa mente dederunt
Dardanidæ lacrymas: ante omnes pulcher Iülus,
Atque animum patriæ ſtrinxit pietatis imago.
Tum ſic effatur:
Spondeo digna tuis ingentibus omnia cœptis.
Namque erit iſta mihi genitrix, nomenque Creüſæ
Solum defuerit: nec b partum gratia talem
Parva manet, caſus factum quicunque ſequetur.
Per caput hoc juro, c per quod pater ante ſolebat,
Quæ tibi polliceor reduci, rebuſque ſecundis,
Hæc eadem matrique tuæ, generique d manebunt.
Sic ait illacrymans: humero ſimul exuit enſem
Auratum, mira quem fecerat arte Lycaon
e Gnoſſius, atque habilem vagina aptarat eburna.
Dat Niſo Mneſtheus pellem, horrentiſque leonis
Exuvias: galeam fidus permutat Alethes.
Protinus armati incedunt: quos omnis euntes
f Primorum manus ad portas, juvenumque ſenumque
Proſequitur votis: nec non & pulcher Iülus,
Ante annos animumque gerens, curamque virilem,
Multa patri portanda dabat mandata: ſed auræ
Omnia diſcerpunt, & nubibus g irrita donant.
Egreſſi ſuperant foſſas, noctiſque per umbram
Caſtra inimica petunt: multis tamen ante futuri

r Al. leg. *Inſuper in campi quod.*
ſ Euryale.
t Forma & forti pectore.
u Hoc tantum de me promitto; fortuna, quod voler, faciat. Lect. alia, *tantum fortuna ſecunda, haud adverſa cadat.*
x Trojana.
y Segeſta, modo & l. 5
z Tmeſis, non vale dicto.
a Quæ conſcia rite adhibetur teſtis eorum quæ nocte geruntur.
b Nam quæ te talem peperit, ingentem meretur gratiam.
c More ſumpto a *Græcis jurare paratis Per caput alterius.* Iuv. 6. Sat.
d Si quid ſecius accidit. abſtinet vero a verbis male ominatis.
e Cretenſis, ad diſtinctionem ab Arcade illo fabb. notiſſimo.

f Procerum, a recto, *primores.* g Ad Æneam non perventura. quorum ſc. nuncii interierint, magniſque exciderint auſis.

Exitio. Passim vino somnoque per herbam
Corpora fusa vident, arrectos litore currus,
Inter lora, rotasque viros, simul arma jacere,
[h] Vina simul. prior Hyrtacides sic ore loquutus:
Euryale, [i] audendum dextra, nunc ipsa vocat res.
[k] Hac iter est: tu, nequa manus se attollere nobis
A tergo possit, custodi, & consule longe.
Hæc ego vasta dabo, & lato te limite ducam.
Sic memorat, vocemque premit; simul ense superbum
* Rhamnetem aggreditur: qui forte tapetibus altis
[m] Exstructus, toto proflabat pectore somnum:
Rex idem, & regi Turno gratissimus augur:
[n] Sed non augurio potuit depellere [o] pestem.
Tres [p] juxta famulos [q] temere inter tela jacentes,
Argimerumque * Rhemi premit, aurigamque sub ipsis
Nactus equis, ferroque secat pendentia colla.
Tum caput ipsi aufert [r] domino, truncumque relinquit
Sanguine singultantem. atro tepefacta cruore
Terra torique madent, nec non * Lamyrumque * Lamumque,
Et juvenem * Serranum, illa qui [s] plurima nocte
Luserat, insignis facie, multoque jacebat
Membra [t] deo victus: felix, [u] si protinus illum
Æquasset nocti ludum, in lucemque tulisset.
[x] Impastus ceu plena leo per ovilia [y] turbans
(Suadet enim vesana fames) manditque trahitque
Molle pecus, mutumque metu; fremit ore cruento.
Nec minor Euryali cædes: incensus & ipse
Perfurit: ac multam in medio sine nomine plebem,
Fadumque, Hebesumque subit, Rhœtumque, Abarimque,
[z] Ignaros: Rhœtum vigilantem, & cuncta videntem:
Sed magnum metuens se post [a] cratera tegebat:
Pectore in averso totum cui comminus ensem
Condidit assurgenti, & multa morte recepit.
Purpuream vomit ille animam, & cum sanguine mista
Vina refert moriens. hic [b] furto fervidus instat,
Jamque ad Messapi socios tendebat, ubi ignem
Deficere extremum, & religatos rite videbat
Carpere gramen equos: breviter cum talia Nisus,
(Sensit enim nimia cæde, atque cupidine ferri)
Absistamus, ait: nam lux inimica propinquat.
Pœnarum exhaustum satis est: via facta per hostes.

[h] Dolia, scyphos, vasa vinaria.
[i] Ulysses ad Diomedem. Iliad. 10. Ἀλλ' ἄγε δὴ πρόφερε κρατερὸν μένος.
[k] Per hostium nostra virtute cæsorum strages.
* Gaudet (inquit Turnebus l. 22. Adv. c. 15.) poemati suo Latina intexere nomina Virgilius, Romanis gratificaturus familiis.
[m] Fultus toro alto tapetibus ornato, stertebat. Al. Extructis.
[n] Ἀλλ' οὐκ ἀιωνοῖσιν ῥύσσατο κῆρα μέλαινον. Il. 3.
[o] Mortem.
[p] Junctim, ut sint famuli Rhemi.
[q] Negligenter, secure.
[r] Rhemo.
[s] Plurimum.
[t] Baccho; aut etiam Somno.
[u] Si ludum continuasset pervigil. [x] Ὡς δ' λέων μήλοισιν, &c. Iliad. 10. de Diomede, Thracas somno oppressos cædente. [y] Grassatus. Alii agnoscunt Tmesin, perturbans ovilia. [z] Dormientes sc. a somno traditus fratri suo, letho.
[a] Tanquam clypeum, qui alias pro telo, [b] Nocturnæ cædi & tacitæ.

Multa

Multa virûm solido argento perfecta relinquunt
Armaque, craterasque simul, pulchrosque tapetas.
Euryalus *c* phaleras Rhamnetis, & aurea bullis
d Cingula Tiburti Remulo ditissimus olim
Quæ mittit *e* dona, hospitio cum jungeret absens
Cædicus: ille suo moriens *f* dat habere nepoti;
Post mortem bello Rutuli, prædaque potiti:
Hæc rapit, atque humeris *g* nequicquam fortibus aptat.
Tum galeam Messapi habilem, cristisque decoram
Induit: excedunt castris, & tuta capessunt.
Interea præmissi equites ex *h* urbe Latina,
Cætera dum *i* legio campis instructa moratur,
Ibant, & Turno regi responsa ferebant,
k Tercentum, *l* scutati omnes, Volscente magistro.
Jamque propinquabant castris, muroque subibant.
Cum procul hos lævo flectentes limite cernunt:
Et galea Euryalum sublustri noctis in umbra
Prodidit *m* immemorem, *n* radiisque adversa refulsit.
Haud temere est visum: conclamat ab agmine Volscens,
State viri; quæ causa viæ? quive estis in armis?
Quove tenetis iter? *o* Nihil ille tendere contra,
Sed celerare fugam in sylvas, & fidere nocti.
Objiciunt equites sese ad divortia nota,
Hinc atque hinc, omnemque *p* aditum custode coronant.
Sylva fuit late dumis, atque ilice nigra
Horrida, quam densi complerant undique sentes;
Rara per occultos ducebat semita calles.
Euryalum tenebræ ramorum, onerosaque præda
Impediunt, fallitque timor regione viarum.
Nisus abit: jamque *q* imprudens evaserat hostes,
Atque lacus, qui post Albæ de nomine dicti
Albani; tum rex stabula alta Latinus habebat.
Ut stetit, & frustra absentem respexit amicum:
r Euryale infelix, qua te regione reliqui?
Quave sequar? rursus perplexum iter omne revolvens
Fallacis sylvæ, simul & vestigia retro
Observata legit, dumisque silentibus errat.

c Phaleræ proprie sunt frontis equinæ ornamenta scutulata, quas alii a monilibus distinguunt, alii frontalia & monilia constituere, phaleras sentiunt. Sed & nobilium virorum ornamenta sunt, scribit enim Livius l. 9. plerosque nobilium indignatos Cn. Flavii scribæ ædilitatem aureos annulos & phaleras deposuisse.

d Et equorum hæc esse cingula volunt, bullis seu clavis aureis stellata.

e Ξένια, conciliatoria hospitum dona.

f Hellenism. dat habenda.

g Neque enim diu fruiturus erat, periturus sc.

Volscentis manu. *h* Laurolavinio, regis Latini urbe. *i* Peditatus, cui tardior incessus, quam equitibus. *k* Respicit militiam Rom. ubi equitum hic numerus in quaque legione, ut & magistrum equitum respicit in Volscente. *l* Armati, ubi Servius ait, scuta fuisse equitum, clypeos peditum. *m* Galeæ levis & nitidæ, quæ ipsum proditura esset. *n* Diei adpetentis. supra, *nam lux inimica propinquat.* *o* Neque respondebant, neque contra adversos tendebant. *p* Al. *abitum.* abeundi facultatem adimunt. sylva undique cincta. *q* Relicti Euryali. vel passive, ὑπλαθὼν. qui hostes fefellerat. de pastore 4. Æn. *liquitque volatile telum* N. Scius. i. latens. *r* Hæc secum.

Audit equos, audit ſtrepitus, & ſigna ſequentum.
Nec longum in medio tempus cum clamor ad aures
Pervenit: ac videt Euryalum, quem jam mahus omnis
Fraude loci, & noctu ſubito turbante tumultu,
Oppreſſum rapit, & conantem plurima fruſtra.
Quid faciat? *f* qua vi juvenem quibus audeat armis
Eripere? an ſeſe medios moritutus in hoſtes
Inferat, & pulchram properet per vulnera mortem?
Ocius adducto torquens haſtile lacerto,
Suſpiciens altam Lunam, ſic voce precatur:
Tu dea, tu præſens noſtro ſuccurre labori,
Aſtrorum decus, & nemorum, Latonia, cuſtos.
Siqua tuis unquam pro me pater Hyrtacus aris
Dona tulit, ſiqua ipſe meis venaribus auxi,
Suſpendive *t* tholo, aut ſacra ad faſtigia fixi:
u Hunc ſine me turbare globum, & *x* rege tela per auras.
Dixerat: & toto connixus corpore ferrum
Conjicit: haſta volans noctis diverberat umbras,
Et venit *y* averſi in tergum Sulmonis, ibique
Frangitur, ac *z* fixo tranſit præcordia ligno.
Volvitur ille, vomens calidum de pectore flumen
Frigidus, & longis ſingultibus ilia pulſat.
Diverſi circumſpiciunt, hoc acrior idem
Ecce aliud ſumma telum librabat ab aure.
Dum trepidant, *a* it haſta Tago per tempus utrumque
Stridens, trajectoque hæſit tepefacta cerebro.
Sævit atrox Volſcens, nec teli conſpicit uſquam
Auctorem, nec *b* quo ſe ardens immittere poſſit.
Tu tamen interea calido mihi ſanguine pœnas
Perſolves *c* amborum, inquit: ſimul enſe recluſo
Ibat in Euryalum, tunc vero exterritus, amens
Conclamat Niſus, nec ſe celare tenebris
Amplius, aut tantum potuit perferre dolorem.
d Me, me: adſum qui feci: in me convertite ferrum,
O Rutuli, mea fraus omnis: nihil iſte nec auſus,
Nec potuit (cœlum hoc & ſidera *e* conſcia teſtor:)
f Tantum infelicem nimium dilexit amicum.
Talia dicta dabat: ſed viribus enſis adactus
Tranſadigit coſtas, & candida pectora rumpit.
Volvitur Euryalus letho, pulchroſque per artus
It cruor, inque humeros cervix collapſa recumbit.
g Purpureus veluti cum flos ſucciſus aratro
Langueſcit moriens, laſſove papavera collo

f Quibus viribus, copiis aut auxiliis?
t Centro & quaſi umbilico faſtigiatæ fornicis in templo. ubi trabes coeunt fixo inſuper ſcuto, a quo dona ſuſpenduntur.
u Globum hunc militum confuſum diſtrahere, quo amicum eripiam.
x Nam & ipſa Diana venatrix jaculatoriæ arti præeſt, cum fratre.
y Al. *adverſi*. ſed præplacet, averſi a Niſo, converſi ad Euryalum.
z Al. *fiſſo*. i. e. fracto.
a Al. *iit*.
b In quem.
c Sulmonis & Tagi cæſorum. neque enim conſtabat Volſcenti de numero ſociorum Euryali.
d Me occidite, me ferro petite.
e Teſtes rerum in nocte geſtarum.
f Me, cui ſe comitem junxit. Poteſt & eſſe Epiphonematis loco. Tantum Niſus dilexit infelicem Euryalum.
g Hyacinthus Serv. Homer. Il. 8. Μήκων δ' ὡς ἐτέρωσι κάρη βάλε, &c.

Demi-

Demisere caput, pluvia cum forte gravantur.
At Nisus ruit in medios, *h* solumque per omnes
Volscentem petit, in solo Volscente moratur.
Quem circum glomerati hostes, hinc comminus, atque hinc
i Proturbant; instat non segnius, ac rotat ensem
Fulmineum: donec *k* Rutuli clamantis in ore
Condidit adverso, & moriens animam abstulit hosti.
Tum super exanimem sese projecit amicum
l Confossus, placidaque ibi demum morte *m* quievit.
Fortunati ambo; si quid mea carmina possunt,
Nulla dies unquam memori vos eximet ævo;
Dum domus Æneæ Capitoli *n* immobile saxum
Accolet, imperiumque *o* pater Romanus habebit.
Victores præda Rutuli, spoliisque potiti,
Volscentem exanimem flentes in castra ferebant.
Nec minor in castris luctus, Rhamnete reperto
Exsangui, & primis una tot cæde peremptis,
Serranoque, Numaque. ingens concursus ad ipsa
Corpora, semineceseque viros, tepidumque recenti
Cæde locum, & plenos spumanti sanguine rivos.
Agnoscunt spolia inter se, galeamque nitentem
Messapi, & multo phaleras sudore receptas.
Et jam prima novo spargebat lumine terras
Tithoni croceum linquens Aurora cubile:
Jam sole infuso, jam rebus luce retectis,
Turnus in arma viros, armis circundatus ipse
Suscitat, æratasque acies: in prælia cogit
Quisque suos, variisque acuunt *p* rumoribus iras.
Quin ipsa arrectis (visu miserabile) in hastis
Præfigunt capita, & multo clamore sequuntur,
Euryali, & Nisi.
ÆNeadæ *q* duri murorum in parte sinistra
Oppositere aciem (nam dextera cingitur *r* amni)
Ingentesque tenent fossas, & turribus altis
Stant mœsti, *s* simul ora virûm præfixa videbant,
Nota nimis miseris, atroque fluentia tabo.
Interea pavidam volitans pennata per urbem
Nuncia fama ruit, matrisque allabitur aures
Euryali; ac subitus miseræ calor ossa relinquit.
Excussi manibus *t* radii, revolutaque *u* pensa.

h Alios nil moratus Volscentem petit.
i Protelant, ut Volscentem protegant.
k Volscentis.
l Ipse a se, an ab hostibus?
m Rituale, ex formula defunctorum.
n Cum Tarquinius vovisset Jovi templum in rupe Tarpeja, ceteriique Dii a Numa ibi dicati cessissent, Terminus solus, qui sub forma saxi colebatur, cedere noluit. quod omen arripuerunt Romani, Imperium sibi fore æternum.
o Princeps. Imperator Romanus. Rom. Imperium; quod sibi æternum promittebant Poetæ, *Roma triumphati dum caput orbis erit.* Ov. Amor. l. 1. eleg. ult. *Stabit dum*

terra poluſque, dum Romana dies. Statius Syl. 1. de equo Domitiani. hoc autem noster in gratiam Augusti & Juliæ gentis. *p* Super his Nisi atque Euryali ausis, strage, cæde. *q* Laboribus assueti, & mœnibus olim defensandis, proxime nota *h*. *r* Tiberi. *s* Simulac, *t* Instrumenta, quibus in tela stamini intexitur subtegmen, quod & pecten dicitur. *u* Fila nendo ducta.

Evolat infelix, & fœmineo ululatu,
Scissa comam, muros amens, atque agmina cursu
Prima petit. non illa virûm, non illa pericli,
Telorumve memor: cœlum dehinc questibus implet.
Hunc ego te, Euryale, aspicio? tune ille x senectæ
Sera meæ requies? potuisti linquere solam
Crudelis? y nec te sub tanta pericula missum,
Affari extremum miseræ data copia matri?
Heu terra ignota canibus data præda Latinis,
Alitibusque jaces: nec te tua funera mater
Produxi, pressive oculos, aut vulnera lavi,
Veste tegens, tibi quam noctes festina diesque
Urgebam, & telas curas solabar aniles.
Quo sequar? aut quæ nunc artus avulsaque membra,
Et a funus lacerum tellus habet? b hoc mihi de te,
Nate, refers? hoc sum terrâque, marique secuta?
Figite me, si qua est pietas, in me omnia tela
Conjicite, ô Rutuli: me primam absumite ferro.
Aut tu, magne pater divûm, miserere, tuoque
Invisum c hoc detrude c caput sub Tartara telo,
Quando aliter nequeo crudelem abrumpere vitam.
Hoc fletu concussi animi; mœstusque per omnes
It gemitus: torpent d infractæ ad prælia vires.
Illam incendentem luctus Idæus, & Actor
Ilionei monitu, & multum lacrymantis Iuli,
Corripiunt, interque manus sub tecta reponunt.
At tuba terribilem sonitum procul ære canoro
Increpuit: sequitur clamor, cœlumque remugit.
Accelerant acta pariter e testudine Volsci,
Et fossas implere parant, ac f vellere vallum:
Quærunt pars aditum, & scalis ascendere muros,
g Qua rara est acies, interlucetque corona
Non tam spissa viris, telorum effundere contra
Omne genus Teucri, ac duris detrudere contis,
Assueti h longo muros defendere bello.
Saxa quoque infesto volvebant pondere, si qua
Possent i rectam aciem perrumpere: cum tamen omnes
Ferre libet subter densa testudine casus.

x Spe mea futuræ requies senectæ meæ.
y Nec te, uti par fuit, produxi ad vestibulum domus, extuli ad funus, non tibi oculos in morte clausi, non lavi, non unxi, &c. pertinebat hæc cura ad funera, quæ vere dolebant: præficæ enim ficte, ut quæ conducebantur in funere. Alii leg. *funere*. & subintelligunt *in*. Scal. *funera* & subaud. *ad*.
z Ex more veterum, qui sibi aut suis in vita funebrem parabant vestem, qua mortui efferrentur. sic Penelope Laerti. 2. Odyss.
a Cadaver.
b Hoc caput?
c Me. d Prius infractæ, nunc torpent. vel infractæ intensive. valde fractæ, vide quæ ad primum versum libri 12. e Testudo erat tabulatum coriis & ciliciis contextum adversus tela & incendium, quo tecti milites solum æquabant ac muros appropinquabant. Subita testudo erat series scutorum supra capita sublatorum, continuata in morem squammarum. f Diruere vallum ex palis, aut fudibus terra aggesta depactis. g Qua rari stant propugnatores, neque corona & pinnæ murorum frequenti defensore stipatæ. h Bello decennali in Troja antiqua. i Testudinem, supra nota e.

Nec

Nec jam *k* sufficiunt. nam qua globus imminet ingens,
Immanem Teucri molem volvuntque ruuntque:
Quæ stravit Rutulos latè, armorumque resolvit
Tegmina: nec curant *l* cæco contendere Marte
Amplius audaces Rutuli, sed pellere vallo
Missilibus certant.
Parte alia horrendus visu quassabat *m* Etruscam
Pinum, & fumiferos infert Mezentius ignes.
At Messapus, equûm domitor, Neptunia proles,
Rescindit vallum, & scalas in mœnia poscit.
Vos ô *n* Calliope precor aspirate canenti,
Quas ibi tum ferro strages, quæ funera Turnus
Ediderit, quem quisque virûm demiserit Orco:
Et mecum ingentes oras evolvite belli.
Et *o* meministis enim, divæ, & memorare potestis.
Turris erat vasto suspectu, & *p* pontibus altis,
Opportuna loco: summis quam viribus omnes
Expugnare Itali, summaque evertere opum vi,
Certabant: Troës contra defendere saxis,
Perque cavas densi tela intorquere fenestras.
Princeps ardentem conjecit lampada Turnus,
Et flammam affixit lateri; quæ plurima vento
Corripuit tabulas, & postibus hæsit adesis.
Turbati trepidare intus frustraque malorum
Velle fugam, dum se glomerant, retroque residunt
In partem, quæ *q* peste caret: tum pondere turris
Procubuit subito, & cœlum tonat omne fragore.
Semineces ad terram, immani mole sequuta,
Confixique suis telis, & pectora duro
Transfossi ligno veniunt. *r* vix unus Helenor
Et Lycus elapsi. quorum *s* primævus Helenor,
Mæonio regi quem serva Lycimnia furtim
u Sustulerat, *x* vetitisque ad Trojam miserat armis:
y Ense levis nudo, *a* parmaque inglorius alba.
Isque, ubi se Turni media inter millia vidit,
Hinc acies, atque hinc acies astare Latinas,
* Ut fera, quæ densa venantum septa corona
Contra tela furit, seseque *b* haud nescia morti
Injicit, & saltu supra venabula fertur:

k Rutuli non ferre valent.
l Subter testudine.
m Ad significandam patriam, molem & vires. hastam ex solida pinu, *vel* facem pineam. Hendiadys.
n Unam nominat, reginam sc. & principem, reliquas Musas implicite invocat. χαίρε τε τοίνυν ὦ Διόνυσε. Aristophan. Ran.
o Utpote Mnemosynes filiæ. vide eundem hunc versum l. 7.
p Tabulatis quibus ascendebatur turris ab intra, *vel* pontibus inter propugnacula. ut supra.
q Incendio. sic l. 5. *Est vapor, & toto descendit corpore pestis. i.* flamma.
r Vix unus & alter.
s Ætate major forte cum respectu ad Lycum tanquam fratrem. *t* Illegitimo concubitu. *u* Natum educaverat. supra, *Sublatum erudit.* *x* Cum respectu ad disciplinam Rom. quæ servis interdicebat militiam. *y* Levis armaturæ miles. *a* Tironibus Rom. ad quos allusum, dabatur parma alba & pura, insigni prorsus nuda; quod argumento facinoris alicujus a se editi insignire in sua manu & virtute erat. *b* Certa mori, & desperata. *si subeant venabula pectus, Per ferrum tanti secuntur vulnera saxi*, Lucan. 2.

Haud aliter juvenis medios moriturus in hostes
Irruit, & qua tela videt densissima, tendit.
At pedibus longe melior Lycus, inter & hostes,
Inter & arma fuga muros tenet, altaque certat
Prendere tecta manu, sociumque attingere dextras.
Quem Turnus pariter cursu, teloque sequutus;
Increpat his victor: Nostrasque evadere demens,
Sperasti te posse manus? simul arripit ipsum
Pendentem, & magna muri cum parte revellit.
* Qualis ubi aut leporem, aut candenti corpore cygnum
Sustulit alta petens pedibus c Jovis armiger uncis:
* Quæsitum aut matri multis balatibus agnum
d Martius à stabulis rapuit d lupus. undique clamor
Tollitur: invadunt, & fossas aggere complent.
Ardentes tedas alii ad fastigia jactant.
Ilioneus saxo, atque ingenti fragmine montis
e Lucetium portæ subeuntem, igneque ferentem,
e Emathiona f Liger, f Chorinæum sternit e Asylas:
(Hic jaculo bonus, hic g longe fallente sagitta)
e Ortygium f Cæneus, victorem Cænea Turnus;
Turnus f Ityn, f Cloniumque, f Dioxippum, f Promulumque
Et f Sagarim, & summis h stantem pro turribus f Ida:
e Privernum f Capys. hunc primo levis hasta f Themillæ
i Strinxerat: ille manum projecto k tegmine demens
Ad vulnus tulit. ergo l alis allapsa sagitta,
Et lævo infixa est lateri manus, abditaque intus
m Spiramenta animæ lethali vulnere rupit,
Stabat in egregiis n Arcentis filius armis,
Pictus acu chlamydem, & o ferrugine clarus Ibera,
Insignis facie: genitor quem miserat Arcens.
Eductum Martis luco, p Simethia circum
Flumina, pinguis ubi & placabilis ara q Palici.
Stridentem fundam positis Mezentius armis,
Ipse ter adducta circum caput egit habena,
Et media adversi r liquefacto tempora plumbo
Diffidit, ac multa porrectum extendit arena.
Tum primum bello celerem intendisse sagittam
Dicitur, ante feras solitus terrere fugaces

* Macrob. Sat. l. 5. c. 12. & 13. & Jul. Scal. Poetic. 5. l. c. 3. ex Hom. Il. 12. & 22.
c Aquila, Jovis dicta armigera, quod sublime volet, nec unquam fulmine examinetur. Plin. 10. l. 3. c.
d Martis fera.
e Ital.
f Trojan.
g Eminus, quippe miss. a non animadvertitur, neque ita facile declinatur.
h Propugnantem defendentemque turres.
i Levi vulnere.
k Clypeo.
l Pennata, volucris sagitta.
m Pulmones instrumenta respirationis, cor domicilium spirationis.
n Siculi.
o Nativo colore pullo, Hispano aut Bætico.
p Simæthus Siciliæ fl. prope Catanam. h. l. a Laretia.
q Palicorum. Erant Palici filii Jovis & Thaliæ nymphæ, Siculis dii habiti, culti ad lacus duos *Crateras* dictos; insignes juramenti religione, in perjurium sc. implacabiles, in veracem placabiles. quorum aræ uberibus fertilis Siciliæ donis annuis coronantur, v Macrob. Sat. 5. l. 19. c. Cluverius legit, *pinguis ubi implacabilis ara Palici.* vide geminum huic locum l. 7. supra, *pinguis ubi & implacabilis ara Dianæ.*
r Ex attritione aeris, & celeri motu, quo aer attenuatus accenditur.

Asca-

Ascanius; fortemque manu fudisse Numanum,
Cui Remulo cognomen erat, Turnique minorem
Germanam nuper thalamo sociatus habebat.
Is primam ante aciem digna, atque indigna relatu
Vociferans, tumidusque novo præcordia *f* regno
Ibat, & ingenti sese clamore ferebat.
Non pudet obsidione iterum valloque teneri,
t Bis capti Phryges, & morti prætendere muros?
En qui nostra sibi bello connubia poscunt.
Quis deus *u* Italiam, quæ vos dementia adegit?
Non hic Atridæ, nec fandi fictor Ulysses:
x Durum à stirpe genus: natos ad flumina primum
Deferimus, sævoque gelu duramus, & undis.
Venatu invigilant pueri, sylvasque fatigant:
Flectere *y* ludus equos, & spicula tendere cornu,
At patiens operum, parvoque assueta juventus,
Aut rastris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne ævum ferro teritur, versaque juvencûm
Terga fatigamus *z* hasta: nec tarda senectus
Debilitat vires animi, mutatque vigorem:
Caniciem galea premimus: semperque recentes
a Convectare juvat prædas, & *a* vivere rapto.
Vobis *b* picta croco, & fulgenti murice vestis;
Desidiæ cordi; juvat indulgere choreis,
Et *c* tunicæ manicas, & habent redimicula *d* mitræ.
e O veræ Phrygiæ, neque enim Phryges, ite per alta
Dindyma, ubi assuetis *f* biforem dat tibia cantum.
Tympana vos, buxusque vocat *g* Berecynthia matris
Idææ: sinite arma viris, & cedite ferro.
Talia jactantem dictis, ac dira canentem
Non tulit Ascanius; nervoque obversus *h* equino
Contendit telum, diversaque brachia ducens,

f Regis Turni affinitate. namque Regum fratres & affines olim nomine Regum insigniebantur.
t Ab Hercule primum, secundo a Græcis, Tzetzes ter. ab Amazonibus sc. secundo, a Græcis tertio.
u Bello claram petere vos imbelles adegit? quos qui vicerunt Græci, si nobiscum conferantur, ignavi & vani.
x Ut primum nati sunt infantes, gelidis undis fluviorum induramus. Allusum ad Celtas, qui recens natos ad fl. Rhenum clypeo impositos deferebant, exploraturi, si fluitaret scutum, soboles genuinam; si mergeretur, spuriam. nec non ad indurandum eos bello & rebus asperis; *vel* Natationi a prima pueritia natos nostros assuefacimus. *y* Qui viris alibi labor, nostris pueris ludus est. *z* Stimuli loco. *a* Qui primus hominibus, rudibus & ferarum more viventibus honor erat. *b* Crocotium innuit, vestem muliebrem, acu pictam, croco & purpura intertinctam. *c* Tunicas χειροδοτους innuit, prolixas sc. infra brachia, & usque in primores manus gestare viris Rom. indecorum fuit. Agell. 7. l. 12. c. *d* Mitræ quidem Lydis ac Phrygibus tegmina erant capitis: aliis vero gestare turpe & molle habebatur. magis, si redimiculis mento subligarentur. *e* Ἀχαϊάδες, οὐκ' ἔτ' Ἀχαιοί. Il. 7. choris Cybeles per Dindyma montem Phrygiæ celebrandis ad sonum tympani & tibiæ potius quam armis apti. *f* Gravem & acutum, tibiis sc. dextris & sinistris, quæ Phrygiæ. *g* Berecynthus, mons Phrygiæ. Phryges autem inventores tibiæ buxeæ, quæ Elymos dicebatur. Jul. Scal. l. 1. Poet. c. 20. *h* Nervo ex equinis setis, Hesychius. nisi lubeat intelligere de arcu, cujusmodi usi Parthi, hodie Turcæ & Tartari, ex nervis equinis.

Constitit ante Jovem, supplex per vota precatus:
Jupiter omnipotens, audacibus annue cœptis,
Ipse tibi ad tua templa feram solennia dona,
Et statuam ante aras [i] aurata fronte juvencum
Candentem, [k] pariterque caput cum matre ferentem,
Jam cornu petat, & pedibus qui spargat arenam.
Audiit, & cœli genitor de parte [l] serena
Intonuit [m] lævum; sonat una lethifer arcus:
Et fugit horrendum stridens elapsa sagitta,
Perque caput Remuli venit, & cava tempora ferro
Trajicit. I, verbis virtutem illude superbis:
[n] Bis capti Phryges hæc Rutulis responsa remittunt.
Hæc tantum Ascanius: Teucri clamore sequuntur,
Lætitiaque fremunt, animosque ad sidera tollunt.
Ætheria tum forte plaga [o] crinitus Apollo
Desuper Ausonias acies, urbemque videbat,
Nube sedens, atque his victorem affatur Iülum:
[p] Macte nova virtute puer, sic itur ad astra,
[q] Diis genite, & geniture [r] deos. [s] jure omnia bella
Gente sub Assaraci fato ventura resident:
[t] Nec te Troja capit. Simul hæc effatus, ab alto
Æthere se mittit; [u] spirantes dimovet auras,
Ascaniumque petit. forma tum vertitur oris
Antiquum in Buten. hic Dardanio Anchisæ
Armiger ante fuit, fidusque [x] ad limina custos.
Tum comitem Ascanio pater addidit. ibat Apollo
[y] Omnia longævo similis, vocemque, coloremque,
Et crines albos, & [z] sæva sonoribus arma:
Atque [a] his ardentem dictis [a] affatur Iülum:
Sit satis, [b] Æneide telis [c] impune Numanum
Oppetiisse tuis: primum hanc tibi magnus Apollo
Concedit laudem, & [d] paribus non invidet armis:
[e] Cætera parce puer bello. Sic orsus Apollo.
Mortales medio aspectus sermone reliquit,

[i] Taurorum cornua deaurare: vitulorum frontes aureis laminis & coronis ornare in sacris ad magnificentiam victimæ faciebat.
[k] Statura matri æqualem.
[l] Prodigiosum, ut quod extra rationis aleam.
[m] Quod boni ominis. Nam quibus auspicia captantibus antica pars fuerit Meridies, læva auguria sunt ab Oriente quæ melior cœli pars. sive servantibus antica fuerit Oriens, læva erit Septentrionalis pars, cujus vertex sublimis; Meridionalem sub Horizonte depressum. *Sub pedibus Styx atra videt manesque profundi.* [n] Sarcastice in Numanum sua dicta, cum lethifera sagitta repensa. [o] Propter radios Solis dicitur Apollo crinitus, ut & sagittis instructus. [p] Amplificate honore. Rituale a sacris, in quibus hostia immolata & cæsa, boni ominis gratia dicebatur, mactus esto taurus. i. e. magis auctus. [q] Venere, perinde Jove. [r] Julium Cæs. & Augustum. [s] Trojanæ gentis auspiciis quiescent bella ubique: claudentur Jani limina, hoc vaticinium in Augusti gratiam. [t] Major es quam quem caperet Troja. [u] Suave a Deo Sole spirantes. [x] Atriarius. ut *ad pecula, ad mensam*, &c. [y] Per omnia. κατὰ, sub. [z] Arcus & pharetra. Δεινὴ καὶ κλαγγή, &c. Il. α. [a] Hæc coram & clare, nam prius illud elogium ad Ascanii aures non pervenit. [b] Æneade. [c] Citra noxam tuam. [d] Et gloriam tibi concedit in suis armis. i. e. arcu & sagittis. [e] Cæterum in præsens supersede, cessaque ab ulteriore pugna.

Et procul in tenuem ex oculis evanuit auram.
Agnovere deum proceres, divinaque tela
Dardanidæ : pharetramque fuga sensere *f* sonantem.
Ergo avidum pugnæ dictis, ac numine Phœbi
Ascanium prohibent. ipsi in certamina rursus
Succedunt, animasque in aperta pericula mittunt.
It clamor totis per propugnacula muris :
Intendunt acres arcus, *g* amentaque torquent.
Sternitur omne solum telis ; tum scuta, cavæque
Dant sonitum *h* flictu galeæ : pugna aspera surgit.
Quantus ab occasu veniens pluvialibus *i* Hœdis
Verberat imber humum : quam multa grandine nimbi
In vada præcipitant, cum Jupiter horridus Austris
k Torquet aquosam hyemem, & cœlo cava nubila rumpit,
Pandarus & Bitias, Idæo Alcanore creti,
Quos Jovis eduxit luco sylvestris *l* Hiera,
Abietibus juvenes patriis, & montibus æquos :
m Portam, quæ ducis imperio commissa, recludunt,
Freti armis, ultroque invitant mœnibus hostem.
Ipsi intus dextra, ac læva *n* pro turribus astant
Armati ferro, & cristis capita alta corusci :
Quales aëriæ *o* Liquentia flumina circum,
Sive Padi ripis, *p* Athesim seu propter amœnum,
Consurgunt geminæ quercus, intonsaque cœlo
Attollunt capita, & sublimi vertice nutant.
Irrumpunt, aditus Rutuli ut videre patentes,
Continuo *q* Quercens, & pulcher *q* Equicolus armis,
Et præceps ammi *q* Tmarus, & Mavortius *q* Hæmon,
Agminibus totis aut versi terga dedere,
Aut ipso portæ posuere in limine vitam.
Tum magis increscunt animis discordibus iræ :
Et jam collecti Troës glomerantur eodem,
Et conferre manum, & procurrere longius audent.
Ductori Turno diversa in parte furenti,
Turbantique viros, perfertur nuncius, hostem
Fervere cæde nova, & portas præbere patentes.
Deserit inceptum, atque immani concitus ira
r Dardaniam ruit ad portam, fratresque superbos,
Et primum Antiphaten (is enim se primus agebat)
Thebana de matre nothum Sarpedonis *s* alti,

f Ἐκλαγξαν δ' ἄρ' ὀϊστοί, &c. Il. α.
g Amentata tela
h Afflictu.
i Stellis duabus in Aurigæ brachio, quarum ortu & occasu concitantur pluviæ tempestates.
k In grandinem rotat.
l Mater Idæa. Alii ab hyena nutriri hos volunt, ut a cerva, cane, lupa alios. vide Turneb. l. 22. c. 7. Advers.
m Macrob. l. 5. Sat. c. 11. legit, *Portam quæ imperio ducis est commissa.* ubi locum hunc cum illo 12. Iliad. comparat.
n Propugnantes, ut supra, *stantem pro turribus Idam.* Alii. Ipsi Pand. & Bitias instar turrium, *quia abietibus Idæis & montibus æqui.*

o Alii, *Liquetia flumina.* Rectius *Liquentia* qui fl. est Venetæ ditionis ex montibus Opiterginis ortus : hodie *Livenza* Cluver. Ital. l. 1. cap. 18. *p* Celebrem, & maximum, post Padum, Italiæ fl. Venetæ ditionis ultra Hadriam opp. *q* Itali duces. *r* Castrorum hic portam, cognominem illi veteris Trojæ. *s* Nobilis, utpote nepotis Jovis.

Con-

Conjecto ſternit jaculo: volat Irala cornus
Aëra per tenuem, ſtomachoque infixa ſub altum
Pectus abit: reddit [t] ſpecus atri vulneris undam
Spumantem, & fixo ferrum in pulmone repeſcit.
Tum Meropem, atque Erymantha [u] manu tum ſternit Aphidnum,
Tum Bitian ardentem oculis, animiſque frementem,
Non jaculo, (neque enim jaculo vitam ille dediſſet)
Sed magnum ſtridens contorta [x] phalarica venit,
Fulminis acta modo: quam [y] nec duo taurea terga,
[z] Nec duplici ſquama lorica fidelis, & auro
Suſtinuit. collapſa ruunt immania membra.
Dat tellus gemitum, & clypeum ſuper intonat ingens.
Qualis in [a] Euboico Bajarum litore quondam
[b] Saxea pila cadit, magnis quam molibus ante
Conſtructam jaciunt ponto: ſic illa ruinam
Prona trahit, penituſque vadis illiſa recumbit.
[c] Miſcent ſe maria, & nigræ attolluntur arenæ.
Tum ſonitu [d] Prochyta alta tremit, durumque cubile
[e] Inarime Jovis imperiis impoſta Typhœo.
Hic Mars armipotens animum, viresque Latinis
Addidit, & ſtimulos acres ſub pectore vertit.
Immiſitque fugam Teucris, [f] atrumque timorem.
Undique [g] conveniunt: quoniam data copia pugnæ,
Bellatorque animo deus incidit.
Pandarus ut fuſo germanum corpore cernit,
Et quo ſit fortuna loco, qui caſus agat res,
Portam vi multa converſo cardine torquet,
Obnixus latis humeris, multoſque ſuorum
Mœnibus excluſos duro in certamine linquit:
Aſt [h] alios ſecum includit, recipitque ruentes
Demens: qui Rutulum in medio non agmine regem
Viderit irrumpentem, ultroque incluſerit urbi,
Immanem veluti pecora inter inertia tigrim.
Continuo nova lux oculis effulſit, & arma
Horrendum ſonuere: tremunt in vertice criſtæ
Sanguineæ, clypeoque micantia fulgura mittit.
Agnoſcunt faciem inviſam, atque [i] immania membra

[t] Hiatus, cavitas vulneris.
[u] Hos tres comminus: Antiphaten eminus interfecerat.
[x] Haſta valido præfixa ferro, ſulfure, reſina, bitumine, ſtupiſque convoluta, infuſo oleo incendiario; quæ baliſtæ impetu deſtinata, ardens figitur phalis & turribus incendendis.
[y] Non clypeus ex duplici taurino tergore ſuſtinere valuit.
[z] Nec lorica ex laminis aureis ſquammarum in morem conſerta.
[a] Bajas in ſinu Puteolano condidere Chalcidenſes ex Eubœa Inſ. coloni.
[b] Moles ex ſaxo, latere, cæmento, ligneiſque pilis jacta eductaque ad arcendum mare & tutandos portus. χηλαί. [c] Intra molem & extra. [d] Inſula litoris Campani inter Miſenum promontorium & inſulam Pithecuſam quæ ——— [e] ——— Ænaria & Inarime, Homero ἐν ἀρίμοις, quam, quod flammas quandoque vomit, Typhœo giganti ſuperjectam fabulantur. [f] Funeſtum, turpem. ut Horat. *atra cura*. aut pallidum ad nigredinem uſque. [g] Itali. [h] Suos, Trojanos. nam Turnus ſolus ex hoſtibus exceptus. [i] *Præſtanti corpore* Turnum, *ac toto vertice ſupra*.

Turbati subito Æneadæ. Tum Pandarus ingens
Emicat, & mortis fraternæ fervidus ira
Effatur: *k* Non hæc dotalis regia Amatæ,
Nec muris cohibet patriis media Ardea Turnum.
Castra inimica vides: nulla hinc exire potestas.
Olli *l* subridens sedato pectore Turnus,
Incipe, si qua animo virtus, & consere dextram:
m Hic etiam inventum Priamo narrabis Achillem.
Dixerat. *n* ille rudem nodis, & cortice crudo
Intorquet summis adnixus viribus hastam.
Excepere auræ vulnus: Saturnia Juno
Detorsit veniens; portæque infigitur hasta.
o At non hoc telum, mea quod vi dextera versat,
Effugies: *p* neque enim is teli, nec vulneris author.
Sic ait, & sublatum alte consurgit in ensem,
Et mediam ferro gemina inter tempora frontem
Dividit, impubesque immani vulnere malas.
Fit sonus, ingenti concussa est pondere tellus.
Collapsos artus, atque arma cruenta cerebro
Sternit humi moriens: atque illi partibus æquis
Huc caput, atque illuc humero ex utroque pependit.
Diffugiunt versi trepida formidine Troës.
Et, *q* si continuo victorem ea cura subisset,
Rumpere claustra manu, sociosque immittere portis,
Ultimus ille dies bello, gentique fuisset.
Sed furor ardentem, cædisque insana cupido
Egit in *r* adversos.
Principio Phalarim, & succiso poplite Gygen
Excipit: hinc *s* raptas fugientibus ingerit hastas
In tergum Juno vires animumque ministrat.
Addit Halyn comitem, & *t* confixum Phegea parma.
Ignaros deinde in muris, Martemque cientes,
Alcandrumque, Haliumque, Noëmonaque, Pritanimque,
Lyncea tendentem contra, sociosque vocantem,
Vibranti gladio connixus ab aggere *u* dexter
Occupat: huic uno dejectum comminus ictu
Cum galea longe jacuit caput: inde ferarum
Vastatorem Amycum: quo non *x* felicior alter
Ungere tela manu, ferrumque armare *y* veneno,
Et Clytium *z* Æoliden, & *a* amicum Cretea Musis:

k Hæc non est regia Latini, quam tibi filiæ dotis nomine assignavit Amata, neque enim tua regia, Ardea.
l Sui fiducia, neglectu & contemptu hostis.
m Manu mea cæsus nuncius ibis Priamo, narrans te incidisse in alterum Achillem. i. e. Turnum
n Pandarus.
o Inquit Turnus.
p Neque enim ego, sicut tu modo, erravero,
q Si Turno in animum subiisset portas reserare. Si tam uti victoria, quam vincere novisset.
r Qui ante eum ex adverso erant. Alii leg. *aversos*, fugientes sc. quos insequi ardebat.
s Quas in fuga trepidi hostes abjecerant.
t Transfixerat hasta Turnus parmam junctim & corpus Phegei.
u A parte dextra, an successu felix.
x Perior. *y* Τοξικῷ. lethali & immedicabili.
z Ex Æoli familia. an ex Æolia in Trojam, inde cum Ænea in Italiam profectum.
a Vatem Lyricum, ab instrumentis & argumentis. *Musa dedit fidibus divos, puerosque deorum, & pugilem victorem, & equum certamine primum.*

Cretea

Cretea [a] Musarum comitem, cui carmina semper
Et citharæ cordi, numerosque intendere nervis:
Semper equos, atque arma virûm, pugnasque canebat.
Tandem ductores, audita cæde suorum,
Conveniunt Teucri, Mnestheus, acerque Serestus,
Palantesque vident socios, hostemque receptum.
Et Mnestheus, Quo deinde fugam? quo tenditis? inquit.
Quos alios muros, quæ jam ultra mœnia habetis?
Unus homo, & vestris (ô cives) undique septus
Aggeribus, tantas strages impune per urbem
Ediderit? juvenum primos tot miserit Orco?
Non infelicis patriæ, veterumque deorum,
Et magni Æneæ segnes [b] miseretque, [b] pudetque?
Talibus accensi firmantur, & agmine denso
Consistunt. Turnus paulatim excedere pugna,
Et [c] fluvium petere, ac partem, quæ cingitur amni.
Acrius hoc Teucri clamore incumbere magno,
Et glomerare manum. [d] Ceu sævum turba leonem
Cum telis premit infensis: at territus ille,
Asper, acerba tuens, retro redit: & [e] neque terga
Ira dare, aut virtus patitur, nec tendere contra,
Ille quidem hoc cupiens, potis est per tela virosque.
Haud aliter retro dubius vestigia Turnus
[e] Improperata refert, & mens exæstuat ira.
Quinetiam bis tum medios invaserat hostes:
Bis conversa fuga per muros agmina vertit.
Sed manus è castris propere coit omnis in unum,
Nec contra vires audet Saturnia Juno
Sufficere: aëriam cœlo nam Jupitêr Irim
Demisit, [f] germanæ [g] haud mollia jussa ferentem,
Ni Turnus cedat Teucrorum mœnibus altis.
Ergo nec clypeo juvenis subsistere tantum,
Nec dextra valet: injectis sic undique telis
Obruitur; strepit assiduo cava tempora circum
Tinnitu galea, & saxis solida æra fatiscunt,
Discussæque jubæ capiti; nec sufficit umbo
Ictibus: Ingeminant hastis & Troës, & ipse
Fulmineus Mnestheus. tum toto corpore sudor
Liquitur, & [h] piceum (nec respirare potestas)
Flumen agit: fessos quatit æger anhelitus artus.
Tum demum præceps * saltu sese omnibus armis
In fluvium dedit. ille suo cum gurgite flavo
Accepit venientem, ac mollibus extulit undis;
Et lætum sociis [i] abluta cæde remisit.

[b] *Miseret* respicit ad *patriam. pudet* ad *Æneam.*
[c] Tiberim.
[d] Ὡς λῖς ἠϋγένειος, Ὃν ῥα κύνες τε καὶ ἄνδρες, &c. Il. 17.
[e] Non cursu contento, sed lente & paullatim.
[f] Junoni.
[g] Minacia, ni cedat Turnus.
[h] Pulvere misto sordidum, *vel* lentum & viscosum.
* Sese armatum in fluvium projecit.

Allusum ad historiam Romanam Horatii Coclitis. [i] Patrii fluminis benignitati tribuit Poeta religiosum morem; quo redeuntes e bello & sanguine se abluebant. Parabat Andromache. Εκτορι θερμὰ λόετρα μάχης ἐκνοστήσαντι. Il. 22.

ÆNEIDOS LIB. X.

ARGUMENTUM.

JUpiter convocato deorum concilio, ad concordiam ipsos adhortatur. Ibi Venus de Trojanorum periculo, insatiabilique Junonis odio conqueritur: aliquamque tandem tot calamitatum requiem petit. Juno contra malorum omnium causam in Trojanos veluti primos belli auctores, atque adeo in Venerem ipsam rejicit. Frustra itaque tentata reconciliatione, Jupiter ubi nullum videt esse contentionum finem, ne aut uxorem aut filiam læderet, se neutrarum partium studia sequuturum pronuntiat, sed, pro sua æquitate omnia fatis esse permissurum. Interim Rutuli totis viribus ad oppugnationem redeunt, non minore animo obsessi se ad defensionem parant. Dum hæc in Latio geruntur, Æneas, rebus in Etruria ex animi sententia confectis, multorumque sibi populorum auxiliis adjunctis, triginta navium classe ad suos revehitur. Ibi nymphas, paulo ante in eam formam ex navibus suis transformatas, obvias habet: ex his & de classis amissione, & de suorum periculo certior redditur. Inde in hostium usque conspectum protectus, copias suas exponit. Rutuli oppugnatione desistunt, occurrentesque ad litus, terra hostem prohibere conantur. Magno utrinque detrimento pugnatur. Ibi Pallas, magna prius edita hostium strage, tandem a Turno occiditur. Cujus rei dolore percitus Æneas, magnos Rutulorum acervos amico inferias mittit: Ascanius quoque eruptione facta, suas cum patre copias conjungit. Quibus rebus permota Juno, & pro Turno solicita, impetrata a Jove venia, præsenti eum periculo eripit, objecta illi falsa Æneæ imagine, quam dum in navim quandam fugientem insequitur, vinculis a Junone ruptis, vi tempestatis ad litora Ardeæ proxima devehitur. Interim Mezentius Jovis monitu pugnæ succedens magnum tam Trojanorum, quam Etruscorum numerum prosternit; donec ab Ænea hastæ ictu vulneratus, & a Lauso filio protectus, ægre se ad obligandum vulnus ex acie recipit. Ibi Lausus quoque, dum patrem ulciscì conatur, ab Ænea interficitur, ejus rei nuntio accepto, Mezentius conscenso equo in prælium redit: ubi dum filii mortem vindicare parat, eadem, qua filius, dextra concidit.

[a] PAnditur interea domus [b] Omnipotentis Olympi;
Conciliumque vocat divûm pater, atque hominum rex;
[c] Sideriam in sedem: terras unde arduus omnes,
Castraque Dardanidum aspectat, populosque Latinos.

[a] Concilium hoc habitum volunt interpretes summo mane aperta scilicet Cœli porta oriente. Quoniam vero nulla interveniens nox prælium & obsidionem diremerat, Cœli arcem & curiam pandi intelligo, ac concilium deorum & spectacula hominum. ut in seq. *terras unde arduus omnes, Castraque Dardanidum aspectat, populosque Latinos.* [b] Alii leg. *omnipatentis*, i. e. omni ex parte patentis, alii *omnipatentis*. alii *omnipotentis olympia*. alii *omnipotentis olympi*. i. e. Jovis, qui, ut sciunt plerique omnes, & disertim habet L. Cæcilius Minutianus Libello de Orthographia, Olympius appellatur. Ubi ex nostro citat hunc versum, uno tantum epitheto immutatum ab illo Nævii: *Panditur interea domus altitonantis Olympi*, ut contractione facta sicut in *peculi, tuguri, Paravi, oti*, &c. vel denotet Jovem, vel etiam, *cœlum*: Quod cum Cleanthes deorum omnium maximum pronunciarit, *omnipotentis* epitheton hic ferri poterit, non secus atque in 12 Lib. *Junonem interea rex omnipotentis Olympi Alloquitur*. Adde quod & Quintilianus & Priscianus, in hoc versu quinque tantum agnoscunt dactylos, quorum auctoritate & *Olympia* & *Olympii* exploduntur. [c] In cœli summam arcem & palatium Jovis. Alludit ad circulum Lacteum ἀστρόεντα, *Qua superis iter est ad magni tecta Tonantis Regalemque domum.*

Consi-

Considunt tectis bipatentibus: incipit ipse:
Cœlicolæ magni, *d* quia nam sententia vobis
Versa retro? tantumque animis certatis iniquis?
Abnueram bello Italiam concurrere Teucris,
Quæ contra vetitum discordia? quis metus aut hos,
Aut hos arma sequi, ferrumque lacessere suasit?
Adveniet justum pugnæ (ne arcessite) *e* tempus,
Cum fera Carthago Romanis arcibus olim
Exitium magnum, atque Alpes immittet *f* apertas.
Tum certare odiis, tum res *g* rapuisse licebit.
Nunc finite, & placidum læti componite fœdus.
Juppiter hæc paucis: at non Venus aurea contra
Pauca refert.
O pater, ô hominum, divûmque æterna potestas;
(Namque aliud quid sit, quod jam implorare queamus?)
Cernis ut insultent Rutuli, Turnusque feratur
Per medios insignis equos, tumidusque secundo
Marte ruat? non clausa tegunt jam mœnia Teucros:
Quin intra portas, inque ipsis prælia miscent
Aggeribus *h* mœrorum, & inundant sanguine fossæ.
Æneas ignarus abest. nunquamne levari
Obsidione fines? muris iterum imminet hostis
Nascentis Trojæ, necnon exercitus alter:
Atque iterum in Teucros Ætolis surgit ab *i* Arpis
Tydides: equidem (credo) mea vulnera *k* restant:
Et tua progenies mortalia demoror arma.
Si sine pace tua, atque invito numine Troës
Italiam petiere, luant peccata; neque illos
Juveris auxilio: sin tot responsa sequuti,
Quæ *l* superi, *m* manesque dabant, cur nunc tua quisquam
Flectere jussa potest? aut cur nova condere fata?
Quid repetam exustas *n* Erycino in litore classes?
Quid tempestatum *o* regem, ventosque furentes,
Æolia excitos? aut actam nubibus *p* Irim?
Nunc etiam Manes (hæc intentata manebat
q Sors rerum) movet, & superis immissa repente
Alecto, medias Italûm bacchata per urbes.

d Cur? ex Enniana antiquitate dignitatem conciliat atque autoritatem acerrimi judicii P. Virgilius. in *Olli, quianam mi*, &c. Quintilianus 8. lib. & Æn. 5. lib. *Heu quianam tanti cinxerunt æthera nimbi.*

e Bellum innuit Punicum secundum.

f Ab Annibale, igne & aceto.

g Res per injuriam abreptas repetere, clarigare, bellum per feciales indicere; inde qua vi qua armis rapere.

h Murorum antique.

i Diomedes ex Ætolia adveniens condidit Arpos sive Argyripam in Apulia.

k Respexit ad vulnus, quod acceperat a Diomede. Il. 5.

l Jupiter. lib. 1. *Cernes urbem & promissa Lavini Mœnia.* Et Apollo l. 3. *Antiquam exquirite matrem.* *m* Creusa lib. 2. *Ad terram Hesperiam venies* Et Anchises, *gens dura atque aspera cultu, Debellanda tibi Latio est.* l. 5. & 6. *n* Siculo ab Eryce, l. 5. Æn. *o* Æolum. supra lib. 1. pag. 112. *p* Lib. 5. & 9. supra. *q* Inferi, qui sortito obtigere Plutoni tertio fratri. *Flectere si nequeo superos, Acheronta movebo.* l. 7. inde Alecto excita res mortalium in terris misturat.

Nil

Nil super imperio moveor: r speravimus ista,
Dum fortuna fuit: vincant, quos vincere mavis.
Si nulla est regio, Teucris quam det tua conjux
Dura: per eversæ (genitor) ſ fumantia Trojæ
Excidia obtestor, liceat dimittere ab armis
Incolumem Ascanium, liceat supersse nepotem.
Æneas sane ignotis jactetur in t undis,
Et quamcumque viam dederit fortuna, sequatur:
Hunc tegere, & diræ valeam subducere pugnæ.
Est u Amathus, est celsa mihi u Paphos, atque u Cythera,
u Idaliæque domus: positis inglorius armis
Exigat hic ævum, magna ditione jubeto
Carthago premat Ausoniam: nihil urbibus x inde
Obstabit Tyriis. Quid pestem evadere belli
Juvit, & Argolicos medium fugisse per ignes?
Totque maris, vastæque exhausta pericula terræ,
Dum Latium Teucri, y recidivaque Pergama quærunt?
Non satius cineres patriæ insedisse supremos,
Atque solum, quo Troja fuit? Xanthum & Simoënta
Redde oro miseris: iterumque revolvere casus
Da, pater, Iliacos Teucris: Tum regia Iuno
Acta furore gravi: Quid me alta silentia cogis
Rumpere, & obductum verbis vulgare dolorem?
Æneam hominum quisquam, divûmque subegit
Bella sequi? aut hostem regi se infetre Latino?
Italiam petiit fatis auctoribus, esto,
z Cassandræ impulsus furiis. num linquere castra
Hortati sumus? aut vitam committere ventis?
Num a puero summam belli, num credere muris?
Tyrrhenamve fidem, aut gentes agitare quietas?
Quis Deus in fraudem, quæ dura potentia nostra
Egit? ubi hic Iuno, demissave nubibus Iris?
Indignum est Italos b Trojam circumdare flammis
Nascentem; & patria Turnum consistere terra,
Cui c Pilumnus avus, cui d diva Venilia mater.
e Quid? face Trojanos atra vim ferre Latinis?
Arva aliena jugo premere, atque avertere prædas?
Quid? f soceros legere, & f gremiis abducere pactas?

r Italiæ devictæ imperium speravimus olim felices. nunc sufficiet, si salvi evadere possimus.
ſ Etiamdum. pene fumantia, nec dum extincta. Ad movendam misericordiam.
t Tiberi vivus, Nimicio mortuus.
u Cypri inſ. urbs.
x Ab Italia.
y Renascentia in Italia ex reliquiis Trojæ, regna rediviva.
z Anchises 3. l. *Sola mihi tales casus Cassandra canebat. Et sæpe Hesperiam, sæpe Italia regna vocare*, &c.
a Ascanio. cui tamen Æneas non crediderat; sed Mnestheo & Sergesto.
b Castra Trojana flamma & ferro oppugnare. ut lib. 9.
c Pilumnus & Picumnus filii Jovis, auspiciis conjugalibus, natisque pueris præsides dati. sed vide lib. hunc sub fine, *Pilumnusque illi quartus pater.* d Ut male urat Venerem, & Turni natales natalibus Æneæ adæquare videatur. Veniliam appellat Divam, quæ nympha maris, ut & Salacia. e Quid quod Latinos bello infestent, imperium affectent, prædentur arva, &c. Hæc propter cervum Tyrrhidasque. l. 7. f Latinum. Ad invidiam plurali utitur, ut & Gremio Turni intercipere desponsatam Laviniam.

g Pacem

g Pacem prætendere, paratos interea vi cogere, & extorquere arma ostentando. idque propter *Ceutum oratores augusta ad &c.* Et *geminasque legit de classe biremes. Remigioque aptat, socios simul instruit armis, &, Scuta virum fluvio, &c.* l. 7.

h Diomedis. Il. 5. & Achillis. Il. 20. quibuscum Æneas congressus ultimo discrimini ereptus est a Venere & Neptuno.

i Supra l. 9.

k Ironice. vel ἐρωτηματικῶς.

l Irrisorie & contemtim.

m Ardeam, & Rutulos, *Durum a stirpe genus*, &c. ut Numanus supra 9. l.

n Molles, ex se aut etiam fato perituras.

o An quia rapta Helena prædaque abacta Troas obnoxios fecit Græcis?

g Pacem orare manu, præfigere puppibus arma?
Tu potes Æneam manibus subducere h Grajûm,
Proque viro nebulam, & ventos obtendere inanes;
Et potes in totidem i classem convertere Nymphas:
Nos aliquid Rutulos contra juvisse k nefandum est.
l Æneas ignarus abest: ignarus & absit.
Est Paphos, Idaliumque tibi, sunt alta Cythera:
Quid m gravidam bellis urbem, & corda aspera tentas?
Nosne tibi n fluxas Phrygiæ res vertere fundo
Conamur? nos? o an miseros qui Troäs Achivis
Objecit? quæ causa fuit consurgere in arma
Europamque Asiamque, & fœdera solvere furto?
Me duce Dardanius Spartam expugnavit adulter?
Aut ego tela dedi, fovique cupidine bella?
Tunc decuit metuisse tuis: nunc sera querelis
Haud justis assurgis, & irrita jurgia jactas.
Talibus orabat Juno; cunctique fremebant
Cœlicolæ assensu vario: ceu p flamina prima,
Cum deprensa fremunt sylvis, & cæca volutant
Murmura, venturos nautis prodentia ventos.
Tum pater omnipotens, rerum cui summa potestas,
Infit: eo dicente, deûm domus alta silescit,
Et tremefacta solo tellus, silet arduus æther:
Tum Zephyri q posuêre, premit placida æquora pontus.
Accipite ergo animis, atque hæc mea figite dicta:
Quandoquidem Ausonios conjungi fœdere Teucris
Haud licitum est, nec vestra capit discordia finem:
Quæ cuique est fortuna hodie, r quam quisque secat spem,
Tros Rutulusve ſ fuat, nullo discrimine habebo:
Seu t fatis Italûm castra obsidione tenentur,
Sive u errore malo Trojæ, monitisque siniſtris.
Nec Rutulos solvo. x sua cuique exorsa laborem,
Fortunamque ferent. rex Juppiter omnibus y idem.
Fata viam invenient. z Stygii per flumina fratris,
Per pice torrentes, atrâque voragine ripas
a Annuit, & totum nutu tremefecit Olympum.

p *Nemorum increbrescere murmur.* inter prognostica. Georg. 1. q Sc. flatus. i. e. quievere. r Quam quisque spei suæ & sectæ viam aperit. ſ Antique, pro *fuerit.* t Iniquis, ut noxii sint Itali; non absolvo tamen Trojanos. u Male & siniſtre interpretati responsa ut Italiam perirent, Non absolvo Rutulos. x Sua cuique opera adferent aut cladem aut victoriam. y Æquus. in neutrarum partium studia inclinans. z Solemne & inviolatum Deorum juramentum lib. 6. a Ἡ καὶ κυανέῃσιν ἐπ' ὀφρύσι νεῦσε Κρονίων, &c, Il. α,

Hic

Hic finis fandi, ſolio tum Juppiter aureo
Surgit, [b] cœlicolæ medium quem ad limina ducunt.
Interea Rutuli portis circum omnibus inſtant
Sternere cæde viros, & mœnia cingere [c] flammis.
Aſt legio Æneadum vallis obſeſſa tenetur;
Nec ſpes ulla fugæ, miſeri ſtant turribus altis
Nequicquam, & rara muros cinxere [d] corona.
[e] Jaſius Imbraſides, [f] Hicetaoniuſque [f] Thymœtes,
Aſſaracique duo, & ſenior cum Caſtore Tybris,
Prima acies: hos germani [g] Sarpedonis ambo,
Et Clarus & Hæmon Lycia comitantur ab [h] alta.
Fert ingens toto connixus corpore ſaxum,
Haud partem exiguam montis, [i] Lyrneſius Acmon,
Nec Clytio genitore minor, nec fratre Meneſtheo.
[k] Hi jaculis, [k] illi certant defendere ſaxis,
Molirique ignem, nervoque aptare ſagittas.
Ipſe inter medios, Veneris juſtiſſima cura,
[l] Dardanius [m] caput ecce puer [m] detectus [n] honeſtum:
Qualis gemma micat, fulvum quæ [o] dividit aurum,
Aut [p] collo decus, aut [p] capiti: vel quale per artem
Incluſum buxo, aut [q] Oricia terebintho
Lucet ebur: fuſos cervix cui lactea crines
Accipit, & molli ſubnectit circulus auro.
Te quoque [r] magnanimæ viderunt, Iſmare gentes
Vulnera dirigere, & [ſ] calamos armare veneno,
[t] Mæonia generoſe domo: ubi pinguia culta
Exercentque viri, [u] Pactoluſque irrigat auro.
Affuit & Mneſtheus, [x] quem pulſi priſtina Turni
Aggere murorum ſublimem gloria tollit;
Et Capys: hinc nomen [y] Campanæ ducitur [y] urbi.
Illi inter ſeſe duri certamine belli
Contulerant. media Æneas freta nocte ſecabat:
Namque ut ab Evandro [z] caſtris ingreſſus Etruſcis,
[a] Regem adit, & regi memorat nomenque genuſque:
Quidve petat, quidve ipſe ferat: Mezentius arma
Quæ ſibi conciliet; violentaque pectora Turni
Edocet: humanis quæ ſit fiducia rebus
Admonet; immiſcetque preces: haud fit mora, Tarchon

[b] Alluſum ad morem Senatorum deducentium domum Coſſ.
[c] Facibus, ad incendia. non ignibus excubitoriis, ut quidam volunt.
[d] Propugnantium.
[e] Al. *Aſius*.
[f] Hicetaonis filius. Il. 3.
[g] Regis Lyciæ, qui Trojanis venerat auxilio.
[h] Nobili.
[i] Ex Lyrneſo urbe Phrygiæ.
[k] Itali jaculis, Trojani ſaxis.
[l] Aſcanius.
[m] Cum reſpectu ad Jul. Cæſarem, qui nudo capite ſæpe cum hoſte conflixit.
[n] Pulchrum.
[o] Auro ſc. incluſa, circumdata. ut 1. Æn. *aut ubi flavo Argentum Pariuſve lapis circumdatur auro.*
[p] Monile aut corona.
[q] Ex Orico Epiri urbe maritima terebintho electri æmula.
[r] Italæ.
[ſ] Mittentem ſagittas veneno illitas.
[t] Lydia.
[u] Lydiæ fl. aureis ramentis nobilis.
[x] Cujus hortatu & virtute pulſis caſtris heri Turnus lib. 9.
[y] Capuæ.
[z] In caſtro Etr. Græca conſtructio.
[a] Tarchonta. lib. 8.

Jungit opes, fœdusque ferit. tum [b] libera fatis
Classem conscendit jussis [c] gens [c] Lydia divûm
Externo commissa duci. Æneia puppis
[d] Prima tenet, [e] rostro Phrygios subjuncta leones:
[f] Imminet Ida super, profugis gratissima Teucris.
Hic magnus sedet Æneas, secumque volutat
Eventus belli varios: Pallasque sinistro
Affixus lateri, jam quærit sidera opacæ
Noctis iter: jam quæ passus terrâque marique.
Pandite nunc Helicona deæ, cantusque movete,
Quæ manus interea Tuscis comitetur ab oris
Ænean; armetque rates, pelagoque vehatur.
[g] Massicus [h] ærata princeps secat æquora [i] Tigri:
Sub quo mille manus juvenum, qui [k] mœnia Clusi,
Quique urbem liquere [l] Cosas: queis tela, sagittæ,
[m] Coritique leves humeris, & lethifer arcus.
Una [n] torvus Aba: huic totum insignibus armis
Agmen & aurato fulgebat [o] Apolline puppis.
Sexcentos illi dederat [p] Populonia mater
Expertos belli juvenes: ast [q] Ilva trecentos
Insula inexhaustis chalybum generosa metallis.
Tertius ille [r] hominum, [s] divûmque interpres Asylas,
[t] Cui pecudum fibræ, [c] cœli cui sidera parent,
Et linguæ volucrum, & præsagi fulminis ignes;
Mille [u] rapit densos acie, atque horrentibus hastis.
Hos parêre jubent Alpheæ ab origine [x] Pisæ,
Urbs Etrusca solo. Sequitur pulcherrimus Astur,
Astur [y] equo fidens, & versicoloribus armis.
Tercentum adjiciunt (mens omnibus una sequendi)
Qui [z] Cærete domo, qui sunt [a] Minionis in arvis,
Et [b] Pyrgi veteris, [c] intempestæque [c] Graviscæ.
Non ego te Ligurum ductor, fortissime bello,

[b] Absoluta religione interdicti aruspicis Etrusci, ne militarent sub Etruscis auspiciis, sed *externos adoptarent duces.* lib. 8.

[c] Hetrusci Lydis orti, supra lib. 8. & 9.

[d] Prætoria sc. & regia, quæ flammas noctu cæteris præfert. *vel* tenet prima loca, seu maria.

[e] Rostrum præfert geminos leones velati Cybeles currum trahentes. τὸ παράσημον statuebatur in prora semper, animal plerumque aut aliud quid, aliquando deus aut Heros. Tutela in puppi, semper deus aut dea.

[f] In puppi effigiata erat Ida mons Phrygiæ, quæ suppeditaverat materiam classi Æneæ.

[g] Dux Clusinorum.

[h] Ære seu ferro rostrata.

[i] Navi, cui nomen ab insigni Tigridis.

[k] Urbem Clusium, Porsenæ postea regiam.

[l] Urbem Etruriæ, cui subjacet Herculis portus.

[m] Pharetræ. γώρυτοι.

[n] Acer vultu in hostem.

[o] Insigni, tutela. παράσημον navis, qui in puppi insculptus.

[p] Patria. ut, *quem mater Aricia misit.* 7. lib.

[q] Æthalia olim. h. Elba. *chalybum memorabilis Ilva metallis.* Rutil.

[r] In quorum gratiam.

[s] Quorum oracula interpretatus est.

[t] De Heleno lib. 3. *qui numina Phœbi, Qui tripodas, Clarii lauros, qui sidera sentis, Et volucrum linguas, & præpetis omina pennæ.* v. quæ nos ibi.

[u] Raptim ducit.

[x] Urbs Etruriæ condita a colonia deducta a Pisis opp. juxta Alpheum Arcadiæ fl.

[y] Equitandi peritissimus, ἱππόδαμος.

[z] Ex urbe Thusca Cære seu Cærete, Agylla. lib. 8.

[a] Etruriæ fl.

[b] Colonia Etruriæ, castra olim ad navale Cæretanorum. *Quas premit æstivæ sæpe paludis odor.* Rutilii Itinerar. unde & nomen Graviscæ. Etruriæ opp.

Transie-

Transierim Cycne, & *d* paucis comitate Cupavo:
e Cujus olorinæ surgunt de vertice pennæ,
Crimen amor vestrum, formæque insigne paternæ.
Namque ferunt luctu Cignum Phaëthontis amati,
Populeas inter frondes, umbramque *f* sororum,
Dum canit, & mœstum musa solatur amorem,
Canentem molli pluma duxisse senectam,
g Linquentem terras, & sidera voce sequentem.
Filius, *h* æquales comitatus classe catervas,
Ingentem remis *i* Centaurum promovet: ille
Instar aquæ, saxumque undis immane minatur
Arduus, & longa sulcat maria alta carina.
Ille etiam patriis agmen ciet *k* Ocnus ab oris,
Faridicæ Mantûs, & Thusci filius amnis;
Qui muros, matrisque dedit tibi, Mantua nomen:
Mantua dives avis; sed non genus omnibus unum,
l Gens illi triplex, populi sub gente quaterni;
Ipsa caput populis, Thusco de sanguine vires.
Hinc quoque quingentos *m* in se Mezentius armat,
Quos patre Benaco velatus arundine glauca,
n Mincius ingesta ducebat in æquora pinu.
Ir *o* gravis Auletes, *p* centenaque arbore fluctum
Verberat assurgens: spumant vada *q* marmore verso.
Hunc vehit immanis *r* Triton, & cœrula concha
Exterrens freta: cui laterum tenus hispida nanti
Frons hominem præfert, in Pristin desinit alvus:
Spumea semifero sub pectore murmurat unda.
Tot lecti proceres ter denis navibus ibant
Subsidio *s* Trojæ, & *t* campos *t* salis ære secabant.
Jamque *u* dies cœlo concesserat, almaque curru
Noctivago Phœbe medium pulsabat Olympum:
Æneas (neque enim membris dat cura quietem)
x Ipse sedens clavumque *x* regit, velisque ministrat.

d Qui pauci numero, sed bello vivida virtus. 5. Æneid.

e Cycni illij crista ex olorinis plumis in galea gestans, insigne patris in cygnum mutati. fab. notiss. ex Ovid. 2. Met. erat autem Cygnus rex Ligurum, in musicis eximius.

f Sor. Phaethontiæ in populos mutatarum, aut alnos.

g Subvolantem & in sidera relatum.

h Socias, virtute & cultu æquales.

i Navem, cui nomen a parasemo seu insigni Centauri; qui in prora effigiatus saxum ingens projecturus in mare videbatur.

k Qui & Bianor dictus. Eclog. 9. filius Mantus filiæ Tiresiæ vatis & Tiberis fl. conditor Mantuæ, quæ Etruriæ caput. Sed hoc Poeta in gratiam suæ Mantuæ. Namque Felsina, quæ post Bononia dicta, veteris Etruriæ caput fuit.

l Ex tribus gentibus conflata in tres tribus divisa est, singulæ autem tribus quatuor urbibus imperabant. hoc propter 12 Lucumones quibus 12 principes Thuscæ urbes paruerint. Liv. 5. l.

m In odium & vindictam sui excitat Mezentius, sub Ocno duce.

n Mincius sc. ex lacu Benaco profluit. Erat & puppis hujus insigne.

o Infestus Mezentio. Fortis & militaris.

p Centum remis.

q Mari.

r Navis cui insigne Triton, cujus pars anterior in prora secabat undas, præferens hominis hispidi formam: posterior sub puppi in piscem desinebat.

s Æneæ & Trojanorum. Trojæ renatæ.

t Æquor.

u Dies prior, qui Romanis absolvebatur meridie. i. e. nocte media.

x Sic & l. 5. Amisso Palinuro *ipse ratem nocturnis rexit in undis.*

Atque illi medio in ſpatio, *y* chorus ecce ſuarum
Occurrit comitum, nymphæ: quas alma Cybele
Numen habere maris, nymphaſque è navibus eſſe
Juſſerat. innabant pariter, fluctuſque ſecabant,
Quot prius æratæ ſteterant ad litora *z* puppes.
Agnoſcunt longe regem, *a* luſtrantque choreis.
Quarum quæ fandi doctiſſima Cymodocea,
Pone ſequens, dextra puppim tenet, ipſaque dorſo
Eminet, ac læva tacitis ſubremigat undis.
Tum ſic *b* ignarum alloquitur: Vigilaſne deûm gens
Ænea? vigila, & *c* velis immitte rudentes.
Nos ſumus Idææ ſacro de vertice pinus,
Nunc pelagi nymphæ, claſſis tua. *d* perfidus ut nos
Præcipites ferro *d* Rutulus, flammaque premebat;
Rupimus *e* invitæ tua vincula, teque per æquor
Quærimus: hanc genitrix faciem miſerata refecit,
Et dedit eſſe deas, ævumque agitare ſub undis.
At puer Aſcanius muro, foſſiſque tenetur
Tela inter media, atque horrentes Marte Latinos.
Jam loca juſſa tenet forti permiſtus Etruſco
f Arcas eques. medias illis opponere turmas,
Ne caſtris jungant, certa eſt ſententia Turno.
Surge age, & aurora ſocios veniente vocari
Primus in arma jube: & clypeum cape, quem dedit ipſe
Invictum *g* ignipotens, atque oras ambiit auro.
Craſtina lux (mea ſi non irrita dicta putâris)
Ingentes Rutulæ ſpectabit cædis acervos.
Dixerat, & dextra diſcedens impulit altam,
h Haud ignara modi, puppim: fugit *i* illa per undas
Ocyor & jaculo, & ventos æquante ſagitta.
Inde aliæ celerant curſus, ſtupet inſcius ipſe
Tros Anchiſiades, animos tamen omine tollit.
Tum breviter ſupera aſpectans convexa precatur:
Alma parens Idæa deûm, cui *k* Dindyma cordi,
l Turrigeræque urbes, *m* bijugique ad fræna *m* leones:
Tu mihi nunc pugnæ princeps. tu rite propinques
Augurium, Phrygibuſque adſis pede, diva, ſecundo.

y Ex navibus ſuis in totidem Nymphas maris mutatæ. ſupra lib. 9.
z Alii, *proræ* legunt, ne æreis roſtris armentur puppes, quæ tamen Synecdochice ſumuntur pro navibus, ſed vide Florid. Sabini Subciſiv. lib. 5. cap. 3.
a Circumeunt natatu.
b Rerum quæ in caſtris, & navium ab incendio vindicatarum atque in Nymphas transformatarum.
c Pande totos ſinus velorum & propera.
d Turnus qui poſt fœdus Latini cum Ænea, pacem rupit.
e Lubenter tibi potius miniſtraturæ, ſi pervim Rutulorum licuiſſet.
f Auxilia Arcadum equitum ab Evandro, quos cum Etruſcis præmiſiſti, impediuntur a Turno ne ſe Aſcanio jungant. *g* Vulcanus. 8. Æn. *h* Ut quæ ipſa fuerat navis *i* Navis. *k* Mons Phrygiæ ſacer Cybelæ. *l* Cybele, quæ eadem cum Veſta & Terra, turrita incedere dicitur, propter turritas urbes quas gerit; vel, *Quod primis turres urbibus illa dedit.* *m* Ipſa junctis vecta leonibus. in promptu eſt fab. Hippomenis atque Atalantæ quia Cybele verſi *Deate premunt domito Cybeleia frena leones.* Ovid. 10. Metam.

Tan-

Tantum effatus : & interea revoluta ruebat
Matura jam luce dies, noctemque fugarat.
Principio ſociis edicit, ſigna ſequantur,
Atque animos aptent armis, pugnæque parent ſe.
Jamque in conſpectu Teucros habet, & ſua caſtra,
Stans celſa in puppi. clypeum tum deinde ſiniſtra
Extulit ardentem. clamorem ad ſidera tollunt
Dardanidæ è muris. ſpes addita ſuſcitat iras.
Tela manu jaciunt. *n* quales ſub nubibus atris
Strymoniæ dant ſigna grues, atque æthera tranant
Cum ſonitu, *o* fugiuntque Notos clamore *p* ſecundo.
At Rutulo Regi ducibuſque ea mira videri
Auſoniis ; donec verſas ad litora puppes
Reſpiciunt, totumque allabi claſſibus æquor.
q Ardet apex capiti, criſtiſque ac vertice flamma
Funditur, & vaſtos umbo vomit aureus ignes :
Non ſecus ac liquida ſi quando nocte cometæ
Sanguinei lugubre rubent, aut *r* Sirius ardor :
Ille ſitim morboſque ferens mortalibus ægris
Naſcitur, & *ſ* lævo contriſtat lumine cœlum.
Haud tamen audaci Turno fiducia ceſſit
Litora præripere, & venientes pellere terra.
Ultro animos tollit dictis, atque increpat ultro.
t Quod votis optaſtis, adeſt, perfringere dextra :
In manibus Mars ipſe, viri. Nunc conjugis eſto
Quiſque ſuæ tectique memor : nunc magna referto
Facta patrum, laudeſque. ultro occurramus ad undam,
Dum trepidi, egreſſiſque labant veſtigia prima.
Audentes fortuna juvat.
Hæc ait : & ſecum verſat, quos ducere contra,
Vel quibus obſeſſos poſſit concredere muros.
Interea Æneas ſocios de puppibus altis
u Pontibus exponit : multi *x* ſervare recurſus
Languentis pelagi, & *y* brevibus ſe credere ſaltu :
Per *z* remos alii. Speculatus litora Tarchon,
a Qua vada non ſperat, nec fracta remurmurat unda,
Sed mare inoffenſum creſcenti allabitur æſtu,
Advertit ſubito proras, ſocioſque precatur.
Nunc, ô lecta manus, validis incumbite remis :

n Ορνιθες ὡ. Ηὔτε περὶ κλαγγὴ γερά-νων, &c. Il. 3.
o Redeuntes ſc. a Nilo ad ſuum Strymona Thraciæ fl.
p Læto, & ominis boni.
q Fulgorem tribuit Æneæ armis, a luce Homerica Iliad. 5. ubi Diomedis galeæ clypeique ſplendor Αστέρ' ὀπωρινῷ ἐναλίγκιον.
r Sirius eſt tella primæ magnitudinis in ore Canis majoris; cujus accendentis vapores Solares influentia eſt fæva & peſtifera. *Jam rapidus torrens ſitientes Sirius agros Ardebat cœlo.* Georg. 4.
ſ Infelici & triſti.
t Quod in votis dudum fuerat, nunc adeo in manibus eſt datur jam manum conſerendi copia. Breve quidem ſed acre & pulchrum Hortatoriæ exemplum.
u Cataractis ſeu ἀποβάθραις, ſcalis.
x Obſervabant reflui maris æſtum, aut fluctuum recurſum.
y Vadoſis dorſis pelagi.
z Projectos e navi ad modum ponticulorum.
a Qua ſperabat profundum eſſe mare, quia infractum. Al. leg. *ſpirant*, hoc ſenſu, Qua vada non movent aquas. Scal. Poet. l. 4. c. 16.

Tollite, ferte rates, *b* inimicam findite roſtris
Hanc terram, ſulcumque ſibi premat ipſa carina.
b Frangere nec tali puppim ſtatione recuſo,
Arrepta tellure ſemel. Quæ talia poſtquam
Effatus Tarchon, ſocii conſurgere tonſis,
Spumanteſque rates arvis inferre Latinis:
Donec roſtra tenent ſiccum, & ſedere carinæ
Omnes *c* innocuæ: ſed non puppis tua, Tarchon.
Namque inflicta vadis *d* dorſo dum pendet iniquo,
Anceps, ſuſtentata diu, *e* fluctuſque fatigat,
f Solvitur, atque viros mediis exponit in undis:
Fragmina remorum quos & fluitantia tranſtra
Impediunt, retrahitque *g* pedes ſimul unda relabens.
Nec Turnum ſegnis retinet mora: ſed rapit acer
Totam aciem in Teucros, & contra in litore ſiſtit.
Signa canunt, primus turmas invaſit agreſtes
Æneas, omen *h* pugnæ, ſtravitque Latinos,
Occiſo Therone, virûm qui maximus ultro
Æneam petit: huic gladio, perque ærea ſcuta,
Per tunicam *i* ſqualentem auro, *k* latus haurit apertum.
Inde Lycam ferit, exſectum jam matre perempta,
Et *l* tibi, Phœbe, ſacrum: caſus evadere ferri
Cui licuit parvo, nec longe Ciſſea durum,
Immanemque Gyam ſternentes agmina clava,
Dejecit letho. nihil illos Herculis *m* arma,
Nil validæ juvere manus, genitorque Melampus,
Alcidæ comes, uſque graves dum terra *n* labores
Præbuit. Ecce, Pharo, voces dum jactat inertes,
Intorquens jaculum clamanti ſiſtit in ore.
Tu quoque flaventem prima lanugine malas
Dum ſequeris Clytium *o* infelix, nova *p* gaudia, *q* Cydon,
Dardania ſtratus dextra, *r* ſecurus amorum,
Qui juvenum tibi ſemper erant, miſerande jaceres:
Ni fratrum ſtipata cohors foret obvia, Phorci
Progenies, ſeptem numero, ſeptenaque tela
Conjiciunt: partim galea, clypeoque reſultant
Irrita; deflexit partim ſtringentia corpus
Alma Venus. fidum Æneas affatur Achatem.
Suggere tela mihi (non ullum dextera fruſtra,
Torſerit in Rutulos) *ſ* ſteterunt quæ in corpore Grajûm
Iliacis campis. tum magnam corripit haſtam,

b Indignatione & odio in Mezentium & Italos.
c Sine noxa. indemnes.
d Arenæ cumulo altiori.
e Dum eorum impetus ſuſtinet.
f Frangitur.
g Lapſantes
h Victoriam uſque latuxæ.
i Aureis laminis contextam in ſpeciem ſquammarum.
k Sanguinem & ſpiritum e latere confoſſo elicit.
l Qui prodeunt exſecti ex matris utero, Phœbo, ut medicorum præſidi, ſacri ſunt. Hinc Æſculapius Phœbi filius.
m Clava.
n Monſtra, virtutis exercendæ ſegetem & materiam.
o Amore perdito, an fato.
p Delicias, amaſium.
q Appoſite Proprium. Cretenſes enim nefando hoc amore infames. Plutar. De puerorum educatione, & Athenæus l. 1. cap. 27. Cydon a. urbs Cretæ.
r Privatus, ſecretuſque ab amorum cura. *ſ* Idomeneus. Il. 13. Ἀκηδέμων ἀποκήρυμος.

Et

Et jacit: illa volans clypei transverberat æra
Mæonis, & thoraca simul cum pectore rumpit.
Huic frater subit Alcanor, fratremque ruentem
Sustentat dextra. trajecto missa lacerto
Protinus hasta fugit, servatque cruenta tenorem,
Dexteraque ex humero nervis moribunda pependit.
Tum Numitor, jaculo fratris de corpore rapto,
Æneam petiit: sed non & figere contra
Est licitum, magnique femur perstrinxit Achatæ.
Hic [t] Curibus, fidens primævo corpore, Clausus
Advenit, & rigida Dryopen ferit eminus hasta
Sub mentum graviter pressa, pariterque loquentis
Vocem, animamque rapit, trajecto gutture. at ille
[u] Fronte ferit terram, & crassum vomit ore cruorem.
Tres quoque Threicios, [x] Boreæ de gente suprema,
Et tres quos Idas pater & patria [y] Ismara mittit,
Per varios sternit casus. occurrit Halesus
[z] Auruncæque manus: subit & Neptunia proles,
Insignis [a] Messapus equis. expellere tendunt
Nunc hi, nunc illi: certatur [b] limine in ipso
Ausoniæ. [c] magno discordes æthere venti
Prælia ceu tollunt, animis & viribus æquis:
Non ipsi inter se, non nubila, non mare cedit:
Anceps pugna diu: stant obnixa omnia contra:
Haud aliter Trojanæ acies, aciesque Latinæ
[d] Concurrunt: hæret pede pes, densusque viro vir.
At parte ex alia, qua saxa rotantia late
Intulerat torrens, arbustaque diruta ripis,
Arcadas [e] insuetos acies inferre pedestres
Ut vidit Pallas [f] Latio dare terga sequaci,
(Aspera queis natura loci dimittere quando
Suasit equos) [g] unum quod rebus restat egenis;
Nunc prece, nunc dictis virtutem accendit amaris.
Quo fugitis socii? per vos, & fortia facta,
Per ducis Evandri nomen, devictaque bella,
Spemque meam, patriæ quæ nunc subit æmula laudis,
Fidite ne pedibus. ferro rumpenda per hostes
Est via, qua globus ille virûm densissimus urget:
Hac vos, & Pallanta ducem patria alta reposcit.
Numina nulla premunt; mortali urgemur ab hoste
Mortales: totidem nobis animæque manusque.

[t] Cures opp. erat caput quondam Sabinorum. Unde *Clausus* retinetur potius quam *Lausus*, ut in vulgatis libb. namque Æn. 7. *Ecce Sabinorum prisco de sanguine magnum agmen agens Clausus.*

[u] Ὁ δ' χθόνα τύπτε μετώπῳ. Od. 22.

[x] Ab extimo Septentrione.

[y] Thraciæ mons & urbs.

[z] Ex Aurunca Suessa, hodie *Sessa*, Aurunci, Ausonii, Opici.

[a] *At Messapus equum domitor, Neptunia proles, Quem neque fas igni cuiquam, nec sternere ferro.* l. 7.

[b] Litore. aditu Italiæ. [c] Ὡς δ' εὐρός τε, νότος τ' ἐριδαίνετο, &c. Iliad. 16. [d] Φράξαντες δόρυ δουρὶ, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ, Ἀσπὶς ἀρ' ἀσπίδ' ἔριδεν κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ. Il. 16. [e] Cum non possent per loca saxis & arbustis impedita equos agere, nec pedestri prælio certare assueti essent. [f] Latinis insequentibus. [g] Fuga, quæ in rebus extremis sola salus, ultimum perfugium.

Ecce maris magno claudit nos obice pontus:
Deest jam terra fugæ: pelago Trojamne petemus?
Hæc ait, & medius densos prorumpit in hostes.
Obvius huic primum fatis adductus iniquis
Fit Lagus; hunc, magno vellit dum pondere saxum,
Intorto figit telo, discrimina costis
Per medium qua spina dedit, hastamque receptat
Ossibus hærentem. [h] quem non super occupat Hisbon,
Ille quidem hoc sperans. Nam Pallas ante ruentem,
Dum furit, incautum crudeli morte sodalis
Excipit, atque ensem tumido in pulmone recondit.
Hinc [i] Helenum petit, & Rhœti de [k] gente vetusta
Anchemolum, [l] thalamos ausum incestare novercæ.
Vos etiam gemini Rutulis cecidistis in arvis
[m] Daucia, Laride, Thymberque, simillima proles,
Indiscreta suis, gratusque parentibus error.
[n] At nunc dura dedit vobis discrimina Pallas:
Nam tibi, Thymbre, caput [o] Evandrius abstulit ensis;
Tum decisa suum, Laride, dextera quærit,
Semianimesque micant digiti, ferrumque retractant.
Arcadas accensos monitu, & præclara tuentes
Facta viri, mistus dolor & pudor armat in hostes.
Tum Pallas bijugis [p] fugientem Rhœtea præter
Trajicit: hoc spatium, tantumque moræ fuit [q] Ilo:
Ilo namque procul validam direxerat hastam;
Quam medius Rhœteus intercipit, optime Teuthra,
[r] Te fugiens, fratremque Tyren, curruque volutus
Cædit semianimis Rutulorum [s] calcibus arva.
Ac velut [t] optato ventis æstate coortis
Dispersa immittit [u] sylvis incendia pastor;
Correptis subito mediis extenditur una
Horrida per latos [x] acies Vulcania campos:
[y] Ille sedens victor flammas dispectat ovantes:
Non aliter socium virtus coït omnis in unum,
Teque juvat, Palla. sed bellis acer [z] Halesus
Tendit in adversos, seque in sua colligit arma.
Hic mactat [a] Ladona, [a] Pheretaque, [a] Demodocumque;
[a] Strymonio dextram fulgenti deripit ense,
Elatam in jugulum; saxo ferit ora [a] Thoantis,

[h] Quem tamen inclinatum ut hastam revelleret, non occupavit desuper, uti superaverat Hisbon.
[i] Servius legit *Sihenium*. Quod præplacet. namque *Helenus* Trojanum nomen.
[k] Rhœtus n. originem ducebat a Phorco marino Deo.
[l] Rhœtus Marrubiorum in Italia rex Casperiam secundam uxorem filio Anchemolo superinduxerat, privignus novercam stupravit. hinc iratum patrem fugiens se ad Turnum contulit.
[m] Laride, Thymberque gemelli, Dauci filii; ita inter se similes ut vix discerni possent: ne a parentibus quidem. Alii Dauciam & Thymbrum Lari filios esse volunt. [n] *Discrevit mors sæva viros*, &c. Lucan. 3. [o] Pallantis fil. Evandri, ensis. [p] Præter fugientem Rhœtea; qui Rutulus, ut & Ilus. [q] Cujus mortem aliquantulum morata est mors interposita Rhœti. [r] Arcades. [s] Χθόνα ποσὶν ἀράσσων. Nonnus l. 22. [t] Et voto, tempestive. [u] Stipulæ, credo, & calamis, Arist. Meteor. l. 4. c. 4. ὥσπερ ἐν ἀρούρᾳ καιομένης καλάμης. [x] Ignis. [y] Pastor. [z] Rutulus. [a] Arcad.

Ossa-

Ossaque dispergit cerebro permista cruento.
Fata [b] canens sylvis genitor celarat Halesum:
[c] Ut senior letho canentia lumina solvit,
[d] Injecere manum Parcæ, [e] telisque sacrarunt
Evandri; quem sic Pallas petit ante precatus:
Da nunc, Tibri [f] pater, ferro, quod missile libro,
Fortunam, atque viam duri per pectus Halesi:
Hæc arma, exuviasque viri tua quercus habebit.
Audiit illa deus: cum [g] texit Imaona Halesus,
[i] Arcadio infelix [i] telo dat pectus inermum.
[k] At non cæde viri tanta perterrita Lausus,
Pars ingens belli, sinit agmina: primus Abantem.
Oppositum interimit, pugnæ [l] nodumque moramque.
Sternitur Arcadiæ proles, sternuntur Etrusci,
Et vos ô Grajis [m] imperdita corpora Teucri.
Agmina concurrunt ducibusque, & viribus æquis.
Extremi addensant acies, [n] nec turba moveri
Tela manusque sinit. hinc Pallas instat & urget.
Hinc contra Lausus. nec multum discrepat ætas:
Egregii forma, sed queis fortuna negarat
In patriam reditus. Ipsos concurrere passus
Haud tamen inter se magni regnator Olympi:
Mox [o] illos sua fata manent [o] majore sub hoste.
Interea [p] soror alma monet succurrere Lauso
Turnum, qui volucri curru medium secat agmen.
Ut vidit socios; tempus desistere pugna;
Solus ego in Pallanta feror, soli mihi Pallas
Debetur: cuperem, ipse [q] parens spectator adesset.
Hæc ait: & socii cesserunt æquore [r] jussi.
At Rutulûm abscessu [s] juvenis, tum jussa superba
Miratus, stupet in Turno; corpusque per ingens
Lumina volvit, obitque truci procul omnia visu:
Talibus & dictis it contra dicta tyranni:
Aut spoliis ego jam raptis laudabor opimis:
Aut letho insigni: [t] sorti pater æquus utrique est.
Tolle minas. fatus medium procedit in æquor.
Frigidus Arcadibus coït in præcordia sanguis.
Desiluit Turnus bijugis, pedes apparat ire
Comminus. [u] utque leo, specula cum vidit ab alta
Stare procul campis meditantem prælia taurum,

[b] Al. *cavens.*
[c] Post obitum vero patris.
[d] Tanquam in rem suam. Ex formula vindicationis.
[e] Letho consecrarunt, a manu & telo Pallantis.
[f] Numen vicinum & præsens.
[g] Dum scuto protegit Imaona. Alii. Dum detexit. i. e. spoliat.
[i] Pallantis.
[k] At Lausus non patitur agmina Rutulorum esse perterrita cæde Halesi: quin ipse restaurat prælium.
[l] In quo hæserat strages suorum. obicem pugnæ.
[m] Quos non perdiderant Græci, Reliquiæ Danaüm.
[n] Turba densa & conferta non dat spatium movendis telis manibusque.
[o] Pallantem interimendum a Turno: Lausum ab Ænea.
[p] Juturna soror Turni, quæ Diva & Nympha, adeoque præsens.
[q] Evander.
[r] Alii, *jusso.* ut sit Hypallage.
[s] Pallas.
[t] Æquo, certe scio, animo feret pater utramque sortem aut victoriæ, aut pulchræ mortis. resp. ad id, *cuperem ipse parens spectator adesset.*
[u] Ηὔτε ταῦρον ἔπεφνε λέων, &c. Iliad. 16.

Advolat: haud alia eſt Turni venientis imago.
Hunc *x* ubi contiguum miſſæ fore credidit haſtæ,
Ire prior Pallas, ſi qua fors adjuvet auſum,
Viribus imparibus, magnumque ita *y* ad æthera fatur:
Per patris hoſpitium, & menſas quas advena adiſti,
Te precor, Alcide, cœptis ingentibus adſis:
Cernat ſemineci ſibi me rapere arma cruenta,
Victoremque ferant morientia lumina Turni.
Audiit Alcides juvenem, magnumque ſub imo
Corde premit gemitum, lacrymaſque effudit *z* inanes.
Tum *a* genitor natum dictis affatur amicis:
b *Stat ſua cuique dies: breve & irreparabile tempus*
Omnibus eſt vitæ: ſed famam extendere factis,
Hoc virtutis opus. Trojæ ſub mœnibus altis
c Tot gnati cecidere deûm: quin occidit una
Sarpedon, mea progenies: etiam ſua Turnum
Fata vocant, *d* metaſque dati pervenit ad ævi.
Sic ait, atque oculos Rutulorum *e* rejicit arvis.
At Pallas magnis emittit viribus haſtam,
Vaginaque cava fulgentem diripit enſem.
Illa volans humeris ſurgunt qua tegmina ſumma,
Incidit, atque viam clypei molita per oras,
Tandem etiam magno *f* ſtrinxit de corpore Turni.
Hic Turnus ferro præfixum *g* robur acuto
In Pallanta, diu librans, jacit, atque ita fatur:
Aſpice num mage ſit noſtrum penetrabile telum.
Dixerat: ac clypeum, tot ferri *h* terga, tot æris,
Cum pellis tories obeat circumdata tauri,
Vibranti cuſpis medium tranſverberat ictu,
Loricæque moras, & pectus perforat ingens.
Ille rapit calidum fruſtra de vulnere telum;
Una eademque via ſanguiſque, animuſque ſequuntur.
Corruit in vulnus: ſonitum ſuper arma dedere,
Et *i* terram hoſtilem moriens petit ore cruento.
Quem Turnus *k* ſuper aſſidens,
Arcades hæc, inquit, memores mea dicta referte
Evandro, *l* qualem meruit, Pallanta remitto.
Quiſquis honos tumuli, quicquid ſolamen humandi eſt,
Largior: *m* haud illi ſtabunt Æneïa parvo
Hoſpitia. & lævo preſſit pede, talia fatus,

x Ubi credidit Turnum eſſe intra jactum haſtæ.
y Cœlum ſuſpiciens, ubi Hercules.
z Non profuturas, ut cui contra fata auxilio venire non liceret.
a Jupiter Herculem
b Μοῖραν δ' οὐ τινά φημι, &c. Iliad. 6.
c Achilles Thetidis, Memnon Auroræ, Aſcalaphus Martis, Sarpedon meus f.
d Hïſt. τὸν δ' ἄγε μοῖρα κραταιὴ, θανάτοιο τέλος δ', Iliad. 13.
e Avertit oculos ab his campis, neutrius exercitus res curaturus, permittens omnia fatis.
f Levi ſc. vulnere.
g Haſtam.
h Laminas, quibus armabatur clypeus e taurina pelle.
i Γαῖαν ὀδὰξ ἑλε· Iliad. *Procubuit moriens, & humum ſimul ore momordit.* Æn. 11. vide quæ nos ibi. *k* Pede premens, & inſultabundus. Alii ſupplent verſum hunc, *ſic ore profatur.* quod non agnoſcunt lib. boni. *l* Mortuum, dignum ſc. fœdere & hoſpitio inito cum Ænea. Scaligero viſum eſt potius elogium quam ſarcaſmus. *m* Magno conſtabunt Æneæ hoſpitia.

Exa-

Exanimum; rapiens immania pondera baltei,
Impressumque [a] nefas, una sub nocte jugali
Cæsa manus juvenum fœde, thalamique cruenti;
Quæ [o] bonus Eurytion multo cælaverat auro.
Quo nunc Turnus ovat spolio, gaudetque potitus.
Nescia mens hominum fati, sortisque futuræ,
Et servare modum rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, magno cum optaverat emptum
Intactum Pallanta, & cum [p] spolia ista, diemque
Oderit. At socii multo gemitu lacrymisque
[q] Impositum scuto referunt Pallanta frequentes.
O dolor, atque decus magnum rediture [r] parenti:
Hæc te prima dies bello dedit, hæc eadem aufert:
Cum tamen ingentes [s] Rutulorum linquis sacervos.
Nec jam fama mali tanti, sed [t] certior auctor
Advolat Æneæ: tenui discrimine lethi
Esse suos, tempus [u] versis succurrere Teucris.
Proxima quæque metit gladio, [x] latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro: te, Turne, superbum
Cæde nova quærens, Pallas, Evander, in ipsis
Omnia sunt oculis; mensæ, quas advena primus
Tunc adiit, dextræque datæ. Sulmone creatos
Quattuor hic juvenes, totidem quos educat [y] Ufens,
[z] Viventes rapit, inferias quos immolet umbris,
Captivoque rogi perfundat sanguine flammas.
Inde Mago procul infensam cum tenderet hastam,
[a] Ille astu subit, ac tremebunda supervolat hasta;
Et [b] genua amplectens effatur talia supplex:
Per patrios manes, & spes surgentis Iüli,
Te precor, hanc animam serves [c] natoque patrique.
Est domus alta; jacent penitus defossa talenta
Cælati argenti; sunt auri pondera [d] facti
[e] Infectique mihi, non hic victoria Teucrûm
Vertitur, [f] haud anima una dabit discrimina tanta.
Dixerat. ÆNeas contra cui talia reddit:
Argenti atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis. belli [g] commercia Turnus
Sustulit ista prior, jam tum Pallante perempto.
[h] Hoc patris Anchisæ manes, hoc sentit Iülus.

[a] In quo insculptum erat nefandum facinus Danaidum, quæ prima nocte & nuptiali maritos suos Ægypti filios interfecerunt, uno tantum excepto.
[o] Artifex bonus & peritus.
[p] Namque Æneam dubium utrum parceret Turno supplici, admonuit vindictæ balteus iste in humero Turni conspectus.
[q] Ex more & honore militari.
[r] Parenti jam orbo & seni.
[s] Edita tanta Rutulorum strage, quorum acervos liquisti.
[t] Nuncius super ea re missus.
[u] In fugam.
[x] Latam per cæsos hostes sibi sternit viam.
[y] Fl. Latii juxta Tar-

racinam. [z] Moris erat, in funere virorum fortium captivos necari, ceu inferias placandis eorum Manib. Sic Il. 23. Achilles 12. Trojanos Patroclo mittit inferiar. *a* Ὁ δ' ὑπέδραμε καὶ λάβε γούνων Κύψας. Il. 21. *b* Pro more supplicum. vide quæ ad Senecæ Troad. v. 689. Et Hom. Il. 6. de Adrasto supplice, unde hic locus adumbratus. *c* Meo. *d* In vasis & signis. *e* Rudis & gravis in massa. *f* Una hæc anima mea servata non lancem victoriæ inverget. *Non pondera rerum, Non momenta sumus.* *g* Λύτρων & ἀποίνων rationem sustulit Turnus. *h* Resp. ad illud, *Per patrios manes & spes surgentis Iuli.*

Sic fatus, galeam læva tenet: atque reflexa
Cervice orantis capulo tenus abdidit enſem.
Nec procul Æmonides, Phœbi Triviæque ſacerdos,
i Infula cui ſacra redimibat tempora vitta,
Totus collucens veſte, atque inſignibus *k* armis.
Quem congreſſus agit campo, lapſumque ſuperſtans
Immolat, ingentique *l* umbra tegit. arma Sereſtus
Lecta refert humeris, tibi rex, Gradive, trophæum.
Inſtaurant acies Vulcani ſtirpe creatus
m Cæculus, & veniens Marſorum à montibus *m* Umbro.
Dardanides contra furit (*n* Anxuris enſe ſiniſtram,
Et totum clypei ferro dejecerat orbem.)
Dixerat ille aliquid *o* magnum, vimque affore verbo
Crediderat, cœloque animum fortaſſe ferebat,
Canitiemque ſibi, & longos promiſerat annos.
Tarquitus exultans contra fulgentibus armis,
Sylvicolæ Fauno Dryope quem nympha crearat,
Obvius ardenti ſeſe obtulit: ille *p* reducta
q Loricam clypeique ingens onus impedit haſta.
Tum caput orantis nequicquam, & multa parantis
Dicere, deturbat terræ, truncumque repente
Provolvens, ſuper hæc inimico pectore fatur:
Iſtic nunc, metuende, jace: non te optima mater
Condet humi, patriove onerabit membra ſepulchro:
Alitibus linquere feris, aut gurgite merſum
Unda feret, *r* piſceſque impaſti vulnera lambent.
Protinus Antheum, & Lycam, prima agmina Turni
Perſequitur, fortemque Numam, fulvumque Camertem,
Magnanimo Volſcente ſatum; ditiſſimus agri
Qui fuit Auſonidum, & *ſ* tacitis regnavit *ſ* Amyclis.
t Ægæon qualis, centum cui brachia dicunt
Centenaſque manus, quinquaginta oribus ignem
Pectoribuſque *u* arſiſſe: Jovis cum fulmina contra
Tot paribus ſtreperet clypeis, tot ſtringeret enſes.
Sic toto Æneas deſævit in æquore victor,
x Ut ſemel intepuit mucro: quin ecce Nyphæi
Quadrijuges in equos, adverſaque pectora tendit:
Atque illi *y* longe gradientem, & dira frementem

i Velamentum capitis ſacerdotalis vittis ornatum laneis, albis, & coccineis, iiſque utrinque dependentibus.
k Al. Albis.
l Morte, σκότος ὅσσ' ἐκάλυψεν. Hom.
m De Cæculo & Umbrone l. 7. ſub fine.
n Ita ſeparandum per Parentheſin a contextu, Umbrone; vel idem erit Anxur cum Umbrone.
o Elatum. ſuperbificum, τὶ μέγα. Sunt qui legunt, *magicum*. ut qui ſe carmine magico adverſus vulnera muniviſſet. namque *vim aſſore verbo crediderat*. Et viperas incantare norat. *Sed non Dardaniæ medicari cuſpidis ictum Evaluit.* &c. l. 7.
p Retroacta ad majorem vibrandi impetum.
q Æneas confixit haſta loricam & clypeum Tarquiti, adeoque impedivit.
r Piſces avidi vorabunt.
ſ Latii opp. prope Tarracinam, quod ſilentio periiſſe fertur, captum ſcil. ab hoſte, cujus adventum nemo nunciare auderet, poſtquam interdicto cautum eſſet, ne quis interturbaret Remp. multoties rumoribus hoſtilibus territam.
t Ægæon ſeu Briareus, qui centum brachia totidemque manus, quinquaginta capita, totidem ventres habuiſſe fingitur.
u Spiraſſe, evomuiſſe.
x Poſtquam ſemel incaluit brachium, ait Orator.
y Longis gradibus ſpaciantem.

Ut

Ut videre, metu versi, retroque ruentes,
Effunduntque ducem, rapiuntque ad litora currus.
Interea bijugis infert se Lucagus albis
In medios, fraterque Liger: sed frater habenis
Flectit equos, strictum rotat acer Lucagus ensem.
Haud tulit Æneas tanto fervore furentes;
Irruit, adversaque [z] ingens apparuit hasta,
Cui Liger:
[a] Non Diomedis equos, non currum cernis Achillis,
Aut Phrygiæ campos: nunc belli finis & [b] ævi
His dabitur terris. vesano talia late
Dicta volant Ligeri. sed non & Troïus heros
Dicta parat contra: jaculum nam torquet in hostem.
Lucagus, ut [c] pronus pendens in verbera telo
[d] Admonuit bijugos, projecto dum pede lævo
Aptat se pugnæ, subit oras [e] hasta per imas
Fulgentis clypei; tum lævum perforat inguen.
Excussus curru moribundus volvitur arvis.
Quem pius Æneas dictis affatur amaris:
Lucage [f] nulla tuos currus fuga segnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertêre ex hostibus umbræ:
Ipse rotis saliens juga deseris. Hæc ita fatus
Arripuit bijugos: frater tendebat inermes
Infelix palmas, curru delapsus eodem.
Per te, per qui te talem genuere parentes,
Vir Trojane, sine hanc animam, & miserere precantis.
Pluribus oranti Æneas: Haud talia dudum
Dicta dabas. morere, & fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.
Talia per campos edebat funera ductor
Dardanius. torrentis aquæ vel turbinis atri
More furens: Tandem erumpunt, & castra relinquunt
Ascanius puer, & nequicquam obsessa juventus.
Junonem interea compellat Juppiter ultro:
[g] O germana mihi, atque eadem gratissima conjux:
[h] Ut rebare, Venus (nec te sententia fallit)
Trojanas sustentat opes: [i] non vivida bello
Dextra viris, animusque ferox, patiensque pericli.
Cui Juno submissa: Quid, ô pulcherrime conjux,
Sollicitas ægram, & tua [k] tristia dicta timentem?
Si mihi, quæ quondam fuerat, quamque esse decebat,
Vis in amore foret: non hoc mihi namque negares
Omnipotens: quin & pugnæ subducere Turnum,

[z] Uti Heroas inducunt Poetæ.
[a] Sic Turnus l. 9. *Haud sibi cum Danais rem faxo & pube Pelasga esse putem.* mollitiem sc. exprobrans. Alii ad hos, a quibus victus est Æneas, allusum volunt.
[b] Vitæ tuæ.
[c] Habitum hunc aurigarum memoravit sub fine 3. Georg. *pronique in verbera pendent.*
[d] Flagello aut telo.
[e] Ab Ænea missa.
[f] Nec te qui tarde fugientes, nec territi prodiderunt, sed te ipse.
[g] Κασιγνήτη ἄλοχός τε. Il. 18.
[h] Ironice & παραβλήδην ἀγορεύει, ut 4. Il.
[i] Quinimo ipsi Martii non egent Veneris auxilio.
[k] Επεα κερτόμεα. 4. Il.

Et Dauno poſſem incolumem ſervare parenti.
Nunc pereat, Teucriſque *l* pio det ſanguine pœnas.
Ille tamen noſtra deducit origine nomen:
Pilumnuſque illi *m* quartus pater, & tua larga
Sæpe manu, multiſque oneravir limina donis. 620
Cui rex ætherei breviter ſic fatur Olympi:
Si mora præſentis lethi, tempuſque *n* caduco
Oratur juveni, *o* meque hoc ita ponere ſentis;
Tolle fuga Turnum, atque inſtantibus eripe fatis.
Hactenus indulſiſſe vacat. ſin altior iſtis 625
Sub precibus venia ulla latet, totumque moveri
Mutarive putas bellum, ſpes paſcis inanes.
Cui Juno illacrymans: Quid ſi, quod *p* voce gravaris,
Mente dares, atque hæc Turno rata vita maneret?
Nunc manet inſontem gravis exitus: aut ego veri 630
q Vana feror; quod ut ô potius formidine falſa
Ludar; & in melius tua, qui potes, orſa reflectas.
Hæc ubi dicta dedit, cœlo ſe protinus alto
Miſit, agens hyemem nimbo ſuccincta per auras:
Iliacamque aciem, & Laurentia caſtra petivit. 635
r Tum dea nube cava tenuem ſine viribus umbram,
In faciem Æneæ (viſu mirabile monſtrum)
Dardaniis ornat telis, clypeumque, *ſ* jubaſque
Divini aſſimilat capitis, dat inania verba;
Dat ſine mente ſonum, greſſuſque effingit euntis. 640
Morte obita quales fama eſt volitare figuras.
Aut quæ ſopitos deludunt ſomnia ſenſus.
At primas læta ante acies exſultat imago,
Irritatque virum telis, & voce laceſſit.
Inſtat cui Turnus, ſtridentemque eminus haſtam 645
Conjicit: illa dato vertit veſtigia tergo.
Tum vero Æneas averſum ut cedere Turnus
Credidit, atque animo ſpem *t* turbidus hauſit inanem:
Quo fugis, Ænea? thalamos ne deſere pactos.
u Hac dabitur dextra tellus quæſita per undas. 650
Talia vociferans ſequitur, ſtrictumque coruſcat
Mucronem, nec ferre videt ſua *x* gaudia ventos.
Forte ratis celſi *y* conjuncta crepidine ſaxi

l Mox: *multiſque oneravit limina donis.* i. e. tholos. templi.
m Supra l. 9. *parens.* hoc libro. *avus*, his, *quartus pater.* A primo generis autore Pilumno poſteri quoque dicti Pilumni. ut Arſaces, Pharaones, Ptolemæi, Cæſares.
n Quem in bello hoc caſurum in fatis eſt.
o Statuere me poſſe putas cupiſque.
p Fato. namque *Jovis vocem jura ſequuntur.*
q A vero errans & falſa.
r Αὐτὰρ ὁ εἴδωλον τεύξ' ἀργυρότοξος Ἀπόλλων Αὐτῷ τ' Αἰνείᾳ εἴκελον ᾗ τε μάλιστα Hom.
ſ I. *Terribilem criſtis galeam.* Æneæ. l. 8. Galeas autem ornare ſolebant avium pinnis plumiſque, leonum & equorum jubis vel etiam ſetis caudæ equinæ, infra hoc eodem libro, *Ære caput fulgens, criſtaque hirſutus equina.* hinc ἵππουρις, κόρυς ἱππιοδάσεια, ipſique ἱπποκορυσταί. nec non capitibus atque rictibus luporum, canum, vulpium, felium, unde λυκέαι, κυνέαι, ἀλωπεκέαι, γαλέαι. Pyrrhus geſtabat hircina cornua.
t Mente mota vana ſpe elatus.
u Ironice. ut illud. *En agros, & quam bello, Trojane, petiſti Heſperiam metire jacens.*
x Inania ſcil. futura, & fallacia, ut quæ venti diſſipent.
y Fune alligata rupi.

Expositis stabat ℵ scalis, & ℵ ponte parato,
Qua rex Clausinis advectus [a] Osinius oris.
Huc sese trepida Æneæ fugientis imago
Conjicit in latebras; nec Turnus segnior instat,
Exuperatque moras, & pontes transilit altos.
Vix proram attigerat, rumpit Saturnia funem,
Avulsamque rapit revoluta per æquora navem.
Illum autem Æneas absentem in prælia poscit;
Obvia multa virûm demittit corpora morti.
Tunc levis haud ultra latebras jam quærit imago,
Sed sublime volans nubi se immiscuit atræ;
Cum Turnum medio interea fert æquore turbo,
Respicit ignarus rerum, [b] ingratusque salutis,
Et duplices cum voce manus ad sidera tendit:
Omnipotens genitor, tanton' me [c] crimine dignum
Duxisti? & tales voluisti expendere pœnas?
Quo feror? unde abii? quæ me fuga? [d] quemve reducet?
Laurentesne iterum muros aut castra videbo?
Quid manus illa virûm, qui me meaque arma secuti?
Quosque, nefas, omnes infanda in morte reliqui?
Et nunc palantes [e] video, gemitumque cadentum
Accipio: quid agam? aut quæ jam satis ima dehiscat
Terra mihi? vos ô potius miserescite venti;
In rupes, in saxa, volens vos Turnus adoro,
Ferte ratem, sævisque vadis immittite Syrtis;
[f] Quo neque me Rutuli, neque conscia fama sequatur.
Hæc memorans, animo nunc huc, nunc fluctuat illuc:
An sese [g] mucrone ob tantum dedecus amens
[g] Induat, & crudum per costas exigat ensem:
Fluctibus an jaciat mediis, & litora nando
Curva petat, Teucrûmque iterum se reddat in arma.
Ter conatus utramque viam; ter maxima Juno
Continuit, juvenemque animo miserata repressit.
Labitur alta secans, fluctuque æstuque secundo,
Et patris antiquam Dauni defertur ad [h] urbem.
At Jovis interea [i] monitis Mezentius ardens
Succedit pugnæ, Teucrosque invadit ovantes.
Concurrunt Tyrrhenæ acies, atque omnibus [k] uni,
Uni odiisque viro, telisque frequentibus instant.
[l] Ille, velut rupes, vastum quæ prodit in æquor
Obvia ventorum furiis, expostaque ponto,
Vim cunctam, atque minas perfert cœlique marisque,
Ipsa immota manet, prolem Dolicaonis Hebrum

ℵ Quibus in navim conscenderetur.
[a] Osinius Massicus.
[b] Ingrato animo salutem acceptam ferens.
[c] Inhonestæ fugæ, utut invitæ mihique ingratæ, probro. & quæ Turno objecta est a Drance. l. 11.
[d] Qualem? fugæ sc. crimini obnoxium, meorumque desertorem.
[e] Videre mihi videor.
[f] *Nesciat hoc quisquam nisi in quæ &c. me privatum, Fortuna mori.* Cæsar. 5. l. Lucan.
[g] Sic 7. bell. Gall. Cæs. *se ipsi acutissimis vallis inducbant.*
[h] Ardeam.
[i] Ultricibusne irrelligiosi Mezentii? an præbentibus gloriæ segetem Æneæ.
[k] Mezentio. 8. l.
[l] Comparatio huic gemina l. 6. & 7. supra ex Il. Homer. 15.

Sternit humi; cum quo Latagum, Palmumque fugacem:
Sed [m] Latagum saxo, atque ingenti fragmine montis
Occupat [m] os faciemque adversam: poplite Palmum
Succiso volvi segnem sinit, armaque Lauso
Donat habere humeris, & vertice figere cristas.
Nec non Evantem Phrygium, Paridisque Mimanta
Æqualem, comitemque, [n] una quem nocte Theano
In lucem genitori Amyco dedit, & face prægnans
Cisseis regina Parin creat: [o] urbe paterna
Occubat; [p] ignarum Laurens habet ora Mimanta.
[q] Ac velut ille canum morsu de montibus altis
Actus aper (multos [r] Vesulus quem pinifer annos
Defendit, multosque palus Laurentia) sylva
Pastus arundinea, postquam inter retia ventum est,
Substitit, infremuitque ferox, & inhorruit armos:
Nec cuiquam irasci, [s] propiusve accedere virtus,
Sed jaculis, tutisque procul clamoribus instant:
Haud aliter justæ quibus est Mezentius iræ,
Non ulli est animus stricto concurrere ferro:
Missilibus longe, & vasto clamore lacessunt.
Ille autem impavidus partes [t] cunctatur in omnes,
Dentibus infrendens, & [u] tergo decutit hastas.
Venerat antiquis [x] Coriti de finibus Acron,
Grajus homo, [y] infectos linquens profugus [y] hymenæos,
Hunc ubi miscentem longe media agmina vidit,
[z] Purpureum pennis, & pactæ conjugis ostro:
[a] Impastus stabula alta leo ceu sæpe peragrans
(Suadet enim vesana fames) si forte fugacem
Conspexit capream, aut [b] surgentem in cornua cervum,
Gaudet hians immane, comasque arrexit, & hæret
Visceribus super accumbens: lavit improba teter
Ora cruor.
Sic ruit in densos alacer Mezentius hostes.
Sternitur infelix Acron, & [c] calcibus atram
Tundit humum exspirans, infractaque tela cruentat.
Atque idem fugientem haud est dignatus Oroden
Sternere, nec jacta [d] cæcum dare cuspide vulnus.
Obvius adversoque occurrit, seque viro vir
Contulit, haud [e] furto melior, sed fortibus armis.
Tum super adjectum posito pede nixus & hasta,

[m] Græca constructio gemini Accusativi.
[n] Eadem nocte qua Hecuba Cissei regis Thraciæ filia peperit Paridem, quem utero gestans se facem parturire somniavit.
[o] Paris in Troja.
[p] Ignoratum, advenam, peregrinum.
[q] Il. 11. Hom. & Hes. in scuto.
[r] Mons Liguriæ.
[s] *Licet eminus esse fortibus.* Ovid.
[t] Se versat.
[u] Scuto e tergore bubulo. si de Mezentio capias: Si de apro, interpretaberis ex illo Lucani de elephanto: *Omne repercussum squallenti missile tergo Frangit, & hærentes mota cute discutit hastas* l. 6.
[x] Thusciæ opp.
[y] Sponsam, nuptias infestas. [z] Purpurea eminentem cristam, & ostro sponsæ suæ insigni. *a* Ὡς τε λέων ἐ χάρη, &c. Il. 3. *b* Caput alte frementem *Cornibus arboreis* 1. Æneid. *c* In morte λακτίζων ποσὶ γαῖαν. χθόνα λὰξ ἀράσσων alibi sæpe. *d* Quod fugienti & averso infigitur. *vel* altum, ab hasta aut gladio punctim feriente. *e* Non insidiis aut dolis peritior.

Pars

Pars belli haud temnenda viris, jacet altus Orodes.
Conclamant socii lætum *f* Pæana sequuti.
g Ille autem exspirans; non me, quicunque es, inulto,
Victor, nec longum lætabere, te quoque fata
Prospectant paria, atque eadem mox arva tenebis.
Ad quem subridens mista Mezentius ira:
h Nunc morere: ast de me divûm pater atque hominum rex
Viderit. hoc dicens, eduxit corpore telum.
Olli dura quies oculos, & ferreus urget
Somnus, in æternum clauduntur lumina noctem.
i Cædicus Alcathoum obtruncat, *i* Sacrator Hydaspem
Partheniumque *i* Rapo, & prædurum viribus Orsen:
i Messapus Cloniumque, Lycaoniumque Ericaten:
Illum *k* infrenis equi lapsu tellure jacentem;
Hunc peditem pedes; & Lycius processerat Agis:
Quem tamen haud expers *l* Valerus virtutis avitæ
Dejicit, *l* Atronium Salius, Saliumque *l* Nealces,
Insignis jaculo, & *l* longe fallente sagitta.
Jam gravis æquabat luctus, & mutua Mavors
Funera: cædebant pariter, pariterque ruebant
Victores, victique: neque his fuga nota, nec illis.
Dii Jovis in tectis iram miserantur *m* inanem
Amborum, & tantos mortalibus esse labores.
Hinc Venus, hinc contra spectat Saturnia Juno.
Pallida Tisiphone media inter millia sævit.
At vero ingentem quatiens Mezentius hastam
Turbidus ingreditur campo. *n* qua magnus Orion,
Cum pedes incedit medii per maxima Nerei
Stagna viam scindens, humero supereminet undas.
Aut summis referens annosam montibus ornum,
Ingrediturque solo, & caput inter nubila condit.
Talis se vastis infert Mezentius armis,
Huic contra Æneas, speculatus in agmine longo,
Obvius ire parat: manet imperterritus ille,
Hostem magnanimum opperiens, & mole sua stat.
Atque oculis spatium emensus quantum satis hastæ;
o Dextra mihi Deus, & telum quod missile libro,
Nunc adsint: voveo *p* prædonis corpore raptis
Indutum spoliis, ipsum te, Lause, trophæum
Æneæ. dixit, stridentemque eminus hastam

f Acclamationem exultantium super hoste strato. Proprie equidem hymnum in laudem Apollinis ἀπὸ τοῦ πάιαν a confecto Pythone.
g Ita Patroclus 16. Il.
h Sic Achilles Hectori. Il. 22.
i Rutuli reliqui sunt Trojani.
k Efferati, fræno non parentis, nec audientis habenas. quid sibi velint *Effrænes Numidæ* vide lib. 4.
l Quæ missa eminus non advertitur, nec cavetur.
m Nihil proficientem ad hujus aut illius partis victoriam.
n Qualis Orion, qui ab Oenopione occæcatus consuluit oraculum, qua ratione posset visum recipere. responsum tulit, si per mare, ortum versus incederet, ut solis radii oculis illucescerent. quod fecit. Turneb. 27. lib. 28. cap. Hyginus. Natalis 8. l. 12. c
o Æque impius est Turnus 12. l. Euripidis Polynices, Sophoclis Ajax, Statii Capaneus, Silii Annibal quibus telum pro numine.

Jecit:

Jecit : at illa volans *p* clypeo est excussa, procul-
que
Egregium *q* Anthorem latus inter & ilia figit:
Herculis Anthorem comitem, qui missus ab Argis
Hæserat Evandro, atque Itala consederat Urbe.
Sternitur infelix *r* alieno vulnere, cœlumque
Aspicit, & dulces moriens reminiscitur Argos.
Tum pius Æneas hastam jacit: illa *s* per orbem
Ære cavum triplici per *t* linea terga, tribusque
Transiit intextum tauris opus, imaque sedit
Inguine: sed vires haud pertulit. ocius ensem
AEneas, viso Tyrrheni sanguine, lætus
Eripit à femore, & trepidanti fervidus instat.
Ingemuit chari graviter genitoris amore,
Ut vidit, Lausus, lacrymæque per ora volutæ,
Hic mortis *u* duræ casum, tuaque optima facta,
Siqua fidem tanto est *x* operi latura vetustas,
Non equidem, nec te, juvenis memorande, sile-
bo.
y Ille pedem referens, & inutilis, *z* inque ligatus
Cedebat, clypeoque inimicum hastile trahebat.
Proripuit juvenis, seseque immiscuit armis:
Jamque assurgentis dextræ, plagamque ferentis
AEneæ subiit mucronem, ipsumque morando
Sustinuit, *a* socii magno clamore sequuntur,
Dum genitor nati parma protectus abiret:
Telaque conjiciunt, proturbantque eminus hostem
Missilibus, furit AEneas, *b* tectusque tenet se.
Ac velut effusa si quando grandine nimbi
Præcipitant, omnis campis diffugit arator,
Omnis & agricola, & tuta latet *c* arce viator,
Aut amnis ripis, aut alti fornice saxi,
Dum pluit in terris: ut possint sole reducto
d Exercere diem: sic obrutus undique telis
AEneas, nubem belli, dum detonet, omnem
Sustinet; & Lausum increpitat, Lausoque minatur.
Quo moriture ruis? majoraque viribus audes?
Fallit te incautum pietas tua, Nec minus ille
Exsultat demens, sævæ jamque altius iræ
Dardanio surgunt ductori; extremaque Lauso
Parcæ fila legunt. validum namque exigit ensem
Per medium AEneas juvenem, totumque recondit.
Transiit & parmam mucro, levia arma minacis,
Et tunicam, molli mater quam neverat auro:
Implevitque sinum sanguis, tum vita per auras

p Æneæ.
q Al. leg. *Antorem.* unde Antoniorum familiam duci volunt.
r Non in illum directo. *telo non in sua vulnera misso.* Sic 7. l.
s Clypeum.
t Tergora trium taurorum in scuto, tectalino, cui posset appingi insigne.
u Acerbæ sc. & præmature.
x Pietati & virtuti.
y Mezentius.
z Illigatus & impeditus hasta Æneæ.
a Rutuli.
b Tectus clypeo se tuetur continetque donec detonet telorum imber.
c Arboris, ripæ, aut saxi, quæ vim & injuriam tempestatis arceat.
d Redire ad opus diurnum.

Cor-

Conceſſit mœſta ad manes, corpuſque reliquit.
At vero ut vultum vidit morientis & ora,
Ora modis Anchiſiades pallentia miris,
Ingemuit miſerans graviter, dextramque tetendit:
e Et mentem patriæ ſubiit pietatis imago.
Quid tibi nunc, miſerande puer, pro laudibus iſtis,
Quid pius Æneas tanta dabit indole dignum?
Arma quibus lætatus, habe tua: teque parentum
Manibus, & cineri (*f* ſiqua eſt ea cura) remitto.
Hoc tamen infelix miſeram ſolabere mortem;
Æneæ magni dextra cadis. Increpat ultro
Cunctantes ſocios, & terra ſublevat ipſum,
Sanguine turpantem comptos de more capillos.
Interea *g* genitor Tiberini ad fluminis undam
Vulnera *h* ſiccabat lymphis, corpuſque levabat
Arboris acclivis trunco: procul ærea ramis
Dependet galea, & prato gravia *i* arma quieſcunt.
Stant lecti circum juvenes: ipſe æger, anhelans
Colla fovet, fuſus propexam in pectore barbam.
Multa ſuper Lauſo rogitat, multoſque remittit,
Qui revocent, mœſtique ferant mandata parentis.
At Lauſum ſocii exanimum ſuper *i* arma ferebant
Flentes ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Agnovit longe gemitum præſaga mali mens;
k Canitiem immundo deformat pulvere, & ambas
Ad cœlum tendit palmas, & corpore inhæret.
l Tantane me tenuit vivendi, nate, voluptas?
Ut pro me hoſtili paterer ſuccedere dextræ,
Quem genui? tuane hæc genitor per *m* vulnera ſervor,
Morte tua vivens? heu nunc miſero mihi demum
Exilium infelix, nunc alte vulnus *n* adactum.
Idem ego, nate, tuum maculavi crimine nomen,
Pulſus ob invidiam ſolio, ſceptriſque paternis.
o Debueram patriæ pœnas, odiiſque meorum:
Omnes per mortes animam ſontem ipſe dediſſem.
Nunc vivo; neque adhuc homines, lucemque relinquo.
Sed linquam. Simul hæc dicens, attollit in *p* ægrum
Se femur, & quanquam vis alto vulnere tardat,
Haud dejectus equum duci jubet; *q* hoc decus illi,
Hoc ſolamen erat: bellis hoc victor abibat
Omnibus. alloquitur *q* mœrentem, & talibus infit:
q Phœbe diu, *Res ſiqua diu mortalibus ulla eſt*,

e Subiitque Æneæ in animum, quonam ipſe afficeretur dolore, ſi quid ſimile ſuo contigiſſet Aſcanio.
f Siqua te fato functum muneris hujus tangat cura aut gratia.
g Mezentius.
h Siſtebat ſanguinem, lavabat, purgabatque.
i Clypeum.
k Quod in gravi luctu fieri ſolet, caput canum ſpargit pulvere.
l Eane miſero mihi lucis tam dira cupido, ut fatis male judicantibus, adeoque pierate præpoſtera, ſervari velim morte filii?
m Vulnus. Invidioſe & patherice.
n Per filii mei pectus.
o Morte tua luis crimen, *l* invidiam, pœnas meas; quas ipſe lubens obiiſſem. *p* Saucium. *q* Equum. Sic Achilles Xanthum equum alloquitur 19, Il.

Viximus: aut hodie victor spolia illa [r] cruenta,
Et caput Æneæ referes, Lausique dolorum
Ultor eris mecum: aut, [s] aperit si nulla viam vis,
Occumbes pariter; neque enim fortissime, credo,
Jussa aliena pati, & dominos dignabere Teucros.
Dixit: & exceptus tergo consueta locavit
Membra, manusque ambàs jaculis oneravit acutis,
Ære caput fulgens, [t] cristaque hirsutus equina.
Sic cursum in medios rapidus dedit, æstuat ingens
Imo in corde [u] pudor, mistoque insania [x] luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.
Atque hic Æneam magna ter voce vocavit.
Æneas agnovit eum, lætusque precatur:
[y] Sic pater ille deûm faciat, [y] sic altus Apollo;
Incipias conferre manum.
Tantum effatus, & infesta subit obvius hasta.
Ille autem: Quid me erepto, sævissime, nato
Terres? hæc via sola fuit qua perdere posses.
Nec mortem horremus, [z] nec divûm parcimus ulli.
Desine, jam venio moriturus, & hæc tibi porto
[a] Dona prius. Dixit, telumque intorsit in hostem,
Inde aliud super, atque aliud figitque, volatque
Ingenti gyro: sed sustinet aureus umbo.
Ter circum astantem [b] lævos equitavit in orbes,
Tela manu jaciens: ter secum Troïus heros
Immanem ærato circumfert tegmine [c] sylvam.
Inde ubi tot traxisse moras, tot spicula tædet
Vellere, & urgetur pugna congressus [d] iniqua,
Multa movens animo, jam tandem erumpit, & inter
Bellatoris equi cava tempora conjicit hastam.
Tollit se arrectum quadrupes, & calcibus auras
Verberat, effusumque equitem super ipse sequutus
Implicat; [e] ejectoque incumbit cernuus armo.
Clamore incendunt cœlum Troësque Latinique. [f]
Advolat Æneas, vaginaque eripit ensem:
Et super hæc, Ubi nunc Mezentius acer, & illa
Effera vis animi? contra [g] Tyrrhenus, ut auras
Suspiciens hausit cœlum, mentemque recepit:
Hostis amare, quid increpitas, mortemque minaris?

[r] Arma Æneæ Lausi sanguine cruentata. Namque arma Lauso jussit habere sua.

[s] Si virtuti adversus sit adventus.

[t] Κόρυθ' ἱπποδασείᾳ. Sic Paris 3, Il. κυνέην εὔτυκτον ἔθηκεν Ἱππουρίν, δεινὸν ἰλόφος καθ' ὑπέρθεν ἔνευεν. supra.

[u] Quod ipse jam victus cessisset.

[x] Quod filium amisisset.

[y] Precantis, optantisque Adverbium.

[z] Neque enim deorum quempiam veneror supplex, uti tu, neque ulli deum vitam debere volo, cujus me usque tædet amisso filio. Impie, ex persona contemptoris deum.

[a] Infesta jacula.

[b] Sibi lævos Æneæ sc. dextram partem nudam neq; scuto tectam consequuturus telo. [c] Clypeum præfert impeditum, tot exceptis jaculis horrentem instar sylvæ. [d] Ipse pedes contra Mezentium equitem. [e] Cernuus armo incumbit, ejecto Mezentio. [f] Hypermeter, ad extenti clamoris significationem. [g] Mezentius, ut ad se rediit recepitque animum ruina equi & sua consternatum.

[h] Nullum

h Nullum in cæde nefas: nec si ad prælia veni,
Nec tecum meus hæc pepigit mihi fœdera Lausus.
Unum hoc per, i siqua est victis venia hostibus, oro,
Corpus humo patiare tegi. scio acerba meorum
Circumstare odia: hunc (oro) k defende furorem.
Et me consortem nati concede sepulchro.
Hæc loquitur jugulo que haud inscius accipit ensem:
l Undantique animam diffundit in arma cruore.

h Neque duxi nefas mori, neque vivendi animo huc veni. neque ex pacto tecum redemit vitam meam sua morte filius meus.

i Abrupte & imperfecte. Neque enim Deos agnovit, per quos oraret. k Ne corpus insepultum exponatur ludibrio infestis mihi civibus. l Ordo, diffundit animam cruore undanti in arma.

ÆNEIDOS LIB. XI.

ARGUMENTUM.

OCciso Mezentio, victor Æneas Marti trophæum erigit. Pallantis mortui corpus magno pompæ apparatu, ad Evandri urbem remittit; ubi summo & patris & suorum omnium luctu excipitur. Interim oratores a Latinis missi, dierum 12 inducias impetrant: quo temporis spatio utrique suorum cadavera perquirunt, supremoque sepulturæ honore prosequuntur. Eodem quoque tempore Venulus, quem sub belli initium legatum ad Diomedem miserant Latini, ad suos rediens, auxilia sibi denegata renunciat. Ea spe destitutus Latinus, consilio convocato, de summa belli consultat, legatosque de pacis conditionibus ad Æneam mittendos censet. Ibi Drances & Turnus, pro inveterato inter ipsos odio, se mutuis conviciis proscindunt. Interim Æneas bipartito divisis copiis, levis armaturæ equites planis itineribus ad urbem præmittit: ipse cum reliquo exercitu per loca sylvis montibusque impedita, ad editiorem oppidi partem contendit. Cujus rei nuncio Laurentum perlato, concilium dimittitur: paranturque ea quæ ad urbis defensionem putantur pertinere. Turnus, cognito per exploratores Æneæ consilio, bifariam & ipse suas copias partitur. Equitibus Messapum & Camillam præficit, eosque hostium equitibus opponit; ipse cum peditibus angustias, qua necessario Æneæ ad urbem iter erat, breviori itinere occupat, atque ibi in insidiis subsistit. Interim equestre prælium committitur, diuque dubio utrinque eventu pugnatur. Ibi Camilla, magna prius edita hostium strage, dum Chloreum Cybeles sacerdotem, armorum ejus pulchritudine capta incautius sequitur, ex insidiis ab Arunte hasta trajicitur. Quam tamen sacræ virginis cædem Aruns non diu tulit inultam: nam & ipse paulo post ab Opi Dianæ ministra sagitta trajectus, offensi numinis pœnas persolvit. Camillæ nece consternati Rutuli, fugam arripiunt: Trojani urbis oppugnationem parant. Ejus calamitatis nuncio ab Acca Camillæ comite ad Turnum perlato, relictis quas obsederat angustiis suis, auxilio accurrit. Eodem subsequitur & Æneas, &, quoniam imminente jam nocte prælium committi non poterat, utrique positis ante urbem castris considunt.

OCeanum interea surgens aurora reliquit.
Æneas (quanquam & sociis dare tempus humandis)

a Præ-

a Festinate urgent, premunt.
b Pallantis inprimis.
c Primo mane, albescente Aurora.
d De tropheo vide quæ nos ad Iuvenal. sat. 10. *Bellorum exuviæ truncis affixa trophæis*, &c.
e Mars cui enim debentur potius? ut cui grata, ἔναρα & λάφυρα suspenduntur si tracta, sanguinea, mutila, trunca, curta, perfossa.
f Ut trophæum referat hominis formam, ecce primum cristas galeæ, deinde tela in manu, clypeum ad sinistram, thoracа in media arbore, ensem dimissum ad latus ex balteo, qui collo appensus.
g Tot vulneribus ab Æneа perfossum thoracа intelligo potius, quam a 12. Etruriæ principibus, ut volunt quidam.
h Propter vaginam, aut capulum.
i Cum respectu ad spolia opima, ubi dux sua manu hostium ducem confecit.
k Refero ad titulum trophæi. *Mezentius hic est*, &c.
l Neque enim nisi captato augurio, aut fine Deum numine evellebantur signa.
m Cæsorum in bello funebres pompæ a suis honestabantur elogiis, orationibus, epitaphiis.
n Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων, 16. Il. neque enim animas Charonti licet Stygis *rauca fluenta transportare prius, quam sedibus ossa quierunt. Centum errant annos*, &c. 6. l. Æn.
o Fato immaturo, & *miser ante diem.*
p Rite omnia. Conclamatorum nec corpora in limine ædium collocabantur efferenda: pedibus ad viam extentis, quasi non reversuris aut quia homines capite nascuntur, pedibus efferuntur. In funere vero familia, amici, fœminæ inprimis φιλοίκτιστον γένος, crinibus solutis, luctu, planctu, ejulatu omnia replebant, vide quæ nos ad Sen. Tr. v. 83. & Lucan. l. 2. v. 30.

[a] Præcipitant curæ, turbataque [b] funere mens est)
Vota deûm [c] primo victor solvebat [c] Eoo.
Ingentem quercum decisis undique ramis
Constituit tumulo; fulgentiaque induit arma,
Mezentî ducis exuvias, (tibi magne [d] trophæum
[e] Bellipotens·) aptat rorantes sanguine [f] cristas,
[f] Telaque trunca viri, & [g] bis sex [f] thoraca peritum,
Perfossumque locis, [f] clypeumque ex ære sinistræ
Subligat, atque [g] ensem collo suspendit [h] eburnum.
Tum socios (namque omnis eum stipata tegebat
Turba ducum) sic incipiens hortatur ovantes:
Maxima res effecta, viri, timor omnis abesto,
Quod superest. hæc sunt spolia, & de rege superbo
Primitiæ, manibusque [i] meis [k] Mezentius hic est.
Nunc iter ad regem nobis, murosque Latinos:
Arma parate animis; & spe præsumite bellum.
Nequa mora ignaros (ubi primum vellere signa
[l] Annuerint superi, pubemque educere castris)
Impediat, segnesque metu sententia tardet.
Interea socios, [m] inhumataque corpora terræ
Mandemus: [n] qui solus honos Acheronte sub imo est.
Ite, (ait) egregias animas, quæ sanguine nobis
Hanc patriam peperere suo, decorate supremis
Muneribus, mœstamque Evandri primus ad urbem
Mittatur Pallas: quem non virtutis egentem
Abstulit atra dies, & [o] funere mersit [o] acerbo.
Sic ait illacrymans, recipitque ad limina gressum,
Corpus ubi exanimi [p] positum Pallantis Acetes
Servabat senior, qui Parrhasio Evandro
Armiger ante fuit: sed non felicibus æque
Tum comes auspiciis charo datus ibat alumno.
Circum omnes, famulûmque manus, Trojanaque turba,
Et mœstæ Iliades crinem de more solutæ.

Ut

Ut vero Æneas foribus sese intulit altis,
Ingentem gemitum tunsis ad sidera tollunt
Pectoribus, mœstoque immugit regia luctu.
Ipse caput nivei *q* fultum Pallantis, & ora
Ut vidit; lævique patens in pectore vulnus
r Cuspidis Ausoniæ, lacrymis ita fatur obortis:
Tene, inquit, miserande puer, cum *s* læta veniret,
Invidit fortuna mihi? ne regna videres
Nostra, neque ad sedes victor veherere paternas?
Non hæc Evandro de te promissa parenti
Discedens dederam, cum me complexus euntem
Mitteret in magnum imperium, metuensque moneret
Acres esse viros, cum *t* dura prælia gente.
Et nunc ille quidem spe multum captu inani,
Fors & vota facit, cumulatque altaria donis.
Nos juvenem exanimum, & *u* nil jam cœlestibus ullis
Debentem, vano mœsti comitamur honore.
Infelix nati funus crudele videbis.
Hi nostri reditus, exspectatique triumphi;
Hæc mea magna fides. at *x* non, Evandre, pudendis
Vulneribus pulsum aspicies, *y* nec sospite dirum
Optabis nato funus pater. hei mihi quantum
Præsidium Ausonia, & quantum tu perdis, Iüle.
Hæc ubi deflevit, *z* tolli miserabile corpus
Imperat, & toto lectos ex agmine mittit
Mille viros, qui supremum comitentur honorem.
Interfintque patris lacrymis: solatia luctus
Exigua ingentis, misero sed debita patri.
a Haud segnes alii crates, & molle pheretrum
Arbuteis texunt virgis, & vimine querno,
Extructosque toros *b* obtentu frondis inumbrant.
Hic juvenem agresti sublimem in stramine ponunt:
c Qualem virgineo demessum pollice florem,
Seu mollis violæ, seu languentis hyacinthi
Cui neque fulgor adhuc, nec dum sua forma recessit.
d Non jam mater alit tellus, viresque ministrat.
Tum geminas vestes ostroque auroque rigentes
Extulit Æneas, quas illi *e* læta laborum,
Ipsa suis quondam manibus Sidonia Dido
Fecerat, & tenui telas discreverat auro.

q Pulvinari, & toro funereo.
r Ab hasta Turni.
s Injecta jam spe potiundæ Italiæ.
t Larina, Rutula, Volsca, lib. 9.
u Non ultra obnoxium Diis cœlestibus, quando transierit in potestatem Deorum inferorum.
x Non aversis & a tergo. sed pulchris. loco honestis, adversis.
y Neque imprecaberis tibi aut filio mortem, tædio aut pudore quod filius inhonesta fuga saluti suæ consuluerit.
z Funebris pompæ apparatus, rituum & ceremoniarum pulchra descriptio, sicut funeris. 6. l. pag. 240.
a Properant alii pheretrum cratibus ex arbuteis virgis texere, &c. *b* Obtentis frondibus. *c* *Ut flos in septis secretus nascitur hortis*, &c vide Catul. 63. Ep. *Quem mulcent auræ, firmat sol, educat imber.* ibid. *d* Quia in gratiam Æneæ quem amabat, munus hoc texebat.

f Harum unam corpori Pallantis induit altera caput velat. Imperatores autem paludamento velati efferebantur.

g Præferebantur spolia hostibus erepta: quin & equi, & captivi vincti, *inferias quos immolet umbris.* l. 10 nec non trunci arborum, ad modum trophæorum induti arma hostium cæsorum, quorum & nomina affigebantur. vide Patrocli inferias. Il. 20.

h *Qui non felicibus æque Tum Comes auspiciis*, &c. modo.

i Pallantisne, sanguine hostium perfusi? an hostibus ereptos.

k Exutus phaleris.

l Δάκρυα δ' σφιν Θερμὰ κὴ βλεφάρων χαμάδις ῥέε μυρομένοισιν. Achillis equis Patroclum flentibus Il. 17. lacrymari autem equos asserunt Sueton. cap. 81. Jul. Plin. l. 8. cap. 42. & alii.

m Arma, cum balteo.

n Inversis hastis mucrone inclinato & per terram tracto, pro usitato more ac recepto in exsequiis militaribus.

o Mortuis *Salve* & *Vale* dicitur, quod ab eis dividimur, non ultra visuri eos. Varro.

p Laurolavinio, urbe Latini.

q Ad illud 7 l. *Præferimus manibus vittas.*

r Qui jam penes Trojanos victores.

s Terram subire, terra condi.

t Mortuis.

u Sepulturam mortuis, & pacem vivis concedere vellem.

f Harum unam juveni supremum mœstus honorem
Induit; arsuraque comas obnubit amictu.
g Multaque præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam jubet ordine duci.
Addit equos, & tela, quibus spoliaverat hostem.
Vinxerat & post terga manus, quos mitteret umbris
Inferias, cæso sparsuros sanguine flammas:
Indutosque jubet truncos hostilibus armis
Ipsos ferre duces, inimicaque nomina figi.
Ducitur *h* infelix ævo confectus Acetes,
Pectora nunc fœdans pugnis, nunc unguibus ora,
Sternitur & toto projectus corpore terræ.
Ducunt & *i* Rutulo perfusos sanguine *l* currus.
Post bellator equus, *k* positus insignibus, Æthon
It *l* lacrymans, guttisque humectat grandibus ora.
Hastam alii galeamque ferunt: nam *m* cætera Turnus
Victor habet. tum mœsta phalanx Teucrique sequuntur.
Tyrrhenique duces, & *n* versis Arcades armis.
Postquam omnis longe comitum processerat ordo,
Substitit Æneas, gemituque hæc addidit alto.
Nos alias hinc ad lacrymas eadem horrida belli
Fata vocant: *o* salve æternum mihi, maxime Palla,
Æternumque *o* vale. Nec plura effatus, ad altos
Tendebat muros, gressumque in castra ferebat.
Jamque oratores aderant ex *p* urbe Latina,
q Velati ramis oleæ, veniamque rogantes:
Corpora, per *r* campos ferro quæ fusa jacebant,
Redderet, ac tumulo sineret *s* succedere terræ:
Nullum cum victis certamen, & *r* æthere cassis;
Parceret hospitibus quondam socerique vocatis.
Quos bonus Æneas, haud aspernanda precantes,
Prosequitur venia, & verbis hæc insuper addit:
Quænam vos tanto fortuna indigna, Latini,
Implicuit bello, qui nos fugiatis amicos?
Pacemne exanimis, & Martis sorte peremptis
Oratis: *u* equidem & vivis concedere vellem.
Nec veni, nisi fata locum sedemque dedissent:

Nec bellum cum gente gero. Rex noſtra relinquit
Hoſpitia, & Turni potius ſe credidit armis.
Æquius [x] hinc Turno fuerat ſe opponere [x] morti.
Si bellum finire manu, ſi pellere Teucros
Apparat, his decuit mecum concurrere telis.
[y] Vixêt, cui vitam deus aut ſua dextra dediſſet.
Nunc ite, & miſeris ſupponite civibus ignem.
Dixerat Æneas. olli obſtupuere ſilentes,
Converſique oculos inter ſe atque ora tenebant.
Tum ſenior: [z] ſemperque odiis & crimine Drances
Infeſtus juveni Turno, ſic ore viciſſim
Orſa refert: O fama ingens, ingentior armis,
Vir Trojane, quibus [a] cælo te laudibus æquem?
[b] Juſtitiæne prius mirer, belline laborum?
Nos vero hæc patriam grati referemus ad urbem:
Et te, ſiqua viam dederit fortuna, Latino
Jungemus regi: quærat ſibi fœdera Turnus.
Quin & [c] fatales murorum attollere moles,
Saxaque ſubvectare humeris Trojana juvabit.
Dixerat hæc, unoque omnes eadem ore fremebant,
Bis ſenos pepigere dies, & [d] pace ſequeſtra
Per ſylvas Teucri miſtique impune Latini
Erravere jugis, ferro ſonat alta [e] bipenni
Fraxinus: evertunt actas ad ſidera pinus,
Robora nec cuneis, & [f] olentem ſcindere [f] cedrum,
Nec plauſtris ceſſant vectare gementibus ornos:
Et jam fama volans tanti prænuncia luctus
Evandrum, Evandrique domos, & mœnia complet,
[g] Quæ modo victorem Latio Pallante ferebat:
Arcades [h] ad portas ruere, & de more vetuſto
Funereas rapuere faces: lucet via longe
Ordine flammarum, & late [i] diſcriminat agros.
Contra turba Phrygum veniens plangentia jungit
Agmina: quæ poſtquam matres ſuccedere tectis
Viderunt, mœſtam [k] incendunt clamoribus urbem.
At non Evandrum potis eſt vis ulla tenere,
Sed venit in medios, pheretro Pallanta repoſto
Procumbit ſuper, atque hæret lacrymanſque gemenſque.

[x] Junge *huic* potius *morti* quam *Turno*, quod quidam volunt. decuiſſet Turnum ſingulari potius certamine mecum decertaſſe, quam hunc ſuorum fudiſſe ſanguinem. ut *his telis*.
[y] Vixiſſet. Syncope.
[z] Infenſo odio & ad criminandum ſemper promptо.
[a] Cælitibus ob pietatem & virtutem æquem? *vel*, ad cœlum te laudibus tollam?
[b] Conſtructio Græca, τῆς δικαιοσύνης σε θαυμάσαιμι ἄν; & ſubintelligendum ἕνεκα.
[c] Faro tibi debita novæ urbis mœnia.
[d] Ad tempus media & quaſi depoſita, quæ non terminet, ſed differat bellum. Induciis.
[e] Ancipiti, eſt enim *ferrum bipenne* Periphraſis *ſecuris* ἀμφήρης. Neque enim *bipenni* eſt ſubſtantivum conſtructione Græca, ut volunt.
[f] Funeream arborem, quæ & odorem in funere ipſo & famam fortiter cadentibus æternam referat,
[g] Eadem quæ nuper ferebat Pall. victorem & bello ſtrenuum.
[h] Ex urbe ad portas ruebant.
[i] Illuſtrat, ut ipſi agri diſcerni ac diſcriminari poſſent.
[k] Quaſi in publico incendio clamoribus omnia complent, miſcentque.

Et via vix tandem voci laxata dolore eſt,
Non hæc, ô Palla, dederas promiſſa parenti,
l Cautius ut ſævo velles te credere Marti.
Haud ignarus eram, quantum nova gloria in armis
Et *m* prædulce decus primo certamine poſſet.
Primitiæ, juvenis, miſeræ, bellique propinqui
n Dura rudimenta; & nulli exaudita deorum
Vota, preceſque meæ. tuque, ô, *o* ſanctiſſima conjux,
Felix morte tua, neque in hunc ſervata dolorem.
Contra ego vivendo *p* vici mea fata, ſuperſtes
Reſtarem ut genitor, *q* Troum ſocia arma ſequutum
Obruerent Rutuli telis, animam ipſe dediſſem:
Atque hæc pompa domum me, non Pallanta referret.
r Nec vos arguerim, Teucri, nec fœdera, nec quas
Junximus hoſpitio dextras; ſors iſta ſenectæ
Debita erat noſtræ. quod ſi immatura manebat
Mors natum, cæſis Volſcorum millibus ante,
ſ Ducentem in Latium Teucros cecidiſſe juvabit.
Quin ego non alio digner te funere Palla,
Quam pius Æneas, & quam magni Phryges & quam
Tyrrhenique duces, Tyrrhenûm exercitus omnis.
Magna Trophæa ferunt, quos dat tua dextera letho,
t Tu quoque nunc ſtares immanis truncus in armis,
Eſſet par ætas, & idem ſi robur ab annis,
Turne; ſed infelix Teucros quid demoror armis?
Vadite, & hæc memores regi mandata referte:
Quod vitam moror inviſam, Pallante perempto,
Dextera cauſſa tua eſt, Turnum gnatoque patrique
u Quam debere vides: meritis vacat hic tibi ſolus
Fortunæque locus: non vitæ gaudia quæro,
Nec fas: ſed gnato manes perferre ſub imos.
Aurora interea miſeris mortalibus almam
Extulerat lucem, referens opera atque labores,
Jam pater Æneas, jam curvo in litore Tarchon
Conſtituêre pyras: huc corpora *x* quiſque ſuorum
More tulere patrum, ſubjectuſque ignibus atris
Conditur in tenebras altum *y* caligine cœlum.
z Ter circum accenſos cincti fulgentibus armis

l Casta ſit ut virtus, nec te temerarius ardor, &c. Mart. 6. l. 25. ep.
m Belli gloria inexpertis nimium dulcis.
n Infelicia tyrocinia
o Caſta, pia.
p Inverſo & præpoſtero fatorum ordine, filio meo ſuperſtes.
q Æquius fuerat me ſequutum Trojana arma mortem oppetiiſſe, quam te.
r Quin & abſolvo Teucros. miſero meo fato magis imputo.
ſ Solatio tamen mihi eſt, Teucros nati mei ductu licet ſibi exitiali mihique triſti Latio conſediſſe, cæſis tamen tot ab illo hoſtibus quorum huc allata video trophæa —— *t* —— Quibus & adjiceretur trophæum de Turno, fuiſſet modo Pallas meus æqualis illi ætate. *u* Quam ultricem necis filii mei futuram & ſpero, & ob hoc ſolum in vita maneo, ut interfecti Turni nuncium ad natum ipſe moriens deferam. *x* Æneas Trojanos, Tarchon Etruſcos ſuos, uterque Arcadas: more patrio. *y* Fumea. *z* Pulchra funebris Pompæ hypotypoſis, nec cedens illi quæ 6. l. in funere Miſeni. Namque hic pyræ luſtratio trigemina, luctus, ululatus, lacrymis ſparſum ſolum, ſparſa arma, tubicines, ſpolia hoſtium, tela ſua, hoſtiæ, buſtum, oſſilegium, tumuli.

Decur-

Decurrêre rogos ; ter mœstum funeris ignem
Lustravere in equis, ululatusque ore dedere.
Spargitur & tellus lacrymis, sparguntur & arma:
It cœlo clamorque virûm, clangorque tubarum.
Hinc alii spolia occisis direpta Latinis
Conjiciunt igni, galeas, ensesque decoros,
Frænaque, *a* ferventesque rotas: pars munera nota,
Ipsorum clypeos, & non felicia tela.
Multa boum circa mactantur corpora *b* morti:
Setigerosque sues, raptasque ex omnibus agris
In flammam jugulant pecudes: tum litore toto
Ardentes spectant socios, semiustaque servant
Busta; neque avelli possunt, *c* nox humida donec
Invertit cœlum stellis fulgentibus *d* aptum.
Nec minus & miseri diversa in parte Latini
e Innumeras struxere pyras, & corpora partim
Multa virûm terræ infodiunt: *f* avectaque partim
Finitimos tollunt in agros, urbique remittunt.
Cætera, confusæque ingentem cædis acervum,
Nec numero, nec honore cremant, tunc undique vasti
Certatim crebris collucent ignibus agri.
Tertia lux gelidam cœlo dimoverat umbram:
Mœrentes *g* altum cinerem, & confusa ruebant
Ossa focis, tepidoque onerabant aggere terræ.
Jam vero in tectis prædivitis urbe Latini
Præcipuus fragor, & longe pars maxima luctus.
Hic matres, miseræque nurus, hîc chara sororum
Pectora mœrentum, puerique parentibus orbi,
Dirum execrantur bellum, *h* Turnique hymenæos:
Ipsum armis, ipsumque jubent decernere ferro,
Qui regnum Italiæ, & primos sibi poscat honores.
i Ingravat hæc *k* sævus Drances, solumque vocari
Testatur, solum posci in certamina Turnum.
Multa simul contra variis sententia dictis
Pro Turno, & magnum *l* reginæ nomen obumbrat;
Multa virum meritis sustentat fama trophæis.
Hos inter motus medio flagrante tumultu,
Ecce super mœsti magni Diomedis ab urbe
m Legati responsa ferunt: nihil omnibus actum

a Quondam in cursu, ferventes continuo motu.
b Morte, simpliciter; non Morti, tanquam numini, ut volunt quidam.
c Namque ossilegium de nocte erat, si plane essent combusti: alias exstinguebatur flamma vino, & die sequente rursus accensa.
d Ἀπτόν, ἄρμον, stellis quasi clavis fixum & distinctum.
e Utpote longe majori clade affecti.
f Amicorum cada vera nota in agros & urbes cremanda mittuntur. cætera congesta in rogos acervatim. *g* Eruebant ossa & cineres e focis, quæ terræ mandabant. extructo aggere. *h* Turnum Laviniæ nuptias quasi sponsalium jure sibi debitas poscentem. *i* Ut qui eadem audierat ex ore Æneæ, supra, *Æquius huic Turno fuerat se opponere morti. Si bellum finire manu, si pellere Teucros Apparat, his decuit mecum concurrere telis.* *k* Infestus Turno. *l* Amatæ favor Turno profuit. *m* Venulus, aliique, missi a Latino, Turno, Mezentio ad Argyripam petitum auxilia a Diomede, l. 1. per initia.

Tantorum impensis operum : nil dona, nec aurum,
Nec magnas valuisse preces : alia arma Latinis
Quærenda, aut [n] pacem Trojano ab rege [n] petendum.
Deficit ingenti luctu rex ipse Latinus.
Fatalem Æneam manifesto numine ferri,
Admonet ira deûm, tumulique ante ora recentes.
Ergo concilium magnum, primosque suorum
Imperio accitos alta intra limina cogit.
Olli convenêre, fluuntque ad regia plenis
Tecta viis. sedet in mediis & maximus ævo,
[o] Et primus sceptris, haud læta fronte, Latinus.
Atque hic legatos* Ætola ex urbe remissos,
Quæ referant, fari jubet, & responsa reposcit
Ordine cuncta suo: tunc facta silentia linguis,
Et Venulus dicto parens, ita farier infit:
Vidimus, ô cives, Diomedem, Argivaque castra,
Atque iter emensi casus superavimus omnes,
Contigimusque manum qua concidit [p] Ilia tellus.
Ille urbem [q] Argyripam patriæ cognomine gentis,
Victor [r] Gargani condebat [r] Iapygis agris.
Postquam introgressi, & coram data copia fandi;
[s] Munera præferimus, nomen, patriamque docemus;
Qui bellum intulerint, quæ causa attraxerit Arpos.
Auditis ille hæc placido sic reddidit ore:
O fortunatæ gentes, Saturnia regna,
Antiqui Ausonii, quæ vos fortuna quietos
Sollicitat, suadetque ignota lacessere bella?
Quicunque Iliacos ferro [t] violavimus agros,
(mitto ea quæ muris bellando exhausta sub altis,
[u] Quos Simoïs premit ille viros) infanda per orbem
Supplicia, & scelerum pœnas expendimus omnes.
[x] Vel Priamo miseranda manus. [y] scit triste Minervæ
[z] Sidus, & Euboïcæ cautes, ultorque Caphareus.
Militia ex illa diversum ad littus abacti,
[a] Atrides Proteï Menelaus ad usque columnas
Exulat; [b] Ætnæos vidit Cyclopas Ulysses.

[n] Αἴτιον εἰρήνην. Græcissimus Lucretio familiaris. *Pœnas in morte timendum.* &, *motu privandum est corpora.*

[o] Ut ætate, ita imperio primus. Alii, primus inter sceptriferos duces, Turnum, Mezentium, &c. ut qui sceptris innixi curiam intrarint. 8. Æn. *Quam Turno regi*, &c.

* Ætola urbs est Arpi.

[p] Urbs Ilii.

[q] Argyripam, Arpos, hodie, *Monte S. Angelo.* Argos hippion, ut volunt, a Diomede dictam 9. Ἄργος ἱππόβοτον.

[r] Gargani Iapygii. est a. Iapygia pars Apuliæ in qua mons Garganus.

[s] Pro more gentium, ut legati semper munera ferant.

[t] Tanquam sacros. seq. inde sceleste *supplicia expendimus.*

[u] Qui pro sepulchro habuerunt Simoenta fl.

[x] *Miseranda vel hasti*; Ovid 6. Metam.

[y] Testis & infensæ Minervæ ira tempestas concitata, qua naufragi allisi sumus ad rupes Euboicas & promontorium Capharea.

[z] Solino 17. c. Arcturus; aliis Aries; aliis, ipsa Minerva tempestatem ex fideris ortu concitans; aliis fax, quam Nauplius Palamedis filii mortem ulturus, Minervæ suasu extulit noctu Græcis tempestate laborantibus, quasi signum portus; unde illi ad Capharea & cautes Euboicas naufragi interierunt.

[a] Menelaus delatus ventis ad Ægypti fines ubi regnabat Proteus, ibi exulavit.

[b] Ulysses longis erroribus per Siciliam, Cyclopas, &c. vectus.

Regna

Regna [c] Neoptolemi referam, [d] versosque penates
Idomenei, [e] Lybicove habitantes litore Locros?
[f] Ipse Mycenæus magnorum ductor Achivûm
Conjugis infandæ prima inter limina dextrâ
Oppetiit, devicta Asia subsedit adulter.
[g] Invidisse deos, patriis ut redditus oris,
Conjugium optatum, & pulchram Calydona viderem?
Nunc etiam horribili visu portenta sequuntur:
[h] Et socii amissi petierunt æthera pennis,
Fluminibusque vagantur aves (heu dira meorum
Supplicia) & scopulos lacrymosis vocibus implent.
Hæc adeo ex illo mihi jam [i] speranda fuerunt
Tempore, cum ferro [k] cœlestia corpora demens
Appetii, & Veneris violavi vulnere dextram.
Ne vero, ne me ad tales impellite pugnas.
Nec mihi cum Teucris ullum post eruta bellum
Pergama; nec veterum memini [l] lætorve malorum.
Munera, quæ patriis ad me portatis ab oris,
Vertite ad Æneam: stetimus tela aspera contra,
Contulimusque manus: [m] experto credite, quantus
In clypeum assurgat, quo turbine torqueat hastam.
Si duo præterea tales Idæa tulisset
Terra viros; ultro Inachias venisset ad urbes
[n] Dardanus, & versis lugeret Græcia fatis.
Quicquid apud duræ cessatum est mœnia Trojæ,
Hectoris, Æneæque manu victoria Grajûm
Hæsit, & in decimum vestigia rettulit annum.
[o] Ambo animis, ambo insignes præstantibus armis:
Hic pietate prior. coëant in fœdera dextræ,
[p] Qua datur: ast, armis concurrant arma, cavete.
Et responsa simul quæ sint, rex optime regum,
Audisti, & quæ sit magno sententia bello.
Vix ea legati: variusque per ora cucurrit

[c] Ab Oreste cæsi. ut pag. 168. v. 1.
[d] Ad alium translatos, ipso a civibus pulso, quod filium, ex voto licet, immolasset.
[e] Ajacis socios a Trojano bello redeuntes, ad Pentapolim Africæ delatos.
[f] Agamemn. Asia devicta, redux ab uxore Clytæmnestra & Ægystho adultero, lecti, vitæ, regni subsessore cæsus est.
[g] Referamne & mihi invidisse Deos? Namque Venus ultura vulnus quod a me acceperat bello Trojano Iliad. 5. summisit adulterum Stheneli filium, uxoris meæ Ægialæ corruptorem. Unde patriam Ætoliam, in qua Calydon urbs, fugiens huc in Apuliam migravi. [h] De sociis Diomedis in aves, quas Diomedæas, Græci ἐρωδίους, nos *herons* vocamus, Ovid. 24. Met. [i] Expectanda. timenda. *Sperare* mediæ atque ambiguæ significationis vocem esse diximus ad l. 1. *At sperate Deos memores fandi atque nefandi.* p. 126. m. [k] Martis & Veneris. Iliad. 5. modo g. [l] Supra hoc l. *quas illi læta laborum Ipsa suis*, &c. Cui non dissimilis, & illa constructio, *Iustitiæne prius mirer, belline laborum?* supra hoc lib. [m] Qui cominus sensi, quantum valeat impulsu clypei in congressu ἐπαλμένος; eminus, quantum valeat jactu hastæ. Saltus quoque & ictus facere pariter assuescant, insurgere tripudiantes in clypeum, rursusque subsidere. Vegetius lib. 2. c. 16. [n] Dardanius. Trojani lacessivissent Græciam, quæ, vice versa, lugeret victa, quæ nunc victrix. [o] Εκτωρ, Αἰνείας θ' οἱ Τρώων εἰσὶν ἄριστοι. Iliad. 17. [p] Quacunque ratione aut conditione licet, & permittitur.

Ausonidum turbata fremor: *q* ceu, saxa morantur
Cum rapidos amnes, clauso fit gurgite murmur,
Vicinæque fremunt ripæ crepitantibus undis.
Ut primum placati animi, & trepida ora quierunt,
r Præfatus divos, solio rex infit ab alto:
Ante equidem summa de re statuisse, Latini,
Et vellem, & fuerat melius; non tempore tali
Cogere concilium, cum muros obsidet hostis.
Bellum importunum, cives, cum *s* gente deorum,
Invictisque viris gerimus, *t* quos nulla fatigant
Prælia: nec victi possunt absistere ferro.
Spem, si quam accitis Ætolûm habuistis in armis,
Ponite: spes sibi quisque: sed, hæc quam angusta, videtis.
u Cætera qua rerum jaceant perculsa ruinâ,
Ante oculos, interque manus sunt omnia vestras.
Nec quenquam incuso: potuit quæ plurima virtus
Esse, fuit: toto certatum est *x* corpore regni.
Nunc adeo quæ sit dubiæ sententia menti,
Expediam, & paucis (animos adhibete) docebo.
y Est antiquus ager, *z* Thusco mihi proximus amni,
a Longus in occasum, *b* fines super usque Sicanos:
Arunci Rutulique serunt, & vomere duros
Exercent colles, atque *c* horum asperrima pascunt.
Hæc omnis regio, & celsi plaga pinea montis
Cedat amicitiæ Teucrorum: & *d* fœderis æquas
Dicamus leges, sociosque in regna vocemus:
Considant, si tantus amor, & mœnia condant.
Sin alios fines, aliamque capessere gentem
Est animus, *e* possuntque solo decedere nostro;
f Bis denas Italo texamus robore naves,
Seu plures complere valent: jacet omnis ad undam
g Materies: ipsi numerumque, modumque carinis
Præcipiant: nos æra, manus, navalia demus.
Præterea, qui dicta ferant, & fœdera firment,
Centum oratores prima de gente Latinos
Ire placet, *h* pacisque manu prætendere *h* ramos,

q Μέγ' ἴαχον, ὡς ὅτε κῦμα Αντῃ ἐφ' ὑψηλῇ, &c. Il. 2.

r Præmissa precatione & invocatione deorum. Pro more veterum orationum.

s Originem ducente a diis, propter Æneam, nec non Dardanios.

t Hinc Annibali suo dat orationem illam Livius. Cum eo hoste res est, qui nec bonam nec malam ferre fortunam potest, seu vincit, ferociter instat victis; seu victus est, instaurat cum victoribus certamen.

u Spes, res, vires, auxilia.

x Et animo. totis viribus.

y Livio, Sisenna, Catone, aliis adductus autoribus contendit Servius contra Donatum, Romanos in fœdere cum Latino accepisse agrum qui est inter Laurentum & castra Trojana, jugerum 700. *z* Tiberi. *a* Hostiam versus. *b* In tractum illum Latii, ubi nunc Roma est, olim *gentes venere Sicanæ*. l. 8. Quos inde Ligures expulerunt, hos Sacrani, sed & hos Aborigenes. & 7 *veteresque Sicani, Et Sacranæ acies*. *c* Loca montosa & sylvis aspera in pascuorum usum vertunt. *d* Secundi generis eorum quæ a Livio statuuntur 24. l. 1 quod victi accipiebant a victoribus. 2 quo pares bello inter se coibant. 3 quo convenerunt qui numquam hostes fuere. *e* Al. *possuntque*. *f* Quo numero instructi Æneadæ mare conscenderant. l. 9. *g* Materiam, sumptus, artifices, alia quæ fabricæ necessaria. *h* Oleam, pacis insigne, a legatis prælatam.

i Mu-

i Munera portantes eborisque, aurique talenta,
k Et sellam, regni *l* trabeamque insignia nostri.
Consulite *m* in medium, & rebus succurrite fessis.
Tum Drances idem infensus, quem gloria Turni
n Obliqua invidia stimulisque agitabat amaris,
Largus opum, & lingua melior, sed frigida bello
Dextera, consiliis habitis non futilis auctor,
Seditione potens (*o* genus huic materna superbum
Nobilitas dabat, incertum de patre ferebat)
Surgit, & his onerat dictis, atque aggerat iras.
Rem nulli obscuram, nostræ nec vocis egentem
Consulis, ô bone rex: cuncti se scire fatentur
Quid fortuna ferat populi, sed dicere *p* mussant.
Det *q* libertatem fandi, *r* flatusque remittat,
Cujus ob *s* auspicium infaustum, moresque siniſtros
(Dicam equidem, licet arma mihi mortemque minetur)
Lumina tot cecidisse ducum, totamque videmus
t Consedisse urbem luctu: dum Troia tentat
Castra, *u* fugæ fidens, & cælum territat armis.
Unum etiam donis istis, quæ plurima mitti
x Dardanidis, *y* ducique jubes, unum, optime regum,
Adjicias, nec te ullius violentia vincat,
Quin gnatam egregio genero, dignisque hymenæis
Des pater, & pacem hanc æterno fœdere jungas.
z Quot si tantus habet mentes & pectora terror;
Ipsum obtestemur, veniamque oremus ab ipso:
Cedat jus proprium regi, patriæque remittat.
Quid miseros toties in aperta pericula cives
Projicis? ô Latio caput horum & causa malorum.
Nulla salus bello: pacem a te poscimus omnes,
Turne, simul pacis solum inviolabile pignus.
Primus ego, invisum quem tu tibi fingis (& esse
Nil moror) & suppliex venio; miserere tuorum;
Pone animos, & *b* pulsus abi, sat funera fusi
Vidimus, ingentes & *c* desolavimus agros.

i Ex consilio Diomedis, supra.
k Cum respectu ad Romanos, qui regibus bene meritis & sociis summo pro munere mittebant sellam eburneam curulem, quali vehebantur magistratus sui præcipui, Ædiles, Prætores, Consules.
l Trabea erat vestis Romana segmentis varii coloris instar trabium limis & obliquis picta, eaque Regia, Quirinalis, vel Trossula, Equitum. supra l. 7.
m Εἰς κοινὸν.
n Non directa, sed per latus Reip. & prætextu boni publ.
o Hominem lingua magis quam mana strenuum aptissime inducit materno quam paterno genere clariorem. *gli fatti sono maschi, le parole femine.* *p* Contra Turnum clare eloqui non audent, ne mutire quidem: mussant ergo, & intra se murmurant. μύζουσι. *q* Παῤῥησίαν. *r* Φύσημα, spiritus altos. *s* Inauspicatos ductus. *t* Clade afflictam in luctu jacere. *u* Fugam Turno objicit, quod falsam Æneæ imaginem a Junone objectam quo Turnum eriperet, insequutus a prælio fuerit subductus. l. 10. p. 325. *x* Cognatis, civibus, oriundis a Dardano, qui hinc ex Italia profectus. *y* Al. *Dicique.* *z* Quod si per Turnum facere non audes, oremus ipsum tandem ut patiatur te Regem ac patrem uti jure tuo. Invidiose & Ironice. *a* O Turne. *b* Respicit commentum illud Junonis, quo subtrahebatur Turnus l. 10. modo nota ut *c* Inarates reliquimus, ut quibus desunt manus agricolarum, abductis ad bella colonis.

Aut (si fama movet, si tantum pectore robur
Concipis, & si adeo *d* dotalis regia cordi est)
Aude atque *e* adversum fidens fer pectus in hostem.
f Scilicet, ut Turno contingat regia conjux.
Nos, animæ viles, inhumata infleraque turba,
Sternamur campis: etiam tu, siqua tibi *g* vis,
Si patrii quid Martis habes, illum aspice contra,
Qui vocat.
Talibus exarsit dictis *h* violentia Turni:
Dat gemitum, rumpitque hæc imo pectore voces:
i Larga quidem semper tibi, Drance, copia fandi,
Tunc cum bella manus poscunt, patribusque vocatis
Primus ades: sed non replenda est curia verbis,
k Quæ tuto tibi magna volant, dum *l* distinet hostem
Agger murorum, nec inundant sanguine fossæ.
Proinde tona eloquio, *m* solitum tibi, meque timoris
Argue tu Drance: *n* tot quando stragis acervos
Tet crorum tua dextra dedit, passimque trophæis
Insignis agros: possit quid vivida virtus,
Experiare licet: nec longe scilicet hostes
Quærendi nobis: circumstant undique muros.
o Imus in adversos? quid cessas? an tibi Mavors
Ventosa in lingua, pedibusque fugacibus istis
Semper erit?
p Pulsus ego? aut quisquam merito, fœdissime, pulsum
Arguet? Iliaco tumidum qui crescere Tibrim
Sanguine, & *q* Evandri totam cum stirpe videbit
Procubuisse domum, atque exutos Arcadas armis?
Haud ita me experti Bitias & Pandarus *r* ingens,
Et quos mille die victor sub Tartara misi,
s Inclusus muris, hostilique aggere sepsi.
t Nulla salus bello: *u* capiti cane talia demens
Dardanio, rebusque tuis: proinde omnia magno
Ne cessa turbare metu, atque extollere vires

d Regnum Latini, quod tu tibi dotale ex nuptiis Laviniæ tibi deberi credis & spe devorasti.
e Tu singulari certamine cum Ænea congredere.
f Nos interea, ut tu potiaris Lavinia & regno, macte mur tanquam viles more pecudum, honore funeris & luctus destituti.
g Virtus.
h Turnus ipse. ut εἰσ Ηρακλέης μὲν Αλκηγόοιο. *Scipiadem virtus, sapientia Lælii.*
i Superest quidem tibi eloquentia, sed importuna & impotens. poscunt hæc tempora non in Curia orationem, sed urbis propugnationem. Recriminationis, ut & translati criminis artem in hac Turni oratione lege apud Jul. Scal. 3. 1 poet. c. 25. *k* Quæ tibi incolumi & in pacis tempore fluunt. Alii, *imo.* *l* Arcet, διέργει. *m* Pro more tuo, quod facere soles. *u* Ironia acerbiss. *o* Quin age, progrediamur in hostem jam in proximo experturi uter nostrum fortior, quid, an cessas ire? *Tutius est igitur vana contendere lingua, Quam pugnare manu.* *p* Respondet ad illa quæ dixerat Drances, *fugæ fidens & pulsus ubi.* vide not. *u.* & *b.* *q* Cæso Pallante filio ejus unico. *r* Gigantææ molis uterque l. 9. *s* Intra ipsa hostium castra, sub fine l. 9. *t* Repetit cum indignatione & Ironice, verba hæc Drancis. *u* Æneæ tuo, gentique quam sic extollis; nimirum quia bis victam; sub Hercule primum, mox sub Agamemnone, quam tamen tu, pro mendaci tua eloquentia, argues terrori fuisse Græcis, æque verax, ac si diceres flumina Italæ præ metu Trojanorum retro fugere.

Gentis

Gentis his victæ, contra premere arma Latini.
Nunc & Myrmidonum proceres Phrygia arma tremi-
(scunt,
Nunc & Tydides, & Lariſſæus Achilles:
Amnis & Adriacas retro fugit x Aufidus undas.
Vel cum ſe pavidum contra mea jurgia fingit
y Artificis ſcelus, & formidine crimen acerbat.
z Nunquam animam talem dextra hac (abſiſte moveri)
Amittes: habitet tecum, & ſit pectore in iſto.
Nunc ad te, & tua (magne a pater) b conſulta revertor.
c Si 1 nullam noſtris ultra ſpem ponis in armis;
2 Si tam deſerti ſumus, 3 & ſemel agmine verſo,
Funditus occidimus, 4 nec habet fortuna regreſſum:
Oremus pacem, & dextras tendamus inermes.
d (Quanquam ô! ſi ſolitæ quidquam virtutis adeſſet,
Ille mihi ante alios, e fortunatuſque laborum,
Egregiuſque f animi, qui ne quid tale videret,
Procubuit moriens, & g humum ſemel ore momordit.)
1 Sin & opes nobis, & adhuc intacta juventus,
2 Auxilioque urbes Italæ populique ſuperſunt:
3 Sin h & Trojanis, cum multo gloria venit
Sanguine: ſunt illis ſua funera, parque per omnes
Tempeſtas: cur indecores in limine primo
Deficimus? i cur ante tubam tremor occupat artus?
Multa dies variuſque labor mutabilis ævi
Rettulit in melius: 4 multos k alterna reviſens
Luſit, & in ſolido rurſus fortuna locavit.
l Non erit auxilio nobis Ætolus, & Arpi?
At Meſſapus erit, felixque Tolumnius: & quos
Tot populi miſere duces: m nec parva ſequetur
Gloria delectos Latio & Laurentibus agris.
Eſt & Volſcorum egregia n de gente Camilla,
Agmen agens equitum, & florentes ære catervas.
o Quod ſi me ſolum Teucri in certamina poſcunt:

x Apuliæ fl. ſe in mare Adriat. cum exonerans.
y Artifex ſceleſtus. i. Drances, qui dixerat, *licet arma mihi mortemque minetur.*
z Per me fruere anima ignava, & indigna qua inquinetur manus mea. *Nos hac a ſcabie tenemus ungues.*
a Latine.
b Conſultationes, Latinus hortatus fuerat, *conſulite in medium.*
c Objectiones 4 diluit diſerte, rationibus contra allatis totidem. 1. 2. 3. 4.
d Ἀποσιώπησις. quaſi abhorrentis illud *Oremus pacem*, qua tam iniqua & indigne petita quando honeſtius foret emori, ſi quid antiquæ virtutis nobis ineſſet. felices itaque ii pronunciandi ſunt qui in acie fortiter ceciderunt, neque indigna hæc vident.
e Feliciter functus laboribus vitæ. Hellen. ut *Egregius animi* —— *f* —— Loci in quo eſt paſſio. egregium referens animum.
g Quod in bello cadentes, facere ubique memorant Poetæ Græci & Latini. ὀδὰξ ἔλον οὐδας. Il. 11. rabie ſc. & indignatione, ἐσφιγξε μεμηνότα γαίαν ὀδόντι. Nonn. 22. & de Pallant. l. 10.
h Neque Trojanis ceſſit incruenta victoria; ſed plane Cadmæa.
i Cur ante claſſicum trepidi male ominamur belli exitum?
k Ἀλλοπρόσαλλος.
l Quid ſi Græculus ille, Diomedem innuit, iners & infelix, quod accepiſtis ex oratione legatorum, neget auxilia: at certe aderit nobis Meſſapus fortis, utpote invulnerabilis l. 7. & Tolumnius augur felix, l. 8.
m Alii, *nec tarda*. ut Græcis poſt decennium.
n De Camilla & cataphractis ſuis vide quæ ad l. 7. ſub fine. ubi & hoc hemiſtichium cum ſeq. verſu habetur.
o Ad id reſp. quod in fine orationis adjecerat Drances, provocatum Turnum ab Æneа, ut ſingulari certamine rem decernerent.

Idque placet, tantumq; bonis communibus obſto: 435
Non adeo has exoſa manus victoria fugit,
Ut tanta quicquam pro ſpe tentare recuſem.
Ibo animis contra[c] vel magnum præſtet Achillem,
Factaque Vulcani manibus paria induat arma
Ille licet, vobis animam hanc, ſoceroque Latino, 440
Turnus ego, haud ulli veterum virtute ſecundus,
[p] Devoveo. ſolum Æneas vocat? & vocet, oro.
[q] Nec Drances potius, ſive eſt hæc ira deorum,
Morte luat; ſive eſt virtus & gloria, tollat.
Illi hæc inter ſe dubiis de rebus agebant 445
Certantes: caſtra Æneas aciemque movebat.
Nuncius ingenti per regia tecta tumultu
Ecce ruit, magniſque urbem terroribus implet,
Inſtructos acie Tyberino à flumine Teucros,
Tyrrhenamque manum totis deſcendere campis. 450
Extemplo turbati animi, concuſſaque vulgi
Pectora, & arrectæ ſtimulis haud mollibus iræ.
[r] Arma manu trepidi poſcunt, fremit arma juventus:
Flent mœſti [ſ] muſſantque patres: hic undique clamor
Diſſenſu vario magnus ſe tollit in auras. 455
Haud ſecus atque alto in luco cum forte catervæ
Conſedere avium, piſcoſove amne [t] Paduſæ
Dant ſonitum [u] rauci per ſtagna loquacia cygni.
[x] Imo, ait, ô cives, [y] arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, & pacem laudate ſedentes: 460
Illi armis in regna ruunt. Nec plura loquutus
Corripuit ſeſe, & rectis citus extulit altis.
Tu, Voluſe, armari Volſcorum [z] edice [a] maniplis,
Duc, ait, & Rutulos: equites Meſſapus in armis,
Et cum [b] fratre Coras latis diffundite campis. 465
Pars aditus urbis firment, turreſque capeſſant:
Cætera, [c] qua juſſo, mecum manus inferat arma.
Ilicet in muros tota diſcurritur urbe.
Concilium ipſe pater & magna incæpta Latinus
Deſerit, ac triſti turbatus tempore differt, 470

[p] Alluſum ad morem & formulam Rom. ducum ſe pro legionibus & patria devoventium, de Deciis lib. 6. pag. 262. & Liv. lib. 9.

[q] Neque enim Dranci credo, ut, ſive hoc poſcat deorum ira, ille ſe devoveat, ſive hoc virtutis ſit, ille mihi devotionis gloriam præripiat. Ego Turnus nulli virtute ſecundus me pro vobis devoveo. *Aliter ſic.* Si vincar, ipſe volo deorum iram ſubire, non vulgi invidiam, ſi Drances lueret: ſi vincam, nolo meæ gloriæ Drances particeps ſit. ut *tollere* ſignificet ἀίρεσθαι κῦδος. Alii aliter concipiunt. ſuo quiſque libere utatur ingenio & judicio. Neque tamen ego prior illi meæ expoſitioni obſtinate adhæreo. [r] Animis, ira, manu, voce, fremitu arma poſcunt, ad arma conclamant. [ſ] Intra ſe murmurant, mutiunt. ſupra. *ſed dicere muſſant.* [t] Quam alii foſſam, alii caput, partem alii ſtatuunt Padi. Cluver. oſtium Padi. l. 1. Italiæ antiq. c. 15. [u] *Volucrum raucarum ad littora nubem.* Æn. 7. [x] Scoptica reprehenſio conſultantium, ubi armis uſus erat, [y] Sumpta hac occaſione. [z] Edic. [a] Reſpicit Rom. militiam. ubi ante vexilla inventa pro vexillis erant manipuli fœni vel ſtipulæ ſingulis contuberniis. Veget. autem l. 2. c. 13. Contubernium manipulus vocatur, ab eo, quod conjunctis manibus pariter dimicabant. [b] Catillo. l. 7. [c] In omnem occaſionem & eventum.

d Multaque se incusat, qui non acceperit altro
Dardanium Æneam, generumque adsciverit urbi.
e Præfodiunt alii portas, aut *f* saxa, sudesque
Subvectant: bello dat signum rauca cruentum
Buccina: tunc muros varia cinxere corona,
Matronæ puerique: vocat *g* labor ultimus omnes.
Nec non ad templum, summasque ad Palladis arces
h Subvehitur magna matrum regina caterva,
i Dona ferens: juxtaque comes Lavinia virgo,
Causa mali tanti, atque oculos dejecta decoros.
Succedunt matres, & templum & thure vaporant,
Et mœstas alto fundunt de limine voces.
k Armipotens belli præses Tritonia virgo,
Frange manu telum Phrygii prædonis, & ipsum
Pronum sterne solo, portisque effunde sub altis.
l Cingitur ipse furens certatim in prælia Turnus:
Jamque adeo Rutulum *m* thoraca indutus, ahenis
Horrebat squamis, surasque incluserat *n* auro.
o Tempora nudus adhuc, laterique accinxerat ensem,
Fulgebatque alta decurrens aureus arce,
Exultatque animis, & spe jam præcipit hostem.
p Qualis ubi abruptis fugit præsepia vinclis
Tandem liber equus, campoque potitus aperto,
Aut ille in pastus armentaque tendit equarum:
Aut assuetus aquæ perfundi flumine noto
Emicat, arrectisque fremit cervicibus alte
Luxurians, luduntque jubæ per colla, per armos.
Obvia cui Volscorum acie comitante Camilla
Occurrit, portisque ab equo regina sub ipsis
q Desiluit: quam tota *r* cohors imitata, relictis
Ad terram *s* defluxit equis. tum talia fatur:
Turne, sui merito siqua est fiducia forti,
Audeo & Æneadum promitto occurrere turmæ,
Solaque Tyrrhenos equites ire obvia contra.
Me sine prima manu tentare pericula belli:
Tu pedes ad muros subsiste, & mœnia serva.
Turnus ad hæc, oculos *t* horrenda in virgine fixus,

d Πολλὰ, multum.
e Ducunt fossas ante portas. ut ex præcepto Turni *aditus urbis firment.*
f Ad feriendum & repellendum hostem.
g Extrema necessitas, quasi ille dies vitæ aut mortis, libertatis aut servitutis futurus sit arbiter.
h Pilento. ut lib. 8. *castæ ducebant sacra per urbem Pilentis matres in mollibus.*
i Et in his peplum, ut Iliades Æn. 1. & Il. 7.
k Πότνι' Ἀθηναίη, ἐρυσίπτολι, δῖα θεάων Ἄξον δὴ ἔγχος Διομήδεος. &c. Il. 6. comparat utrumque Scal. l. 5. c. 3.
l Et hunc Turni apparatum confert Scal. l. 5. c. 3. cum illo Achillis se accingentis armantisque Iliad. 19. Κνημῖδας μὲν πρῶτον, &c. *m* Loricam aheneis laminis in speciem squammarum contextam. *n* Aureis ocreis. *o* Quo obequitans agnosceretur a suis, dum oratione eos cohortaretur. *p* Ὡς δ' ὅτε τις στατὸς ἵππος ἀκοστήσας ἐπὶ φάτνῃ, &c. Il. 6. vide & Macrob. l. 6. c. 3. & Scal. Poet. lib. 5. c. 3. *q* Propere, salutatura Turnum ut exercitus ducem. *r* Turma, nam cohors proprie est equitum. *s* Notatur hoc verbo ars facilis descendendi ex equis & expedita. *t* Φοβερᾷ καὶ χαροπῇ. quod de Pallade dicit Cupido Luciani. Ἀρηΐᾳ κούρῃ de Penthesilea Calaber l. 1.

O decus Italiæ virgo, quas dicere grates,
Quasve referre parem? sed nunc (est omnia quando
Iste animus supra) mecum partire laborem.
Æneas (ut fama fidem, missique reportant
Exploratores) [u] equitum levia improbus arma
Præmisit, quaterent campos: ipse ardua montis
Per deserta jugo properans adventat ad urbem.
Furta paro belli convexo in tramite sylvæ,
Ut bivias armato obsidam militе fauces.
[x] Tu Tyrrhenum equitem collatis excipe signis:
Tecum acer Messapus erit, turmæque Latinæ,
[y] Tyburtique manus, ducis & tu concipe curam.
Sic ait, & paribus Messapum in prælia dictis
Hortatur, socioque duces: & pergit in hostem.
Est curva anfractu [z] vallis, accommoda [a] fraudi,
Armorumque dolis, quam densis frondibus atrum
Urget utrinque latus, tenuis qua semita ducit,
Angustæque ferunt fauces; adituque maligni.
Hanc super, in speculis summoque in vertice montis
Planities ignota jacet, tutique [b] receptus:
Seu dextra lævaque velis occurrere pugnæ,
Sive instare jugis, & grandia volvere saxa.
Huc [c] juvenis nota fertur regione viarum,
Arripuitque locum, & sylvis insedit iniquis.
Velocem interea [d] superis in sedibus Opim,
Unam ex [e] virginibus sociis sacraque caterva
Compellabat; & has tristeis Latonia voces
Ore dabat: Graditur bellum ad crudele Camilla,
O virgo, & nostris [f] nequicquam cingitur armis,
Cara mihi ante alias. nec enim novus iste [g] Dianæ
Venit amor, subitaque animum dulcedine movit.
Pulsus ob invidiam regno, [h] viresque superbas,
[i] Priverno antiqua Metabus cum excederet urbe,
Infantem fugiens media inter prælia belli
Sustulit exilio comitem, matrisque vocavit
Nomine Casmillæ, mutata parte [k] Camillam.

[u] Consilio satis callido atque improbo præmisit huc levis armaturæ equites, qui integrarum copiarum speciem ferant, & *Transmittant valido quaterent campos.* Luc. 2. l. Ipse interea valida manu per montis arduа properat, ex eminenti urbem obsessurus, quem mihi est animus, ex insidiis angustiarum, in itinere incautum ex improviso intercipere.

[x] Adverte hic dædalam Poetæ œconomiam, qui alio avocat duces primarios Æneam & Turnum, ut fœminæ interea locus sit edendi facinora. [y] Catillus & Corax Tyburti fratres. [z] Cæsura. Servius, ut metrum constet, legit, *valles*, unde vallecula, ut a *vulpes vulpecula*. [a] Insidiis, ἐνέδραις. quas modo dixit *furta belli, embuscades*. [b] Latebræ, & receptui locus, unde vel improvisi adoriri hostem conferta manu possint, vel, si velint, hostem e jugis utrinque montium telis & saxis obruere. huic loco non dissimiles Furcæ Candinæ, quas describit Liv. 9. l. [c] Turnus. [d] Cœlo. [e] Comitibus, nymphis. quin & ipsa Diana Opis vocabatur. Macrob. 5. l. Sat. c. 22. [f] Quippe hic peritura. [g] Mihi. [h] Potentiorum inimicorum. [i] Volscorum opp. ultra Setiam, hodie *Piperno*. [k] Qui sacerdotibus in sacris ministrabant pueri ἀμφιθαλεῖς patrimi matrimique vocabantur Camilli. inde Camillæ. Turneb. 14. c. 13. dici vult uti Camenæ nas, quæ prius Camœnæ, sed infra, Dianæ a patre vovetur famula λάτρις.

Ipse

Ipse sinu præ se portans juga longa petebat
Solorum nemorum: tela undique sæva premebant,
Et circumfuso volitabant milite Volsci.
Ecce, fugæ medio summis *l* Amasenus abundans
Spumabat ripis (tantus se nubibus imber
Ruperat) ille innare parans infantis amore
Tardatur, charoque oneri timet. omnia secum
Versanti, subito vix hæc sententia sedit.
Telum immane manu valida quod forte gerebat
Bellator, solidum nodis & robore *m* cocto,
Hunc natam, *n* libro & sylvestri subere clausam,
Implicat, atque habilem mediæ circumligat hastæ.
Quam dextra ingentem librans, ita *o* ad æthera fatur:
Alma tibi hanc nemorum cultrix Latonia virgo,
p Ipse pater famulam voveo; tua prima per auras
Tela tenens supplex hostem fugit: accipe, testor,
Diva, tuam: quæ nunc dubiis committitur auris.
Dixit, & adducto contortum hastile lacerto
Immittit. sonuere undæ, rapidum super amnem
q Infelix, fugit in jaculo stridente Camilla.
At Metabus, magna propius jam urgente caterva,
Dat sese fluvio, atque hastam cum virgine *r* victor
Gramineo, *s* donum Triviæ, de *t* cespite vellit.
Non illum tectis ullæ, non mœnibus urbes
Accepere: *u* (neque ipse manus feritate dedisset)
Pastorum & solis exegit montibus ævum.
Hic natam in dumis, interque horrentia lustra,
Armentalis equæ mammis, & lacte ferino
Nutribat, teneris immulgens ubera labris,
Utque pedum primis infans vestigia plantis
Institerat, jaculo palmas oneravit acuto,
Spiculaque ex humero parvæ suspendit & arcum,
x Pro crinali auro, pro longæ tegmine pallæ,
Tigridis exuviæ per dorsum à vertice pendent.
Tela manu jam tum tenerâ puerilia torsit,
Et fundam tereti circum caput *y* egit habena,
z Strymoniamque gruem, aut album dejecit olorem.

l Volscorum fl. videtur Poeta hoc ex historia Pyrrhi regis Epirotarum commentus. namque is puer fluvii obicem ægre trajectus contentissima fuga sibi consuluit.
m Durato ab ætate, Sole, igne, fumo, *ut ramale vetus vegrandi subere coctum.* Persius de hoc ipso Virgilii opere.
n Interiori arboris tunica & subere involutam, ut εὐπλεκὲς se haberet citra noxam, hastæ alligavit.
o Cœlum suspiciens precatur.
p Tuis telis alligatam, per nemora tua fugientem ab hostibus, tuæ curæ creditam, pater ego natam hanc meam tibi voveo, dico, do, ut tibi sacra serviat. modo nota *k*. Allusam simul a l morem & formulam a loptionis, quæ fiebat per armorum traditionem. *q* Misera. *r* Voti compos. l. 8. *mihi victor honorem Persolves.* *s* Filiam, Dianæ munere & opera incolumem. Al. quam pater Dianæ dederat. *t* Terra, in qua fixa erat hasta. *u* Neque ipse feræ vitæ assuetus cessisset, si qui eum excepisse voluissent. *Manus dare, herbam dare*, adagii formam obtinuerunt. *x* Pro vitta auro intexta, qua solent crines ligari. *y* Rotavit. *z* E Thracia advenam, a fl. Strymone.

[a] Multæ illam fruſtra Tyrrhena per oppida matres
Optavere nurum: ſola contenta Diana
[b] Æternum telorum, & virginitatis amorem
Intemerata colit: vellem haud correpta fuiſſet
Militia tali conata laceſſere Teucros;
Chara mihi comitumque foret nunc una mearum.
Verum age, quandoquidem fatis urgetur acerbis.
[c] Labere nympha polo, fineſque inviſe Latinos,
Triſtis ubi infauſto committitur omine pugna.
Hæc cape, & ultricem pharetra deprome ſagittam:
Hac quicunque ſacrum violarit vulnere corpus,
Tros Italuſve, mihi pariter det ſanguine pœnas.
Poſt ego [d] nube cava miſerandæ corpus & arma
Inſpoliata [e] feram tumulo, patriæque reponam.
Dixit. at illa leves cœli demiſſa per auras
Inſonuit, [f] nigro circumdata turbine corpus.
At manus interea muris Trojana propinquat,
Etruſcique duces, equitumque exercitus omnis,
[g] Compoſiti numero in turmas. fremit æquore toto
Inſultans ſonipes, & preſſis pugnat habenis
Huc obverſus & huc. tum late [h] ferreus haſtis
Horret ager, campique armis ſublimibus ardent.
Nec non Meſſapus contra, [i] celereſque Latini,
Et cum fratre Coras, & virginis [k] ala Camillæ:
Adverſi campo apparent, haſtaſque [l] reductis
Protendunt longe dextris, & ſpicula vibrant:
Adventuſque virûm, fremituſque ardeſcit equorum.
Jamque intra jactum teli progreſſus [m] uterque
Subſtiterat: ſubito erumpunt clamore, frementeſque
Exhortantur equos; fundunt ſimul undique tela
Crebra, nivis ritu: [n] cœlumque obtexitur umbra.
Continuo adverſis [o] Tyrrhenus, & acer Aconteus
Connixi incurrunt haſtis, primique ruinam
Dant ſonitu ingenti, [p] præfractaque quadrupedantum
Pectora pectoribus rumpunt. excuſſus Aconteus
Fulminis in morem, aut tormento [q] ponderis acti,
[r] Præcipitat longe, & vitam diſpergit in auras.

[a] Hoc noſter forte, ſed rectius; Ovidius certe illud, *Multi illum juvenes, multæ petiere puellæ* & quæ ſeq. 3. Met. Manifeſto a magiſtro ſuo Catullo ſumpſiſſe arguitur epigr. elegantiſſimo. 63.

[b] In æternum; neque enim *Amorem* conjungi volunt.

[c] Βάσκ' ἴθι Ἰρι τανύπτερε, μῖπου σ' ἑδὼ θυλύμποιο. Il. 23.

[d] Quæ Deorum machina fertur a Poetis.

[e] Τὸ γὰρ γέρας ἐστὶ θανόντων. Il. 16.

[f] Ad lucrum concolori nube tecta deſcendit. Venus contra ad lætitiam *ætheros inter dea candida nimbos Dona ferens aderat.* lib. 8.

[g] Diſtributi in turmas, turma autem conſtat ex 30. ut plurimum equitibus.

[h] Ferratis haſtis, non ſecus ac ariſtis horret ager.

[i] Reſpicit militiam Rom. & equites Romuli, quos *Celeres* appellavit.

[k] Auxiliorum & ſociorum. Quæ duxit Camilla. Alæ vero proprie equitum, ut Cornua peditum.

[l] Ad majorem impetum.

[m] Exercitus.

[n] Licuit ergo in umbra pugnare, quod dixit Lacon.

[o] Videtur hic eſſe Orphitus, cui a ſe interfecto infra inſultat Camilla. *Sylvis te, Tyrrhene, feras agitare putaſti?*

[p] Præfracta certe & confraga ſyllabarum aſperitas, repetitæque literæ caninæ conflictus aures perſtringit, atque incurſum utrumque exprimit.

[q] Pilæ ferreæ vel plumbeæ a tormento actæ.

[r] Præcipitatur, præceps ruit.

Extem-

Extemplo turbata acies, verſique Latini
Rejiciunt parmas ; & equos ad mœnia vertunt.
Troës agunt, princeps turmas inducit Aſylas.
Jamque propinquabant portis : ſ rurſuſque Latini
Clamorem tollunt, & mollia colla reflectunt :
t Hi fugiunt, penituſque datis referuntur habenis.
u Qualis ubi alterno procurrens gurgite pontus
Nunc ruit ad terras, ſcopuloſque ſuperjacet undam
Spumeus, extremamque ſinu perfundit arenam ;
Nunc rapidus retro atque æſtu revoluta reſorbens
Saxa, fugit, littuſque vado labente relinquit.
Bis Thuſci Rutulos egere ad mœnia verſos,
Bis rejecti armis reſpectant terga tegentes.
Tertia ſed poſtquam congreſſi in prælia totas
x Implicuere inter ſe acies, y legitque virum vir,
Tum vero & gemitus morientum, & ſanguine in alto
Armaque, corporaque, & permiſti cæde virorum
Semianimes volvuntur equi; pugna aſpera ſurgit.
Orſilochus Remuli (quando ipſum horrebat adire)
Haſtam intorſit equo, ferrumque ſub aure reliquit.
z Quo ſonipes ictu furit arduus, altaque jactat
Vulneris impatiens, arrecto pectore, crura.
Volvitur ille excuſſus humi. Catillus Iolam,
Ingentemque animis, ingentem corpore & armis
Dejicit a Herminium : nudo cui vertice fulva
Cæſaries, nudique humeri : nec vulnera terrent :
Tantus in arma patet. latos huic haſta per armos
Acta tremit, b duplicatque, virum transfixa, dolorem.
Funditur ater ubique cruor ; dant funera ferro
Certantes, pulchramque petunt per vulnera mortem.
At medias inter cædes exultat c Amazon,
d Unum exerta latus pugnæ, pharetrata Camilla.
Et nunc lenta manu ſpargens haſtilia denſat,
Nunc validam dextra rapit indefeſſa bipennem,
Aurens ex humero ſonat arcus & arma Dianæ.
Illa etiam, ſi quando in tergum pulſa receſſit,

ſ Reſumptis viribus? an quia fugam ex arte & conſilio ſimularant?
t Trojani.
u Alternante impetu receſſuque fluctuant hinc inde undantes viciſſim exercitus, non ſecus atque mare æſtu reciproco fluens refluenſque. Veniliæ ac Salaciæ vicibus actum.
x Statario jam prælio & manu conſerta.
y Non ex ſuis ſtrenuum aliquem, qui latus ſuum tegeret, quem eligendi poteſtas militibus indulta, ut volunt interpretes: namque hoc fiebat ante aciem inſtructam. Sed, quiſque ſibi hoſtem ex adverſo deſtinabat cum quo confligeret.
z Parem in equo Mezentii caſum habes lib. 10. ſub exitu.
a Reſpici hic ad Herminium, qui cum Coclite in ponte ſtetit contra Thuſcos volunt. Alii, ex noratione corporis ingentis, flavi crinis, nudi capitis, vulnerum contemptorum reſpexiſſe poetam ad Herminium Cheruſcorum ducem, qui Qu. Varum cum tribus Rom. legionibus delevit. Et Septentrionales populi, inquit Vegetius l. 1. c. 2. largo ſanguine redundantes ſunt ad bella promptiſſimi.
b Ingeminat dolorem a vulnere duplici, quia transfixa. Alii leg. *duplicatque virum transfixa, dolore*, ut incurvetur Herm. dolore. ἐδυώθη δ' πεσών Il. 2.
c Tanquam Amazon, Amazonis more. ut habeant ſc. hæc bella Italica & ſuam Pentheſileam.
d Siniſtra ſc. mamma nuda & exerta, ſub qua balteum cinctum, dextra vero aduſta erat Amazonibus, quo expeditius tela torquerent, ſagittas mitterent.

e Spicula converso fugientia dirigis arcu.
At circum lectæ comites, Larinaque virgo,
Tullaque, & æratam quatiens Tarpeia securim,
Italides: quas ipsa decus sibi dia Camilla
Delegit, pacisque bonas bellique ministras.
Quales Threïciæ cum *f* flumina Thermodoontis
Pulsant, & pictis bellantur Amazones armis:
Seu circum *g* Hippolyten, seu cum se *h* Martia curru
Penthesilea refert: magnoque *i* ululante tumultu,
Fœminea exultant *k* lunatis agmina peltis.
l Quem telo primum, quem postremum aspera virgo
Dejicis? aut quot humi morientia corpora fundis
Eumenium Clytio primum patre: cujus apertum
Adversi longa transverberat *m* abiete pectus.
Sanguinis ille vomens rivo cadit, atque cruentam
n Mandit humum, morienſque suo se in *o* vulnere versat.
Tum Lirin, Pagasumque super: quorum alter habenas
p Suffosso revolutus equo dum colligit, alter
Dum subit, ac dextram labenti tendit *q* inertem,
Præcipites pariterque ruunt. his addit Amastrum
Hippotadem: sequiturque incumbens eminus hasta
Tereaque, Harpalycumque, & Demophoonta, Chromimque:
Quotque emissa manu contorsit spicula virgo,
Tot Phrygii cecidere viri. procul Orphitus armis
r Ignotis, & equo venator *s* Japyge fertur:
Cui pellis latos humeros erepto juvenco
Pugnatori operit: caput ingens, oris hiatus,
Et malæ texere lupi, cum dentibus albis;
Agrestisque manus armat sparus: ipse catervis
Vertitur in mediis, & toto vertice supra est,
Hunc illa exceptum (*t* neque enim labor agmine verso)
Trajicit, & super hæc inimico pectore fatur:
u Sylvis te, Tyrrhene, feras agitare putasti?
Advenit qui vestra dies muliebribus armis

e Parthorum more, *qui mittunt post terga sagittas.*
f Ripas fluentorum, quæ CIV. se derivant ex Thermodonte fl. Cappadociæ, hodie *Permon*, porro legendum monet Erythæus Thermodontis, a Nom. Θερμώδων.
g Hippolyte & Penthesilea sorores erant reginæ Amazonum, illa Thesco ex quo Hippolytum peperit, hæc bello Trojano nobilitata.
h Bellatrix, uti decet Martis ramos ὄζος Ἄρηος.
i Ἐλελίζουσι, ab ἐλελὺ acclamatione bellica.
k Cetris lunam semiplenam referentibus; aut, ut Plinius, folium ficus Indicæ, quod formam habet Lunæ cum morsu a iquo. vid. p. 114. f.
l Ἐνθα τίνα πρῶτον, τίνα δ' ὕστατον ἐξενάριξεν; Hector. 5. Il. Homeri.
m Hasta abiegna.
n Vide quæ supra ad, *humum semel ore momordit.*
o Sanguine.
p Calcaribus asperius monito. Non *suffuso*, ut legunt, i. cespitante. Ferox equus simul stimulis provocatus & habenis coercitus, sessorem executere molitur, lapsabundo dum succurrit Pagasus, utrumque interficit Camilla.
q Parum efficacem, nihil proficientem.
r Quæ mox numerantur. pro lorica tergus taurinum, pro galea lupi caput, pro hasta sparus.
s Apulo.
t Quod illi non difficile erat, toto agmine in fugam converso unaque Orphito.
u An utique putabas tibi venatori rem esse cum feris? est cum viris; imo cum fœmina; eaque, cujus manu cecidisse tibi laudi erit, & apud inferos solatio.

Verba

Verba redargueret: nomen tamen haud leve partum
Manibus hoc referes, telo cecidisse Camillæ. 689
Protinus Orsilochum, & Butem, duo maxima Teucrûm
Corpora: sed Buten adversum cuspide figit
Loricam galeamque inter, qua colla [x] sedentis
Lucent, & lævo dependet parma lacerto.
Orsilochum fugiens, magnumque agitata per orbem,
Eludit [y] gyro interior, [z] sequiturque sequentem. 695
Tum validam perque arma viro perque ossa securim,
Altior insurgens, oranti & multa precanti
Congeminat: vulnus calido rigat ora cerebro.
Incidit huic, subitoque aspectu territus hæsit
[a] Appenninicolæ bellator filius Auni, 700
[b] Haud Ligurum extremus, dum fallere fata sinebant.
Isque ubi se nullo jam cursu evadere [c] pugna
Posse, neque instantem reginam avertere cernit:
Consilio versare dolos ingressus, & astu,
Incipit hæc. quid tam egregium, si fœmina forti 705
Fidis equo? dimitte [d] fugam & te comminus æquo
Mecum crede solo, pugnæque accinge pedestri:
Jam noscès ventosa ferat cui gloria [e] laudem.
Dixit. at illa furens, acrique incensa dolore,
Tradit equum comiti, paribusque assistit in armis, 710
Ense pedes nudo, [f] puraque interrita parma.
At juvenis [g] vicisse dolo ratus, avolat ipse,
(Haud mora) conversisque fugax aufertur habenis,
Quadrupedemque citum ferrata calce fatigat.
[h] Vane Ligur, frustraque animis elate superbis: 715
Nequicquam patrias tentasti [i] lubricus artes:
Nec fraus te incolumem fallaci perferet Auno.
Hæc fatur virgo, & pernicibus [k] ignea plantis
Transit equum cursu: frænisque adversa prehensis
Congreditur, pœnasque inimico à sanguine sumit. 720
Quam facile accipiter saxo [l] sacer ales ab alto
Consequitur pennis sublimem in nube columbam,
Comprensamque tenet, pedibusque eviscerat uncis:
Tum cruor & vulsæ labuntur ab æthere plumæ. 724

[x] Sessoris equitis.
[y] Breviori sc. gyro & ad centrum tendente. revertendi se, animo, illumque ex compendio adoriendi.
[z] Quod necesse est in circulo redeuntibus. *Volvitur. Ixion & se sequiturque fugitque.*
[a] Liguria majore ex parte Appennino monti subjacet.
[b] Nobilis.
[c] Al. *pugnæ.* ut 10. Æn. *tempus desistere pugnæ.*
[d] Cujus equestri arte intercepisti modo Orsilochum.
[e] Alii leg. *fraudem*, hac mente. Scies illico, utri nostrum fraudi & damno cessura sit inanis gloria.
[f] Jam enim primum in bella descenderat Camilla, nec dum specimen aliquod virtutis ediderat. quo parma insigniri meretur. Vide quæ ad 9. l. *parmaque inglorius alba.*
[g] Evasisse illam. Al. *vexisse.*
[h] Nam Ligures, referente Nigidio, qui Appenninum tenuerunt, latrones, insidiosi, fallaces, mendaces. idem ref. Cato 2 Orig.
[i] Fallax.
[k] Citato cursu & quasi igneo levis, ipsum equitem antevertit. de Camillæ pernicitate dictum 7. l. sub exitu. *Illa vel intactæ segetis per summa volare, &c.*
[l] Putatur Poeta originem ἱέρακα & respexisse, παρὰ τὸ ἱερὰ ἀρπάζειν, vel quia augurib. ἱερὰ ὄρνις.

m At non hæc nullis hominum ſator, atque deorum
Obſervans oculis, ſummo ſedet altus Olympo:
Tyrrhenum genitor Tarchontem in prælia ſæva
Suſcitat, & ſtimulis haud mollibus n incitat iras.
Ergo inter cædes, cedentiaque o agmina Tarchon
Fertur equo, variiſque inſtigat vocibus p alas,
Nomine quenque vocans, reficitque in prælia pulſos.
Quis metus, ô q nunquam dolituri, ô ſemper inertes
Tyrrheni, quæ tanta animis ignavia venit?
Fœmina palantes agit, atque hæc agmina vertit?
Quo ferrum? quidve hæc geritis tela irrita dextris?
At r non in Venerem ſegnes, nocturnaque bella,
ſ Aut ubi curva choros indixit tibia Bacchi,
Expectare dapes, & plenæ pocula menſæ.
Hic amor, t hoc ſtudium, dum ſacra ſecundus aruſpex
Nunciet: ac lucos vocet hoſtia pinguis in altos.
Hæc effatus, equum in medios, moriturus & ipſe,
Concitat, & Venulo adverſum ſe turbidus infert:
u Direptumque ab equo dextra complectitur hoſtem,
Et gremium ante ſuum multa vi concitus aufert.
Tollitur in cœlum clamor, cunctique Latini
Convertére oculos: volat x igneus æquore Tarchon
y Arma virumque ferens: tum ſumma ipſius ab haſta
Diffringit ferrum, & partes z rimatur apertas,
Qua vulnus lethale ferat: contra ille repugnans
Suſtinet à jugulo dextram, & vim viribus a exit.
b Utque volans alte raptum cum fulva draconem
Fert aquila, implicuitque pedes, atque unguibus hæſit:
Saucius at ſerpens ſinuoſa volumina verſat,
Arrectiſque horret ſquammis, & ſibilat ore,
Arduus inſurgens: illa haud minus urget adunco
Luctantem roſtro, ſimul æthera verberat alis.
Haud aliter prædam Tyburtum ex agmine Tarchon
Portat ovans. Ducis c exemplum eventumque ſequuti

m Nec tamen res Trojanas prorſus ad verſas neglexit. Οὐ δὲ ποτε Ζεὺς τρέψεν ἀπὸ ὑσμίνης ὄσσε φαείνω. Il. 16. ſed reſpexit tandem.
n Al. *injicit iras.* indignationem & ulciſcendi animum.
o Peditum.
p Equitum.
q Stupidi dolorem non ſentientes. patienter olim ferentes Mezentii tyrannidem, nunc fugientes fœminam immemores naturæ veſtræ.
r In venerem, amores, & nocturna, cum & pro fœminis, prælia proni alias & alacres.
ſ Nec minus ſegnes in Bacchi feſtis ſicinnida & inconditas choreas ducere ad modum curvæ tibiæ, epularum & poculorum lurcones ſtrenui.
t Hæc diſciplina, hæc militia veſtra eſt in deorum ſacris, ubi aruſpex in lucis immolat, litat, & proſpera nunciat, tuburcinari.
u Hoc cum reſpectu ad hiſtoriam Julii Cæſaris, ita ab hoſte Gallo rapti, ſe ipſo referente in Ephemeride.
x Curſu citatus celeri. ut modo de Camilla.
y Cum Venulum, inquit Scal. 3. Poet. cap. 26. inter brachia Tarchontis audio, video quoque. & c. 28.
z Diffindens ſcrutatur, ut pag. 203. p. cum relatione etiam ad aquilam in comparatione mox ſubjicienda
a Evitat, aut etiam evitare laborat. ſic Entellus, *Corpore tela modo atque oculis vigilantibus exit.* pag. 198. q. Αἰετὸς ὑψιπέτης, &c. Iliad. 12. quos verſus a Cicerone verſos 2 l. Divinat. vide, ut & a Macrob. Homer. poſthabitos l. 5. Sat. c. 13. a Jul. Scal. vindicatos prælatoſque l. 5 Poet. c. 3.
c Ductum & auſpicium, virtutem & felicitatem ſequuti.

d Mæo-

d Mæonidæ incurrunt. tum *e* fatis debitus Aruns
Velocem jaculo & multa prior *f* arte Camillam
Circuit, & *g* quæ sit fortuna facillima tentat.
Qua se cunque furens medio tulit agmine virgo,
Hâc Aruns subit, & tacitus vestigia lustrat:
Qua victrix redit illa, pedemque ex hoste reportat,
Hâc juvenis furtim celeres detorquet habenas.
Hos aditus jamque hos aditus omnemque pererrat
Undique circuitum, & certam quatit improbus hastam.
Forte *h* sacer *i* Cybele Chloreus, olimque sacerdos,
Insignis longe *k* Phrygiis fulgebat in armis,
Spumantemque agitabat equum, *l* quem pellis ahenis
In plumam squamis auroque inserta tegebat.
Ipse *m* peregrina ferrugine clarus & ostro,
Spicula torquebat Lycio *n* Cortynia cornu:
Aureus ex humeris sonat arcus, & aurea vati
Cassida: tum croceam chlamidemque sinusque *o* crepantes
Carbaseos fulvo in nodum collegerat auro,
p Pictus acu tunicas, & *q* barbara tegmina crurum.
Hunc virgo, sive ut templis præfigeret arma
Troïa, captivo sive ut se ferret in auro,
Venatrix, unum ex omni certamine pugnæ
r Cæca sequebatur, totumque *s* incensa per agmen
t Fœmineo prædæ, & spoliorum ardebat amore.
Telum ex insidiis cum tandem tempore capto
Conjicit, & superos Aruns sic voce precatur:
Summe deûm, *i* sancti custos Soractis Apollo,
Quem primi colimus, cui *u* pineus ardor acervo
Pascitur, & medium freti pietate per ignem
Cultores multa premimus vestigia pruna:
Da pater hoc nostris aboleri dedecus armis.
Omnipotens, non exuvias, pulsæve trophæum

d Tyrrheni ex Mæonia, i. Lydia oriundi. l. 8. *Mœonia delecta juventus.*
e Fatale enim erat, ex mandato Dianæ, ut supra, mori illum quisquis Camillam interficeret.
f Fraude & quasi ex insidiis: non ausus congredi.
g Quæ offeratur occasio qua citius & tutius eam intercipere posset.
h Aptissime & ex arte. ut sc. dum Camilla majoris numinis sacerdotem interficere conatur, exauthoretur ipsa suæ Dianæ favore & tutela. adeoque neci pateat.

i alii leg. *Cybelo*, nempe ut mons pro numine quod ibi colitur, ponatur. *k* Thorace πολυμίτῳ & ocreis, quæ mox, *Pictus acu tunicas, & barbara tegmina crurum* *l* Equum Chlorei cataphracti regebat pellis & illa tota æris laminis auratis in modum plumarum aut squammarum cooperta. *m* Hispana ferrugine & ostro, proprie. utroque claruit enim Hispania ferro & cocco, ut & velleribus nativi ferruginei coloris. l. 9 *ferrugine clarus Ibera.* *n* Cretensia. Gortyna enim urbs Cretæ sagittandi arte nobilis. *o* Aureis laminis & signis asperos. *p* Indutus tunicam Phrygia pictam arte & acu. *q* E Phrygio opere ocreas; vel ut quidam, bracchas. Tacit. 18. Annal. *bracchas tegmen barbarum induerat.* *r* Cupidine jocundi horum spoliorum, quibus vel ornaret ex voto templa, vel innato fœminis amore sui his ornandæ. *s* Al. *incauta.* *t* In Falisscorum agro, inquit Plinius lib. 2. cap 2. familiæ sunt paucæ, quæ vocantur Hirpiæ: quæ sacrificio annuo, quod fit ad montem Soracte Apollini, super ambustam ligni struem ambulantes non aduruntur. idem Solinus c. 8. Strabo autem l. 5. in Feroniæ fabulis hoc fieri refert. γυμνοῖς γὰρ ποσὶ διεξιασιν ἀνθρακιὰν καὶ σποδιὰν ἀπαθεῖς. Pyra e prunis pineis.

Vir-

Virginis, aut spolia ulla peto, mihi cetera laudem
Facta ferant: hæc dira meo dum vulnere pestis
Pulsa cadit, patriam remeabo inglorius urbem.
Audiit, & 1 voci Phœbus succedere 1 partem
Mente dedit, z partem volucres dispersit in auras.
1 Sterneret ut subita turbatam morte Camillam,
Annuit oranti: 2 reducem ut patria alta videret,
Non dedit; inque Notos vocem vertêre procellæ.
Ergo ut missa manu sonitum dedit hasta per x auras,
Convertere animos acies, oculosque tulere
Cuncti ad reginam Volsci. nihil ipsa, nec auræ,
Nec sonitus memor, ac venientis ab æthere teli.
Hasta sub y exertam donec perlata papillam
Hæsit, virgineumque alte bibit acta cruorem.
Concurrunt trepidæ comites, dominamque ruentem
Suscipiunt: fugit ante omnes exterritus Aruns,
Lætitia, mistoque metu: nec jam amplius hastæ
Credere, nec telis occurrere virginis audet.
z Ac velut a ille, prius quam tela inimica sequantur,
Continuo in montes sese avius abdidit altos
Occiso pastore b lupus, magnove juvenco,
Conscius audacis facti, caudamque c remulcens
Subjecit d pavitantem utero, sylvasque petivit:
Haud secus ex oculis se turbidus abstulit Aruns,
e Contentusque fuga, mediis se immiscuit armis.
f Illa manu moriens telum trahit: ossa sed inter
Ferreus ad costas alto stat vulnere mucro.
Labitur exanguis: labuntur frigida letho
Lumina: purpureus quondam color ora reliquit.
Tum sic exspirans Accam, ex æqualibus unam,
Alloquitur (fida ante alias quæ sola Camillæ,
Quicum g partiri curas) atque hæc ita fatur:
Hactenus, Acca soror, h potui: nunc vulnus acerbum
Conficit, & tenebris nigrescunt omnia circum.
Effuge, & hæc i Turno mandata novissima perfer:
Succedat pugnæ, Trojanosque arceat urbe:
Jamque vale. simul his dictis linquebat habenas,
Ad terram non sponte fluens: tum frigida toto

1 Τῷ δ' ἕτερον μὲν ἔδωκε πατὴρ, ἕτερον δ' ἀνένευσε. Il. 16. Annuit sc. de occidenda Camilla, abnuit de redeundo in patriam.

2 Voti partem irritam fecit, ventis itaque dedit ludibria, negavit sc. reditum in patriam. Sed vide Jul. Scal. l. 5. Poet. c. 3.

x Nonnulli *auras*. ex secunda forma Græcorum pro *auræ*.

y Sinistram. supra hoc l.

z Hom. Il. 15. de Antilocho filio Nestoris. v. omnino Scal l. 5. c. 3.

a Signate & ornatus gratia: non necessitatis.

b Aruntem lupo comparat, quia Hirpus Samnitum lingua lupum significat. Aruntem vero ex Hirpiarum familia esse volunt.

c Demittens & subter alvum retrahens vide Scal. l. 5. Poet. c. 3.

d Ipse pavitans.

e Contendens fugam. fuga contenta.

f *Ille rapit calidum frustra de vulnere telum.* l. 10. de Pallante.

g Solebat partiri; partiebatur, communicabat.

h Bello potens fui.

i Sui secura, de publico sollicita, ad Turnum mittit mandata.

Pau-

Paulatim exsolvit se corpore: *k* lentaque colla,
Et captum letho posuit caput arma relinquens:
Vitaque cum gemitu fugit indignata sub umbras.
Tum vero immensus surgens ferit aurea *l* clamor
Sidera: dejecta crudescit pugna Camilla.
Incurrunt densi, simul omnis copia Teucrûm,
Tyrrhenique duces Evandrique Arcadis alæ.
At Triviæ custos jamdudum in montibus *m* Opis
Alta sedet summis, spectatque interrita pugnas.
Utque procul medio juvenum in clamore furentum
Prospexit tristi *n* mulctatam morte Camillam,
Ingemuitque, dedirque has imo pectore voces:
Heu nimium virgo, nimium crudele luisti
Supplicium, Teucros conata lacessere bello:
Nec tibi *o* desertæ in dumis coluisse Dianam
Profuit, aut nostras humero gessisse pharetras:
p Non tamen indecorem tua te regina relinquet
Extrema jam in morte: neque hoc sine nomine lethum
Per gentes erit, aut famam patieris inultæ.
Nam quicunque tuum violavit vulnere corpus,
Morte luet merita. fuit ingens *q* monte sub alto
Regis *r* Dercenni terreno ex aggere *s* bustum
Antiqui Laurentis, opacaque ilice tectum.
Hîc dea se primum rapido pulcherrima nisu
Sistit, & Aruntem tumulo speculatur ab alto.
Ut vidit fulgentem armis, ac *t* vana tumentem,
Cur (inquit) diversus abis? huc dirige gressum,
Huc, periture, veni: capias ut digna Camillæ
Præmia: *u* tune etiam telis moriere Dianæ?
Dixit, & aurata volucrem *x* Threïssa sagittam
Deprompsit pharetra, *y* cornuque infensa tetendit,
Et duxit longe, donec curvata coïrent
Inter se capita, & manibus jam tangeret æquis,
Læva aciem ferri, dextra nervoque papillam.
Extemplo teli stridorem, aurasque sonantes
Audiit una Aruns, hæsitque in corpore ferrum.

k Vigore defecta. *inque humeros cervix collapsa recumbit.* l. 9.

l Trojanorum exultantium ob interfectam Camillam.

m Ministra Dianæ, cui ultio Camillæ mandata.

n Al. *mulcatam.*

o In sylvis degenti.

p Neque tamen oblivionis lethe obruet tuum lethum, neque ipsa cades inulta, aut interibis ingloria.

Camillæ epicedium.

q Aut enim in montibus & aggestis tumulis; aut sub pyramidum mole reges sepeliebantur.

r Regis forte antiqui Aborigenum, vel urbis Laurentis. cui certe deest lux Historiæ.

s Sepulchrum.

t Vano Camillæ a se interemptæ honore tumidum. *u* Usque adeo gloriosæ mortis te furiavit ambitio, ut Dianæ telis perire cupperes, violata cæsaque ipsius ministra. *x* Una ex Hyperboreis Nymphis quæ in Thraciam venerunt ad Latonam, educandæ Dianæ gratia. *vel*, tanquam Threïssa venatrix sagittandi arte nobilis. *y* Arcum intendit, sinuavitque, ut adducta cornua circulum implerent dextra, qua nervus tenebatur, papillam tangeret, sinistram sagittæ cuspis. Νδυμὼ μὲν μαζῷ πίλωσεν, τόξῳ δ' ἰδύηρεν. Il. 4.

א Illum exspirantem socii, atque extrema gementem
Obliti, ignoto camporum in pulvere linquunt.
Opis ad æthereum pennis aufertur Olympum.
Prima, [a] fugit, domina amissa, levis ala Camillæ:
Turbati fugiunt Rutuli, fugit acer Atinas:
Disjectique duces, desolatique manipli
Tuta petunt, & equis aversi ad mœnia tendunt.
Nec quisquam instantes Teucros, lethumque ferentes
Sustentare valet telis, aut sistere contra.
Sed laxos referunt humeris languentibus arcus,
[b] Quadrupedumque putrem cursu quatit ungula campum.
Volvitur ad muros caligine turbidus atra
Pulvis & e speculis percussæ pectora matres,
Fœmineum clamorem ad cœli sidera tollunt.
[c] Qui cursu portas primi irrupere patentes,
Hos inimica super misto premit agmine turba;
Nec miseram effugiunt mortem, sed limine in ipso,
Mœnibus in patriis, atque inter tuta domorum
Confixi exspirant animas; pars claudere portas:
Nec sociis aperire viam, nec mœnibus audent
Accipere orantes: [d] oriturque miserrima cædes
Defendentum armis aditus, inque arma ruentum.
Excluſi ante oculos, lacrymantumque ora parentum,
Pars in præcipites fossas, urgente ruina
Volvitur: [e] immissis pars cæca & concita frænis
Arietat in portas, & duros [f] obice postes.
Ipsæ de muris summo certamine matres
(Monstrat amor verus patriæ) [g] ut videre Camillam,
Tela manu [h] trepide jaciunt: [i] ac robore duro,
Stipitibus ferrum, sudibusque imitantur obustis
Præcipites, primæque mori pro mœnibus audent.
Interea Turnum in sylvis sæviſſimus implet
Nuncius, & juveni ingentem fert [k] Acca tumultum:
Deletas Volscorum acies, cecidisse Camillam,
Ingruere infensos hostes, & Marte secundo
Omnia corripuisse: metum jam ad mœnia ferri.

א Camillæ corpus curavit, supra pag. 347. Diana nube cava sublatum tumulo patrio mandandum, Arunti hic, qui illam interfecit neglectum & insepultum jacet.

[a] Trepidatione orta, omnes sibi fuga consulunt. equites, auxilia, cohortes, duces, signiferi deserti & soli derelicti. de maniplis vero dictum supra ad, *Volscorum ecce maniplis.* pag. 344. nor. א

[b] Equitum fragorem imitatur versus dactylicus, ut ille l. 8. *Quadrupedante putrem sonitu quatit ungula campum.*

[c] Trojani una portas ingressi hos in urbe ipsa, inque ipsis domibus cædunt. [d] Qui aditus urbis defendebant, necesse habuerunt & suos ferire, dum hostes una irruentes peterent. [e] Pars fugientium unda & insequentis hostis impetu ruens, more arietis instrumenti, de quo pag. 115. nor. f. dictum, ad portas adfligitur. *quis tam proterve nostras ædes ariet.?* i. pulsat, Plautus in Truculento. [f] Agell. l. 4. c. 17. [g] Secutæ exemplum Camillæ, cujus virtutem in aliena causa vidissent, & ipsæ strenue mœnia defensabant, hostem propellebant, tela certatim mittebant. [h] *Vel*, natura sua, *vel*, festinæ. Scal. 2. l. Poet. c. 14. [i] Pro ferro utuntur palis & sudibus præustis & igne obduratis. [k] Ex mandato Camillæ morientis supra.

Ille *l* furens (nam sæva Jovis sic numina poscunt)
Deserit obsessos collles, nemora aspera linquit.
Vix è conspectu exierat, campumque tenebat,
Cum parer Æneas, saltus ingressus *m* apertos,
Exsuperatque jugum, sylvaque evadit opaca.
Sic ambo ad muros rapidi totoque feruntur
Agmine, nec longis inter se passibus absunt.
Ac simul Æneas *n* fumantes pulvere campos
Prospexit longe, Laurentiaque agmina vidit:
Et *o* sævum Æneam agnovit Turnus in armis,
Adventumque pedum, *p* flatusque audivit equorum:
Continuo *q* pugnas ineant, & prælia tentent:
Ni roseus festos jam gurgite Phœbus Ibero
Tingat equos, noctemque die labente reducat.
Consident castris ante urbem, & mœnia vallant.

l Amens animi, sana sc. mente diis ira volentibus adempta, ut omissa intercipiendi ex insidiis Æneæ opportunitate, se reciperet ad urbis laborantis auxilium.
m Insidiis jam excitos, non, ut ante obsessos.
n Καπνῷ ἐναλιγκίους. *o* Hostem jamque ferocius appropinquantem muros. *p* Hinnitus. *q* Iniissent pugnam, tentassentque prælia, nisi distinuisset utrumque nox interveniens: quam describit ex occasu Solis mergentis se Hesperio æquore, ultra Hispaniam, partim ex opinione Posidonii, cui Sol occidens, ad modum candentis ferri in mari, non sine strepitu tingitur: partim ex opinione vulgi, cui hemisphærium creditur esse plenum, ergo uterque exercitus in armis ante urbem, munitis vallo castris.

ÆNEIDOS LIB. XII.

ARGUMENTUM.

ATtritis duobus adversis præliis, Latinorum viribus, animisque eorum fractis; Turnus, ubi omnem spem suam in seipso sitam videt, frustra dissuadente Latino, reginaque multis cum lacrymis nequicquam retinente, singulari certamine cum Ænea dimicare statuit: ejusque rei Æneam, per quendam ex suis, Idmonem nomine, facit certiorem. Accipit conditionem Æneas, solennique utrinque sacramento fœdus sancitur. Id Junonis impulsu a Juturna nympha, Turni sorore, in falsam Camertis imaginem conversa, perturbatur: primusque omnium Tolumnius, augur falso augurio certam suis victoriam promittens, unum ex Gylippi filiis hasta trajicit. Æneas quoque, dum subiti tumultus caussam ignorans, suos revocare conatur, ab incerto auctore sagitta vulneratus, prælio excedere cogitur. Qua re intellecta Turnus magnam sibi rei bene gerendæ occasionem oblatam ratus, ingentem hostium stragem edit. Interim Venus, decerpto ex Ida Cretensi dictamno herba, filio suo medetur. Refectis viribus Æneas, Ascanium paucis suo exemplo ad virtutem cohortatus, suis auxilio accurrit, Turnumque nominatim ad pugnam deposcit. Verum cum Turnus sui copiam non faceret (Juturna enim, quæ excusso Metisco auriga currum ejus moderabatur, in diversam semper partem habenas deflectens, congredi eos non patiebatur) oppugnandæ urbis consilium capit: admotoque ad mœnia exercitu, in propugnacula proximaque ædificia ignem conjicit. Ibi Amata, cum Turnum occisum arbitraretur, doloris impatientia laqueo vitam finit. His rebus Turno per Sagem nunciatis, cum eo rem

eo rem deductam videret, ut sibi necessario dimicandum esset, nisi perpeti mallet sociorum urbem se inspiciente in hostium potestatem pervenire, ultro Æneam ex præscripto fœderis ad singulare certamen provocat. Ea pugna superior Æneas, cum victi hostis precibus jam pene ad misericordiam flecteretur, conspecto in humeris ejus balteo, quem occiso Pallanti Turnus detraxerat, repente ira accensus, gladio per pectus adacto, eum vita spoliat.

TUrnus ut [a] infractos adverso Marte Latinos
[b] Defecisse videt, sua nunc [c] promissa reposci,
Se signari oculis, ultro implacabilis ardet,
Attollitque animos. Pœnorum qualis in arvis
[d] Saucius [e] ille gravi venantum vulnere pectus,
Tum demum movet arma leo: gaudetque comantes
Excutiens cervice toros, fixumque [f] latronis
Impavidus frangit telum, & fremit ore cruento.
Haud secus accenso gliscit violentia Turno.
Tum sic affatur regem, atque ira [g] turbidus infit:
Nulla mora in Turno, nihil est quod [h] dicta retractent
Ignavi Æneadæ, nec quæ pepigere recusent.
Congredior. fer sacra, pater, & concipe [i] fœdus.
Aut hac Dardanium dextrâ sub tartara mittam,
[k] Desertorem Asiæ (i sedeant, spectentque Latini)
Et solus ferro crimen commune refellam:
Aut habeat victos, cedat Lavinia conjux.
Olli [m] sedato respondit corde Latinus:
O præstans animi juvenis, quantum ipse feroci
Virtute exsuperas, tanto me impensius æquum est
Consulere, atque omnes metuentem expendere casus.
1 Sunt [n] tibi regna patris Dauni, sunt oppida capta
Multa manu: nec non aurumque animusque Latino est.
2 Sunt aliæ innuptæ Latio, & Laurentibus agris,

[a] Accisos jam & vere infractos. Neque enim subscribo Servio exponenti, *ante semper infractos & invictos.* quo sensu vix reperias *infractos* apud autorem legitimum. A nobis stant quam plurimi. Liv. lib. 3. *oratio submissa & infracta.* Seneca de brevitate vitæ, 5. c. idem 90. & 102. Epist. Val. Max. l. 4, c. 7. Alii.

[b] Animos despondisse.

[c] De singulari certamine. l. 11. *Ibo animis contra.* [d] Αλλ' ὅτε κίνητις ἀρηϊθόων αἰζηῶν Δαρὶ βάλῃ. ἰάλῃ τε χανὼν περὶ τ' ἀφρὸς ὀδόντας γίγνεται, ἐν δέ τε οἱ κραδίη στένει ἄλκιμον ἦτορ, &c. Iliad, 20. quamvis comparationem hanc totam esse Virgilii contendit Jul. Scal. 5. l. Poet. c. 3. [e] Κατ' ἐξοχὴν. ut lib. præced. & alibi sæpius. [f] Venatoris, lateris scil. subsessoris, λάθρα vel a latere, insidiantis. Aliis λάτρᾳ. i. mercede conducti, ut λάτρις servus, & latro, lateris custos, stipator, miles. [g] Pro decoro juvenis, illiusque ira & indignatione commoti Latinus contra. *Olli sedato respondet corde.* mox. [h] Respexit ad nuncium Æneæ l. 11. *His decuit mecum concurrere telis.* contemptim autem utitur plurali pro Ænea. [i] Cujus formam habes infra [k] Ex Asia profugum, patriæ desertorem, imo proditorem. [l] Neque ad spectacula refero, neque ad ignaviam Latinis objectam, cum interpretibus: sed ad milites utriusque exercitus in congressu Menelai & Paridis. Il. 3. qui ἵζοντο κλῃ σίχας, ἂμ δὲ ἑκάστῳ ἵπποι αἰθεσίοισι ἔχ ποικίλα τεύχε' ἔκειτο. [m] Modo, not. h. gravi sane consilio & rationibus adductis. 7. dissuadet a μονομαχίᾳ. [n] Tibi regnum satis amplum est, res luculentæ; nec mihi opes & copiæ, nec animus deest. licet tibi res tuas agere sine me: liceat mihi per te meas disponere, neuter ita alterius indiget, ut necesse habeat hoc bellum, has nuptias persequi.

Nec

Nec genus indecores : sine me hæc [o] haud mollia fatu
Sublatis aperire dolis, simul hæc animo hauri.
3 Me natam nulli veterum sociare procorum
Fas erat : idque omnes [p] divique hominesque canebant :
[q] Victus amore tui, [r] cognato sanguine victus,
Conjugis & mœstæ lacrymis, vincla omnia rupi :
Promissam eripui genero ; [s] arma impia sumpsi.
4 Ex illo, qui me casus, quæ, Turne, sequantur
Bella, vides : quantos primus patiare labores,
[t] Bis magna victi pugna, vix urbe tuemur
Spes Italas : [u] recalent nostro Tiberina fluenta
Sanguine adhuc, campique ingentes ossibus albent.
Quo referor toties ? quæ mentem insania mutat ?
5 Si, Turno extincto, socios sum accire paratus,
Cur non incolumi potius certamina tollo ?
Quid consanguinei Rutuli, quid cætera dicet
Italia, ad mortem si te ([x] fors dicta refutet)
Prodiderim, natam & connubia nostra petentem ?
6 Respice [y] res bello varias : 7 miserere parentis
Longævi, quem nunc mœstum patria Ardea longe
Dividit. Haudquaquam dictis violentia Turni
Flectitur : exsuperat magis, [z] ægrescitque medendo.
Ut primum fari potuit, sic incipit ore :
Quam pro me curam geris, hanc precor, optime, pro me
Deponas : lethumque sinas pro laude pacisci.
[a] Et nos tela, pater, ferrumque haud debile dextra
Spargimus, & nostro sequitur de vulnere sanguis.
[b] Longe illi dea mater erit, quæ nube fugacem
Fœminea tegat, & vanis [c] sese occulat umbris.
Ad [d] regina nova pugnæ conterrita sorte
Flebat & ardentem generum moritura tenebat :
Turne, per has ego te lacrymas, per si quis Amatæ
Tangit honos animum (spes tu nunc una senectæ,
Tu requies miseræ : decus, imperiumque Latini
Te penes ; in te omnis domus inclinata recumbit)
Unum oro, desiste manum committere Teucris,

[o] Aspera quidem, sed vera.
[p] Fauni oraculum & vates, redi ad l. 7.
[q] Ego tamen contra fata & responsa Deum, victus amore tui, cognatione, precibus & lacrymis uxoris meæ Amatæ, religionis & fœderis, cum Ænea rupi vincula.
[r] Venilia enim mater Turni, erat soror Amatæ.
[s] Alii ad hiatum versus obstipandum interserunt atque.
[t] Semel : occiso Mezentio l. 10. iterum, Camilla cæsa l. 11.
[u] Ob repetitam cladem, quasi secundo calent.
[x] Quod omen avertant Superi.
[y] Incertos belli exitus, & quos supra dixerat casus.
[z] Quæ furoris remedia sperabat Latinus, sedatam orationem & rationes ponderosissimas : adaugent illa ægrum turbatumque Turni animum.
[a] Ἐπειὴ καὶ ἐμὸν βέλος ὀξύ, Hector ad Achillem Il. 20.
[b] Neque enim semper victori eum eripiet Venus mater nube tectum, ut Diomedi quondam. Il. 5 & Æn. 4. pag. 188. not. f.
[c] Se ipsa. vel se & Æneam infra. At Venus obscuro faciem circumdata nimbo.
[d] Amata regis uxor. Adumbratus est hic locus ex Il. 6. ubi Hectorem ad bella ruentem laborat retinere Andromache, & ex Il. 22. ubi Hecuba idem molitur.

e Quite cunque manent isto certamine casus,
Et me, Turne, manent: simul hæc invisa relinquam
Lumina, nec generum Æneam captiva videbo.
f Accepit vocem lacrymis Lavinia matris
Flagrantes perfusa genas: cui plurimus igne
Subjecit rubor & calefacta per ora cucurrit.
h Indum sanguineo veluti violaverit ostro
Si quis ebur, vel mista i rubent ubi lilia multâ
Alba rosa: tales virgo dabat ore colores.
Illum turbat amor, figitque in virgine vultus.
Ardet in arma magis, pauciscque affatur Amatam.
Ne quæso, ne me lacrymis, neve k omine tanto
Prosequere, in duri certamina Martis euntem,
O mater: l neque enim Turno mora libera mortis.
Nuncius hæc Idmon Phrygio mea dicta tyranno
Haud placitura refer. Cum primum crastina cœlo
Puniceis invecta rotis aurora rubebit,
Non Teucros agat in Rutulos: Teucrûm arma quiescant,
Et Rutulum, nostro dirimatur sanguine bellum:
m Illo quæratur conjux Lavinia campo.
Hæc ubi dicta dedit, rapidusque in tecta recessit,
Poscit equos: gaudetque tuens ante ora frementes,
n Pilumno quos ipsa decus dedit Orithyia,
o Qui candore nives anteirent, cursibus auras.
Circumstant properi aurigæ, manibusque lacessunt
Pectora plausa cavis, & colla comantia pectunt.
Ipse dehinc auro p squalentem, alboque q orichalco
Circumdat loricam humeris: simul aptat r habendo
Ensemque, clypeumque, & s rubræ cornua cristæ:

e Mihi enim certum extincto tibi non superesse.
f Lavinia accepit vocem matris una cum lacrymis. Namque illa interpretum dispositio, Lavinia perfusa lacrymis flagrantes genas, accepit vocem matris, nostro Poeta indigna est. atque insuper lacrymæ sunt Amatæ, non Laviniæ. *Regina flebat*, obtestaturque, *per has ego te lacrymas.*
g Cui verecundia igneum per genas suffuderat ruborem: quorsum enim Hypallage illa? ignis animi subjecit ruborem? h Ὡς δ' ὅτε τις τ' ἐλέφαντα γυνὴ φοίνικι μιήνῃ Μηονίς. Il. 4. i Attrahentia sibi ruborem a vicinia rosarum. k Trahuntur lacrymæ in malum augurium & sui doloris infelix omen. l Non est hæc res libera & arbitrii mei. detrectare certamen non licet; eundum mihi vel ad certam mortem. vide Turnebum lib. 23. cap. 14. m *Ense petas, medio posuit Deus omnia campo.* Pompejus apud Lucanum, lib. 7. n Locum hunc a Criticis vexatum strenue defendit & fuse Turnebus lib. 23. cap. 14. Quid quod & Calabri illud lib. 1. voluit exprimere? ἕζετο δ' ἵππῳ Καλῷ τ' ὠκυάτῳ τε, τὸν οἱ ἄλοχος Βορέαο Ὠπασσ' Ὀρειθυίης, &c. o Λευκότεροι χιόνος θέεσαν δ' ἀνέμοισιν ὁμοῖοι. Iliad. 10. de equis Rhesi. Sed vide Scalig. Poet. lib. 3. cap. 3. & lib. 5. cap. 3. p Aureis laminis contextam, in speciem squammarum depositis. q Ὀρείχαλκος, quasi dicas, æs montanum, an sit fueritve unquam, vide quæ H. Salmuth ad Pancirolum cap. de Orichalco, lib. de reb. perditis. r Ut habilis sit. s Geminas cristas cornua referentes. Neque enim cornua, in galea gestabat, quod de Gallis Diodorus, de Pyrrho scribit Plutarchus. *Cui triplici crinita juba galeâ alta Chimæram sustinuit Turni.* l. 7. p. 263.

Ensem, *t* quem Dauno ignipotens deus ipse parenti
Fecerat, & Stygia candentem tinxerat unda.
Exin, quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus astabat, validam vi corripit hastam,
u Actoris Aurunci spolium; quassatque trementem,
Vociferans. *x* Nunc, ô nunquam frustrata vocatus
Hasta meos, nunc tempus adest: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit: *y* da sternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revulsam
y Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines
z Vibratos calido ferro, myrrhaque madentes.
a His agitur furiis, totoque ardentis ab ore
Scintillæ absistunt; oculis micat acribus ignis.
b Mugitus veluti cum prima in prælia taurus
Terrificos ciet, atque irasci in cornua tentat
Arboris obnixus trunco, ventosque lacessit
Ictibus, & sparsa ad pugnam præludit arena.
Nec minus interea *c* maternis sævus in armis
Æneas *d* acuit Martem, & se suscitat ira,
Oblato gaudens componi fœdere bellum.
Tum socios, mœstique metum solatur Iüli,
e Fata docens: regique jubet responsa Latino
Certa referre viros, & pacis dicere leges.
Postera vix summos spargebat lumine montes
Orta dies, cum primum alto se gurgite tollunt
Solis equi, *f* lucemque elatis naribus efflant:
g Campum ad certamen magnæ sub mœnibus urbis
Dimensi Rutulique viri Teucrique parabant:
In medioque focos, & *h* Diis communibus aras
Gramineas: alii *i* fontemque ignemque ferebant,

t Quem Turni parenti Vulcanus ipse fabricarat, temperatum Stygia aqua.

u Dono acceptam ab Actore Aurunco, quam tamen ille inter alia spolia detraxerat cuipiam hosti, namque honorifica postea mentio Actoris, quæ hosti a se spoliato non convenisset.

x Ita equum suum alloquitur Mezentius sub exitu l. 10.

y *Et nunc ille Paris cum semiviro comitatus*, &c. Hiarbas, p. 170. not. *z*

z Crispatos calamistro, & unguento delibutos.

a Jamque furiato atque atra bile percito inflammatur facies, scintillant oculi. *Hic vero Alcidæ furiis exarserat ater Felle dolor.* Æneid 8. *b* Præludit pugnæ, mugitu, experiendo cornua ad arboris truncum, tanquam ad palum se exercendo, ventilatione, & arena pedum pulsu sparsa, vide p. 57. ubi hi versus. *c* Quæ mater ei impetraverat a Vulcano l. 8. *d* Sedatior Æneæ mens, ut quæ iram lente distringat, acuatque in cote fortitudinis. *e* Esse in fatis, ut ab ipsius victoria Urbi & Imperio æterno jaciantur fundamina. *f* Ennius; *fundant elatis naribus lucem.* ἵπποι πῦρ πνέοντες. Pindarus. Ode 7. Olymp. *igniemque vomentes.* Ovid. 2. Met. *g* Apparatus hic campi, fœderis, certaminis, expressus est ad illum Paridis & Menelai Iliad. 3. *h* Utriusque gentis diis, futuris &c. fœderum utrinque testibus. sic lib. 5. *adhibete penates Et patrios epulis, & quos colit hospes Acestes.* quamvis agnoscam alias & deos communes esse Martem, Bellonam, Victoriam. *i* Adhibita in fœderibus feriendis Aqua, & Ignis, sicut etiam arcendi a societate interdicebantur aqua & igni.

k Velati lino, & l verbena tempora vincti.
Procedit legio Ausonidum, m pilataque plenis
Agmina se fundunt portis: hinc Troïus omnis
Tyrrhenusque ruit variis exercitus armis:
Haud secus instructi ferro, quam si aspera Martis
Pugna vocet: nec non mediis in millibus ipsi
Ductores auro volitant ostroque decori;
Et genus Assaraci Mnestheus: & fortis Asylas,
Et Messapus equûm domitor, Neptunia proles.
Utque dato signo spatia in sua quisque recessit,
n Defigunt tellure hastas, & scuta reclinant.
Tum studio offensæ matres, & vulgus inermum,
Invalidique senes, turres & tecta domorum
Obsedere: alii portis sublimibus astant.
At Juno ex summo, qui nunc Albanus habetur,
(o Tunc neque nomen erat, neque honos aut gloria monti)
Prospiciens tumulo, campum spectabat, & ambas
Laurentum, Troumque acies, urbemque Latini.
Extemplo, Turni sic est affata sororem,
p Diva deam, q stagnis quæ fluminibusque sonoris
Præsidet; (hunc illi rex ætheris altus honorem
Juppiter erepta pro virginitate sacravit,)
r Nympha, s decus fluviorum, animo gratissima nostro,
Scis ut te cunctis unam, quæcunque Latinæ
Magnanimi Jovis ingratum ascendêre cubile,
Prætulerim, t cœlique libens in parte locarim;
Disce tuum (ne me incuses) Juturna, dolorem.
u Qua visa est fortuna pati, Parcæque sinebant
Cedere res Latio, Turnum, & tua mœnia texi:
Nunc juvenem imparibus video concurrere fatis:
Parcarumque dies & vis inimica propinquat.
x Non pugnam aspicere hanc oculis, non fœdera possum.
Tu, pro germano si quid præsentius audes,
Perge, decet; forsan miseros meliora sequentur.
y Vix ea: cum lacrymas oculis Juturna profudit,

k Pro more sacrorum, ubi pura & candida omnia, feciales, cognitores arbitrique pacis & belli, lineis induti vestibus.
l Herba pura sacra, sagmine, proprie. namque ex Capitolii sacro loco poscebant sagmina fecialis, & pater patratus bella indicturi, vel fœdus icturi. Liv. l. 1.
m Stipata, conferta, addensata. Agmina enim vel incedunt *Quadrata* immistis jumentis. vel *pilata* sine jumentis. *trouping.*
n Sic Iliad. 3. παρὰ δ' ἔγχεα μακρὰ πέπηγεν. & ἀτπίσι κεκλιμένοι. in eodem spectaculo.
o Post enim condita est Alba. p Dea divam. Hypallage. Divi enim assumpti sunt, Dii æterni. Quin & Juno Diva, quia Jupiter Divus. sub Divo, vel Dio. i. sub Jove. q Italiæ. numen quippe fontis juxta Numicium fluv. r Nymphæ. i. fontes omnes sub Junonis, i. aeris præsidio sunt, ex causa naturali. s Vel a salubritate, utpote cujus aqua ægrotis medetur; vel a sanctitate, hinc enim aqua ad omnia sacrificia Romam allata. t Hinc Deæ Lutatius Catulus templum fecit in Campo Martio. u Quatenus a fortuna & fatis concessum est, ego protexi fratrem tuum & urbem. x Ἐπεὶ οὔπω τλήσομ' ἐν ὀφθαλμοῖσιν ὁρᾶσθαι Μαρνάμενον φίλον υἱὸν ἀρηϊφίλῳ Μενελάῳ. Priamus 3. Il quin & amica numina morituros deserere dicuntur. y Vix ea fata est Juno, cum Juturna tota in lacrymas solvitur.

Terque

Terque quaterque manu pectus percussit honestum.
Non lacrymis hoc tempus, (ait Saturnia Iuno)
Accelera, & fratrem, si quis modus, eripe morti:
Aut tu bella cie, conceptumque excute fœdus.
Auctor ego audendi. Sic exhortata reliquit
Incertam, & tristi turbatam vulnere mentis.
Interea reges; ingenti [k] mole Latinus
Quadrijugo vehitur curru, cui tempora circum
[a] Aurati bis sex radii fulgentia cingunt;
Solis avi specimen. bigis it Turnus in albis,
Bina manu lato [b] crispans hastilia ferro.
Hinc pater Æneas Romanæ stirpis origo,
[c] Sidereo flagrans clypeo, & cœlestibus armis,
Et juxta Ascanius, (d magnæ spes altera Romæ)
Procedunt castris: [e] puraque in veste sacerdos
[f] Serigeræ fœtum suis, intonsamque bidentem
Attulit, admovitque pecus flagrantibus aris.
[g] Illi ad surgentem conversi lumina solem,
[h] Dant fruges manibus salsas, & tempora [i] ferro
Summa notant pecudum, paterisque altaria libant.
Tum pius Æneas stricto sic ense precatur:
[k] Esto nunc Sol testis, & hæc mihi terra precanti,
Quam propter tantos potui perferre labores:
Et pater omnipotens, & tu Saturnia Iuno,
Iam [l] melior, jam diva, precor: tuque, inclyte Mavors,
Cuncta tuo qui bella, pater, sub numine torques:
Fontesque, fluviosque voco, quæque ætheris alti
Religio, & quæ cæruleo sunt numina ponto.
Cesserit Ausonio si fors victoria Turno,
Convenit Evandri victos discedere ad urbem:
Cedis Iülus agris, nec post arma ulla rebelles
Æneadæ referent, ferrove hæc regna lacessent.

k Pompa & comitatu.
a Corona, radios habens 12. referens signa Zodiaci, argumentum generis sui, cui mater erat Circe filia Solis.
b Vibrans, coruscans; πάλλων. versus hic habetur 1 Æneid.
c Cœlesti munere, opere. Vulcani, cujus inenarrabile textum continens res Rom. & Cæss. in Deos referendos, habet Æneid. 8.
d De hoc hemistichio, & quæ fabulantur de Tullio Cic. vide

Antonium Jov. Pontani. e Καθαρᾷ ἐσθῆτι κεκοσμῆσθαι candida scil. *Casta placent superis, pura cum veste veniri.* Tibul. 2. lib. eleg. 2. Neque enim hic intelligi arbitror, interpretum *puram vestem quæ neque funesta sit, neque fulgurata.* f Porcam in fœderibus feriendis cædi solitam nemo non novit, ex Liv. l. 1. Suetonii Claud. c. 25. supra. Æneid. 8. *Cæsa jungebant fœdera porcâ.* illud non ita forte, Quod in rebus quas augeri volebant, de minoribus & adhuc crescentibus immolabant. porculus itaque hic & ovicula nondum tonsa allati. g Diis superis sacra fiebant Sole oriente, Inferis obeunte. h Prima hostiæ probatio fiebat sparsa mola, vel e frugibus salsis. i. farre tosto & sale misto. Secunda, setis inter cornua vel e fronte hostiæ avulsis vel desectis, inde in ignem conjectis. Tertia, vino inter cornua fuso, & e pateris in aram libato Æneid. 4. & 6. i Cespita ducta a fronte ad caudam notandæ sc. hostiæ. k Cum respectu hæc ad Romani fœderis morem, quem dabit Livius l. 1. *Audi Jupiter, & tu Juno, Quirine, Diique omnes cœlestes, vosque terrestres, vosque inferni audite*, &c. nec non fœdus Græcorum & Trojanorum Il. 3. Omnia tamen apte ad rem præsentem. l Faventior jam & vere Dea.

m Hypallage. Si nobis annuerit victoriam Mars; & noster. i. nobis favens: cum Turno supra fors assignata.

n Modeste, nec minus pie arma & imperii habenas cedit Latino, sibi retinet religionis curam & Pontificatum. Hoc vero a poeta dictum in gratiam Juliæ familiæ, quam penes sacra ab Julo usque. Tacit. 3. Annal. nomen urbis insuper a Lavinia.

o Solem & Lunam.

p Deum patrium, nec non pacis bellique arbitrum.

q Qui fulmine ulciscitur fœdifragos & perjuros.

m Sin nostrum annuerit nobis victoria Martem,
(Ut potius reor, & potius dii numine firment)
Non ego nec Teucris Italos parere jubebo,
Nec mihi regna peto: paribus se legibus ambæ
Invictæ gentes æterna in fœdera mittant.
n Sacra deosque dabo: socer arma Latinus habeto,
Imperium solenne socer; mihi mœnia Teucri
Constituent, urbique dabit Lavinia nomen.
Sic prior Æneas, sequitur sic deinde Latinus,
Suspiciens cœlum, tenditque ad sidera dextram:
Hæc eadem, AEnea, terram, mare, sidera juro,
o Latonæque genus duplex, *p* Ianumque bifrontem,
Vimque deûm infernam, diri sacraria Ditis:
Audiat hæc genitor, *q* qui fœdera fulmine sancit:
r Tango aras, medioque ignes, & numina testor:
Nulla dies pacem hanc Italis, nec fœdera rumpet,
Quo res cunque cadent: nec me vis ulla volentem
Avertet: *s* non si tellurem effundat in undas
Diluvio miscens, cœlumve in Tartara solvat:
t Ut sceptrum hoc (dextra sceptrum nam forte gerebat)
Nunquam fronde levi fundet virgulta nec umbras,
Cum semel in sylvis ima de stirpe recisum
u Matre caret, posuitque comas & brachia ferro:
Olim arbos, nunc artificis manus ære decoro
Inclusit, *x* patribusque dedit gestare Latinis.
Talibus inter se firmabant fœdera dictis,
Conspectu in medio procerum. tum *y* rite sacratas
In flammam jugulant pecudes, & viscera vivis
z Eripiunt, cumulantque oneratis *a* lancibus aras.
At vero Rutulis *b* impar ea pugna videri
Iamdudum, & vario misceri pectora motu.
Tum magis, ut propius cernunt *b* non viribus æquis,
Adjuvat incessu tacito progressus, & aram

r Ex solenni jusjurandum & preces concipientium more. *s* Perpetuitatem fœderis asseverat, adjuncta conditione impossibili, quæ vim habet negationis. q. d. Diluvio prius aut machinæ hujus in Chaos reversæ ruina interibunt omnia, quam pacis hujus fœderisve dissolutio. *t* Expressum hoc ad illud Achillis Iliad. α. Ναὶ μὰ τόδε σκῆπτρον, τὸ μὲν οὔποτε φύλλα καὶ ὄζους Φύσει, &c. *u* Terrane? ut 11. Æneid. *Non jam mater alit tellus.* An Arbore? ut 2. Georg. *Laurus Parva sub ingenti matris se subjicit umbra.* *x* Regibus Latinis. *y* Probatas & exploratas, ut modo not. *b*. *z* Palpitantia enim & adhuc spirantia extra raptim evellebantur victimis ut possent consuli. Æn. 4. pag. 166. d. *a* Quibus proficiæ & ablegmina in focum conjiciuntur. *Lancibus & pandis fumantia reddimus exta* 2. Georg. *b* Quia Æneas animo, ætate, experientia & militari scientia visus melior. Turni vero ad aram accedentis infirmitatem proderent incessus segnis, oculi demissi, tabentes genæ, pallor

Suppliciter venerans demisso lumine Turnus,
Tabentesque genæ, & juvenili in corpore pallor.
Quem simul ac Juturna soror crebrescere vidit
Sermonem, & vulgi variare labantia corda,
In medias acies, formam assimulata Camerti,
Cui genus à proavis ingens, clarumque paternæ
Nomen erat virtutis, & ipse acerrimus armis,
In medias dat sese acies, haud nescia rerum,
Rumoresque serit varios: ac talia fatur:
Non pudet, ô Rutuli, cunctis pro talibus [c] unam
Objectare animam? numerone, an viribus æqui
Non sumus? en omnes & Troës & Arcades hic sunt,
[d] Fatalisque manus, infensa Etruria Turno:
[e] Vix hostem, alterni si congrediamur, habemus.
Ille quidem ad superos, quorum se devovet aris,
Succedet fama, vivusque per ora feretur:
Nos patria missa dominis parere superbis
Cogemur, qui nunc lenti consedimus arvis.
Talibus incensa est juvenum sententia dictis,
Jam magis atque magis, serpitque per agmina murmur.
[f] Ipsi Laurentes mutati, ipsique Latini,
Qui sibi jam requiem pugnæ, rebusque salutem
Sperabant, nunc arma volunt, fœdusque precantur
Infectum, & Turni sortem miserantur iniquam.
His aliud majus Juturna adjungit, & alto
Dat signum cœlo: quo [g] non præsentius ullum
Turbavit mentes Italas, [h] monstroque fefellit.
Namque volans [i] rubra fulvus [k] Iovis ales in æthra,
Littoreas agitabat aves, turbamque sonantem
Agminis aligeri, subito cum lapsus ad undas
Cygnum excellentē pedibus rapit improbus uncis.
Arrexere animos Itali, cunctæque volucres
Convertunt clamore fugam (miserabile visu)
Ætheraque obscurant pennis, hostemque per auras
Facta nube premunt: donec vi victus, & ipso
Pondere defecit, prædamque ex unguibus ales
Projecit fluvio, penitusque in nubila fugit.
Tum vero augurium Rutuli clamore [l] salutant,
Expediuntque manus: primusque Tolumnius augur,
Hoc erat, hoc votis (inquit) quod sæpe petivi.

[c] Turni.

[d] Fugientem Mezentium excepit defenditque Turnus. *Ergo omnis fariis surrexit Etruria justis*, &c. Æneid. 8.

[e] Si secundus quisque nostrum congrediatur. Illis ergo duplo plures sumus: promptum hoc ex illo Agamemnonis de numero Græcorum per decurias confidentium, & pincernis singulis Trojanorum. Il. 2.

[f] Vide vulgi in horas mutati inconstantiam, qui modo bellum execrabantur, Turno infesti ipsum jubebant rem ferro decernere, nunc arma repetunt, fœdus infectum volunt, Turni sortem miserantur. [g] Non efficacius, quia opportunum. vel ex mandato Junonis supra: *Tu pro germano, si quid præsentius audes, Perge*. Alii leg. *præstantius*. [h] Augurio, sed futili, & sinistre excepto expositoque. [i] Summa aeris regione, prope Ignem. [k] Αἰετὸς ἀργὴν χῆνα φέρων ὀνύχεσσι, &c. Odyss. 15. [l] Venerati lætum interpretantur.

m Augurium oblativum in impetrativum vertit, siniſtre interpretatus. *n* Aquilam interpretatur Æneam Italica litora vaſtantem; litoreas volucres, Rutulos; cycnum, Turnum. *o Denſate.* vett. codices. *p* Sic Pandarus Iliad. 3. ſagitta Menelaum vulnerat fœduſque rumpit Æn. 5. pag. 200. q. *q* Haſta cornea. *& bona bello cornus.* Georg. 2. *r* Peditum ordines, proprie in formam cunei redactorum. *ſ* Helleniſm. gemini Accuſativi. Aliis pro *unius* vel *uni.* *t* Qua fibula, *the buckle*, morſu jungit latera baltei.

m Accipio, agnoſcoque deos: me, me duce ferrum
Corripite, ô Rutuli, *n* quos improbus advena bello
Territat, invalidas ut aves, & litora veſtra
Vi populat. petet ille fugam, penituſque profundo
Vela dabit: vos unanimi *o* denſate catervas,
Et regem vobis pugna defendite raptum.
Dixit, & *p* adverſos telum contorſit in hoſtes
Procurrens: ſonitum dat ſtridula *q* cornus, & auras
Certa ſecat. ſimul hoc, ſimul ingens clamor, & omnes
Turbati *r* cunei, calefactaque corda tumultu
Haſta volans, ut forte novem pulcherrima fratrum
Corpora conſtiterant contra, quos fida crearat
Una tot Arcadio conjux Tyrrhena Gylippo:
Horum *ſ* unum ad medium, teritur qua ſutilis alvo
Balteus, & *t* laterum juncturas fibula mordet,
Egregium forma juvenem & fulgentibus armis,
Tranſadigit *ſ* coſtas, fulvaque extendit arena.
At fratres, animoſa *u* phalanx, accenſaque luctu,
Pars gladios ſtringunt manibus: pars miſſile ferrum
Corripiunt, cæcique ruunt: quos agmina contra
Procurrunt Laurentum: hinc denſi rurſus inundant
Troës, *x* Agylinique, & pictis Arcades armis.
Sic omnes amor unus habet decernere ferro.
Diripuere aras, it toto turbida cœlo
Tempeſtas telorum, ac *y* ferreus ingruit imber:
Crateraſque, focoſque ferunt: fugit ipſe Latinus,
z Pulſatos referens infecto fœdere *z* divos.
Infrenant alii *a* currus, aut corpora ſaltu
Subjiciunt in equos, & ſtrictis enſibus adſunt.
Meſſapus regem, regiſque *b* inſigne gerentem
Tyrrhenum Auleſten, avidus confundere fœdus,
Adverſo præterret equo, ruit ille recedens,
Et miſer oppoſitis à tergo involvitur aris
In caput, inque humeros: at fervidus advolat haſta
Meſſapus, teloque orantem multa *c* trabali
Deſuper altus equo graviter ferit, atque ita fatur:
d Hoc habet, *e* hæc melior magnis data victima divis.

u Conferta & inſtructa turba ad modum phalangis Maced. *x* Cærites. l. 7. pag. 259. i. *y Haſtam ſparguni haſtas ſit ferreus imber.* Ennius 8. An. ita hic tempeſtas telorum; alibi, ſagittarum nimbi, & nubes ὀμβρὸς ὀιστῶν, grando, leges, &c. *z* Simulachra Deorum violata. *a* Equos. *b* Diadema. *c* Ingenti inſtar trabis. *d* Vulnus ſc. lethale. formula accepta ab arena & ludo gladiatorio. ubi hac voce uſus victor inſultabat victo. Neque enim placet, quod exponit Scal. lib. 4. Poet. c. 16. Sic, ſic agendum. *e* Sic Entellus 5. l. pag. 199. *Hanc tibi Eryx meliorem animam pro morte Daretis Perſolvo.*

Concurrunt Itali, ſpoliantque calentia membra.
Obvius ambuſtum torrem *f* Chorincus ab ara
Corripit: & venienti Ebuſo, plagamque ferenti
Occupat os flammis: illi ingens barba reluxit,
Nidoremque ambuſta dedit: ſuper ipſe ſequutus
Cæſariem læva turbati corripit hoſtis,
Impreſſoque genu nitens, terræ applicat ipſum:
Sic rigido latus enſe ferit. Podalirius Alſum
Paſtorem, primaque acie per tela ruentem
Enſe ſequens nudo ſuperimminet: ille ſecuri
Adverſi frontem mediam mentumque reducta
g Diſjicit, & ſparſo late rigat arma *h* cruore.
Olli dura quies oculos, & *i* ferreus urget
Somnus: in æternam clauduntur lumina noctem.
At pius Æneas dextram tendebat *k* inermem,
l Nudato capite, atque ſuos clamore vocabat.
Quo ruitis? quæve iſta *m* repens diſcordia ſurgit?
O cohibete iras: ictum jam fœdus, & omnes
Compoſitæ leges: mihi jus concurrere ſoli.
Mè ſinite, atque auferte metus: ego fœdera faxo
Firma manu: * Turnum jam debent hæc mihi ſacra.
Has inter voces, media inter talia verba,
Ecce, *n* viro ſtridens alis allapſa ſagitta eſt:
o Incertum qua pulſa manu, quo turbine adacta:
Quis tantam Rutulis laudem, caſuſne deuſne
Attulerit: preſſa eſt inſignis gloria facti.
Nec ſeſe Æneæ jactavit vulnere quiſquam.
Turnus ut Æneam cedentem ex agmine vidit,
Turbatoſque duces, ſubita ſpe fervidus ardet:
Poſcit equos, atque arma ſimul, ſaltuque ſuperbus
Emicat in currum, & manibus molitur habenas.
Multa virûm volitans dat fortia corpora letho:
Semineces volvit multos, aut agmina curru
Proterit, aut raptas fugientibus ingerit haſtas.
p Qualis apud gelidi cum flumina concitus Hebri
Sanguineus Mavors clypeo *q* increpat, atque furentes
Bella movens immittit equos: illi æquore aperto
Ante Notos Zephyrumque volant: gemit ultima pulſu
r Thraca pedum: circumque atræ Formidinis ora,

f Alterius Chorinci mentio, cæſi ab Aſylo, lib. 9. & Al. *diſcidii*. alii, *diſſidii*.
h Al. *cerebro* ut l. 9. *arma cruenta cerebro*.
i Hom. 22. Il. κοιμήσαλο χάλκεον ὕπνον. i. mortem obiit.
k Quo in fœdere faciendo admoneret omnes pacis.
l Alludi volunt ad Julium Cæſarem, qui ut obequitans a ſuis agnoſceretur, ſuoſque alloqueretur, nudo capite proceſſit in aciem. quod & factitabant alii Imperatores, Cyrus, Annibal, Maſiniſſa, Æmylius, Adrianus, alii.
m Repentina. Alii leg. *recens*.
* Ex convento &

fœdere pacto mihi & Turno debetur hæc pugna, non vobis *n* Æneæ. *o* Auctor vulneris ignotus eſt. creditur tamen ſubmiſſus aliquis a Juturna, ex incuſatione Jovis, infra *Mortalin, decuit violari vulnere divum? & Junonis reſponſo, Juturnam miſero, faceor, ſuccurrere fratri Sinas, & pro vita majora audere probavi: Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.* *p* Οἷος δ' βροδολοιγὸς Ἄρης πολεμόνδε μίτησι. 13. Iliad. *q* Illiſa clypeo haſta. *r* Θρήκη, Thracia.

Iræque, Insidiæque dei *f* comitatus aguntur.
Talis equos alacer media inter prælia Turnus
Fumantes sudore quatit (miserabile) cæsis
Hostibus insultans: spargit rapida ungula rores
Sanguineos, mistâque cruor calcatur arenâ.
Jamque neci Sthenelumque dedit, Thamyrimque, Pholumque:
Hunc *t* congressus, & hunc, illam eminus: eminus ambos
Imbrasidas, Glaucum atq; Ladem: quos Imbrasus ipse
Nutrierat Lycia, paribusque ornaverat armis,
Vel conferre manum, vel equo prævertere ventos.
Parte alia, media Eumedes in prælia fertur,
Antiqui proles bello *u* præclara Dolonis,
Nomine avum referens, animo, manibusque parentem.
x Qui quondam castra ut Danaûm speculator adiret,
Ausus Pelidæ pretium sibi poscere currus.
Illum Tydides alio pro talibus ausis
Affecit pretio: nec equis aspirat Achillis.
Hunc procul ut campo Turnus conspexit aperto,
Ante levi jaculo longum per inane sequutus,
Sistit equos bijuges, & curru desilit, atque
Semianimi lapsoque supervenit, & pede collo
Impresso, dextræ mucronem extorquet, & alto
Fulgentem tinxit jugulo. atque hæc insuper addit:
y En agros, & quam bello, Trojane, petisti,
Hesperiam metire jacens; hæc præmia, qui me
Ferro ausi tentare, ferunt; sic mœnia condunt.
Huic comitem Buten, conjecta cuspide mittit:
Chloreaque, Sybarimque, Daretaque, Therstlochumq;,
Et *z* sternacis equi lapsum cervice Thymœten.
Ac velut *a* Edoni Boreæ cum spiritus alto
Insonat Ægæo, sequiturque ad litora fluctus,
Qua venti incubuere, *b* fugam dant nubila cœlo:
Sic Turno, quacunque viam secat, agmina cedunt,
Conversæque ruunt acies: fert impetus ipsum,
Et cristam adverso curru quatit aura volantem.
Non tulit instantem Phegeus animisque frementem:
Objecit sese ad currum, & spumantia frænis
Ora citatorum dextra contorsit equorum.
Dum *c* trahitur, pendetque jugis: hunc lata retectum

f Dignus Marte comitatus, Formido, Ira, Insidiæ. Iliade vero 4. Δεῖμός τ' ἠδὲ φόβος, καὶ ἔρις ἄμοτον μεμαυῖα, Ἀρηος ἀνδροφόνοιο κασιγνήτη ἑτάρη τε. *t* Cominus. *u* Ironice credo. namque si referat animo & manibus parentem, imbellem esse oportet atque ignavum, talis enim ab Homero describitur Dolon. Iliad. 10. *x* Dolon missus speculatum res Græcorum, a Diomede & Ulysse interceptus, mortem precium se magis dignum tulit, quam quod cum Hectore pactus est, equos Achillis, ad quos imbellis adspirare ausus est.

y Agros quos speraſti tibi tuisque tanquam victoribus dividendos, ea sic metire jacens, tu sis pertica & arvipendium. quali usus Sarcasmo insultat Dorilæ qui fuit *divissimus agri* Halcyoneus, *hoc quod premis*, *inquit*, *habeto De tot agris terræ*. Ov. 5. Met. *z* Ferocis qui sessorem sternit atque excutit. Scal. l. 4. Poet. c. 16. calcitronis. *a* Thraci, nam Edon mons est Thraciæ. *b* Boreas enim αἰθρηγενὴς nubila dissipat, cœlum serenat. *c* Namque dum equos torquet ac trahit, ipse trahitur & pendet jugis.

Lan-

Lancea consequitur, rumpitque infixa bilicem
Loricam, & summum *d* degustat vulnere corpus.
Ille tamen clypeo objecto conversus in hostem
Ibat, & auxilium ducto mucrone petebat;
Quem rota præcipitem, & procursu concitus axis
Impulit, effuditque solo; Turnusque sequutus,
Imam inter galeam, summi thoracis & oras,
Abstulit ense caput, truncumque reliquit arena.
Atque ea dum campis victor dat funera Turnus,
Interea Æneam Mnestheus, & fidus Achates,
Ascaniusque comes castris statuere cruentum,
e Alternos longa nitentem cuspide gressus.
f Sævit, & infracta luctatur arundine telum
Eripere: auxilioque viam quæ proxima poscit:
Ense *g* secent lato vulnus, *h* telique latebram
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.
Jamque aderat Phœbo ante alios dilectus Iäpis
i Iäsides, acri quondam cui captus amore
Ipse suas artes, sua munera lætus Apollo
Augurium citharamque *k* dabat, celeresque sagittas.
Ille, *l* ut depositi proferret fata parentis,
Scire potestates herbarum, usumque medendi
Maluit, & *m* mutas agitare *n* inglorius artes.
Stabat, acerba fremens, ingentem nixus in hastam,
Æneas, magno juvenum, & mœrentis Iüli
Concursu, lacrymisque immobilis. *o* ille retorto
Pæonium in morem *p* senior succinctus amictu,
q Multa manu medica, Phœbique potentibus herbis
Nequicquam trepidat: nequicquam spicula dextra
Sollicitat, prensatque tenaci forcipe ferrum.
Nulla viam fortuna regit, nihil auctor Apollo
Subvenit: & sævus campis magis ac magis horror
Crebrescit, propiusque malum est, jam pulvere cœlum
Stare vident, subeunt equites, & spicula castris
Densa cadunt mediis: it tristis ad æthera clamor
Bellantum juvenum, & duro sub Marte cadentum.

d Libat, levi stringit vulnere.
e Vulnerati pedis passus hastili sustentantem & fulcientem. alter enim pes, qui saucius non erat, sine adminiculo firmos & liberos metiebatur gressus. Tur. 3. l. 13. c.
f Sui contemptor, gloriæ dominus. civium servator, indignatur, sibique irascitur quod saucius ad pugnam procedere nequeat. Scal. 3. Poet. c. 11. neque sibi parcit
g Hamata ergo sagittæ hæc, & quæ citra ἐπωμὰν evelli non posset. barbed.
h Latentem sagittæ cuspidem.
i Medicus Iasii filius.

nec inepte παρὰ τὸ ἰᾶσθαι. a medendo. *k* Dare voluit, offerrebat. *l* Ut produceret vitam patris, quæ jam prope desperata. *m* Si cum ceteris Apollinis artibus Musica & Divinatione comparentur. Alii ad tactum venæ, alii ad empiricen referunt: quam tamen æque ac clinicen exercebant olim medici, qui iidem chirurgi. *n* Cum respectu hoc ad Romanos & alias gentes, quibus medicina non in honore, adeoque servis communicata. *o* Iapis medicus rejecto amictu more medicorum. Pæon enim nomen medici apud Homerum, Il. 5. a quo Pluto curatus. quin & ipse Apollo Pæan dictus. *p* Ad experientiam notandam *senis venit usus ab annis*, intra, longævus. *q* Multa trepidus & properans tentat; sed frustra, nihil valente fortuna, nihil arte.

Hic Venus, *r* indigno nati concussa dolore,
Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
s Puberibus caulem foliis, & *t* flore comantem
Purpureo, *u* non illa feris incognita capris
Gramina, cum tergo volucres hæsere sagittæ.
Hoc Venus, *x* obscuro faciem circumdata nimbo,
Detulit: hoc *y* fusum labris splendentibus amnem
Inficit, occultè medicans: spargitque salubris
z Ambrosiæ succos, & odoriferam *a* Panaceam.
Fovit ea vulnus lympha longævus Iâpis
Ignorans, subitoque omnis de corpore fugit
Quippe dolor, omnis *b* stetit imo vulnere sanguis:
Iamque sequuta manum, nullo cogente, sagitta
Excidit, atque novæ rediere in pristina vires.
Arma citi properate viro: quid statis? Iapis
Conclamat: primusque animos accendit in hostes:
Non hæc humanis opibus: non arte magistra
Proveniunt: neque te, Ænea, mea dextera servat:
Major agit *c* deus, atque opera ad majora remittit.
Ille avidus pugnæ, suras incluserat *d* auro
Hinc atque hinc: oditque moras, hastamque coruscat.
Postquam habilis lateri clypeus, loricaque tergo est,
Ascanium fusis circum complectitur armis:
e Summaque per galeam delibans oscula, fatur:
f Disce puer virtutem ex me, verumque laborem,
Fortunam ex aliis: nunc te mea dextera bello
Defensum dabit, & magna inter præmia ducet,
Tu facito, mox cum matura adoleverit ætas,
g Sis memor, & te animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, & *h* avunculus excitet Hector.
Hæc ubi dicta dedit, portis sese extulit, ingens
Telum immane manu quatiens: simul agmine denso
Antæus, Mnestheusque ruunt: omnisque relictis
Turba fluit castris, tum cæco pulvere campus
Miscetur, pulsuque pedum tremit excita tellus.
Vidit ab adverso venientes aggere Turnus,

r Nato ex vulnere indigne illato, interferiendum fœdus; & ipsi Duci, indignato se detineri jam distrahique a suis.

s Villosa pube lanuginosis, vel succo pubescentibus. ut 4. Æn. *Pubentes herbæ.*

t Dioscorides l. 3. 32. Dictamnum neque semen, neque florem, ferre scribit. Idem tamen c. 34. fatetur aliud genus Dictamni afferri e Creta, in quo flos est agresti origano similis

u Ferunt in Creta capras, cum sagittis feriuntur, Dictamnum quærere ibi nascens, quod ut ederint, excutiunt statim sagittas. Aristot. Ælianus, Plinius, Dioscorides, Plutarch. alii. *x* Aere septa tota, ne videretur. *y* Infusum lebeti aquam, lavando ac fovendo vulneri. *z* Herbæ, cujus 3 Species, sativa, spontanea, tenui folio. *a* Herbam ipso nomine omnia promittentem remedia. ex πᾶν & ἄκος. *b* Sistebat se. *c* Numen, in genere. vel: Venus. ut Æneid. 1. *Decente Deo.* pag. 139. vide notam b. *d* Ocreis aureis, vel auratis. *e* Hector tenerum osculatus filium ἀπὸ κρατὸς κόρυθ' ἕλκτο. Il. 6. bene precatus filio ut evaderet πατρὸς πολλὸν ἀμείνων. *f* Ὦ πᾶι γένοιο πατρὸς εὐτυχέστερος, τὰ δ' ἄλλ' ὅμοιος ἧ γένοιο· οὐ κακὸς. Ajax apud Sophoclem. *g* *Autores referat generosa propago.* respiciat suos; domi enim habet, unde discat. *h* Frater Creusæ, quæ mater Ascanio.

Videre

Vidêre Ausonii: gelidusque per ima cucurrit
Ossa tremor. prima ante omnes Juturna Latinos
Audiit, agnovitque sonum, & tremefacta refugit.
Ille volat, campoque *i* atrum rapit agmen aperto:
k Qualis ubi ad terras abrupto *l* sidere nimbus
It mare per medium (miseris heu præscia longe
m Horrescunt corda agricolis: dabit ille ruinas
Arboribus, stragemque satis, *n* ruet omnia late.
o Ante volant, sonitumque ferunt ad litora venti.
Talis in adversos ductor *p* Rhetéius hostes
Agmen agit: densi cuneis se quisque coactis
Agglomerant. ferit ense gravem Thymbræus Osirim,
Archetium Mnestheus, Epulonem obtruncat Achates,
Ufentemque Gyas: *q* cadit ipse Tolumnius augur,
Primus in adversos telum qui torserat hostes.
Tollitur in cœlum clamor: versique *r* vicissim
Pulverulenta fugâ Rutuli dant terga per agros:
Ipse neque *s* adversos dignatur sternere morti:
t Nec pede congressos, nec equo, nec tela ferentes
Insequitur: solum densa in caligine Turnum
Vestigat lustrans, solum in certamina poscit.
Hoc concussa metu mentem Juturna *u* virago,
Aurigam Turni media inter lora Metiscum
Excutit, & longe lapsum temone relinquit:
Ipsa subit, manibusque *x* undantes flectit habenas,
Cuncta gerens, vocemque & corpus & arma Metisci.
y Nigra velut magnas domini cum divitis ædes
Pervolat, & pennis alta atria lustrat hirundo,
z Pabula parva legens, *a* nidisque loquacibus escas:
Et nunc porticibus vacuis, nunc humida circum
Stagna sonat: similis medios Juturna per hostes
Fertur equis, rapidoque volans obit omnia curru:
Jamque hic germanum, jamque hic ostendit ovantem:
Nec conferre manum patitur. volat *b* avia longe.
Haud minus Æneas tortos *c* legit obvius orbes,
Vestigatque virum, & disjecta per agmina, magna
Voce vocat, quoties oculos conjecit in hostem,

i Pulveris nube coopertum.
k Ἀνέμων ἀτάλαντοι ἀέλλη. Il. 23.
l Tempestate, quam sidus aliquod ortu vel occasu suo ciere solet.
m Ῥίγησέν τε ἰδὼν, Il. 4.
n Eruet, evertet.
o Quomodo nimbum antevolant venti si illum impellant. quia nimbus crassior aer est. itaque ventus post & ante, & cum illo. Jul. Scal. l. 5. Poet. cap. 3.
p Qualis a mari tempestas, talis a promontorio tempestatem referens Æneas, Trojanus a Rheteo promontorio Trojæ.

q Redit in autorem scelus. recidit in Tolumnium augurium, consiliumque pessimum, fœdus ruptum. *r* Vulnerato quippe Ænea Trojani fugiebant. *s* Alii leg. *aversos*. *t* Ἕκτωρ δ' ἄλλους μὲν Δαναοὺς ἔα, οὐδ' ἐνάριζεν. Il. 16. *u* Virile subiens munus, a *vira*, quæ olim fœmina. Ductus autem hic locus ex Il, 5. ubi Pallas inducitur aurigæ supplens officium Diomedi, excusso Sthenelo. *x* Undarum more crispantes & sinuosos. Æn. 5. *undantia lora*. *y* Ad differentiam Ripariarum, quæ species est hirundinis non nigræ, neque ædibus assuetæ. Scal. 3. Poet. c. 27. *z* Muscas. *a* Pullis, qui in nido. *b* Declinat congressum Æneæ. *c* Breviore sc. cursu & gyro interiore occursurus Turno ut l. 11. Orsilocho Camilla.

Alipedumque fugam curſu tentavit equorum,
Averſos toties currus Juturna retorſit.
Heu quid agat? vario nequicquam fluctuat æſtu:
Diverſæque vocant animum in contraria curæ.
Huic Meſſapus, uti læva duo forte gerebat
Lenta levis curſu præfixa haſtilia ferro,
Horum unum certo contorquens dirigit ictu.
Subſtitit Æneas, & *d* ſe collegit in arma,
e poplite ſubſidens: *f* apicem tamen incita ſummum
Haſta tulit, ſummaſque excuſſit vertice criſtas.
Tum vero aſſurgunt iræ, inſidiiſque ſubactus
Diverſos ubi ſenſit equos, currumque referri,
Multa Jovem, & læſi teſtatus fœderis aras:
Jam tandem invadit medios, & Marte ſecundo
Terribilis, ſævam nullo diſcrimine cædem
Suſcitat, irarumque omnes effundit habenas.
Quis mihi nunc tot acerba Deus, quis carmina cædes
Diverſas, obitumque ducum, quos æquore toto
Inque vicem nunc Turnus agit, nunc Troïus heros,
Expediat? tanton' placuit concurrere motu,
Jüppiter, æterna gentes in pace futuras?
Æneas Rutulum Sucronem (ea prima *g* ruentes
Pugna loco ſtatuit Teucros) haud multa moratus,
Excipit in latus, & *h* qua fata celerrima, crudum
Transadigit coſtas & crates pectoris enſe.
Turnus equo dejectum Amycum, fratremque Diorem
Congreſſus pedes, hunc venientem *i* cuſpide longa,
Hunc *k* mucrone ferit: curruque abſciſſa duorum
Suſpendit capita, & rorantia ſanguine portat.
Ille Talon Tanaïmque neci, fortemque Cethegum,
Tres uno congreſſu, & mœſtum mittit Onyten,
l Nomen Echionium, matriſque genus Peridiæ.
Hic fratres *m* Lycia miſſos & Apollinis agris,
Et juvenem exoſum *n* nequicquam bella Menœten
Arcada: *o* piſcoſæ cui circum flumina *p* Lernæ
Ars fuerat, pauperque domus: *q* nec nota potentum

d Clypeo ſe texit adverſus ictum haſtæ, *in clypeum turbatus colligit arma.* Statius 11. l. Thebaid. *e* Se inclinans. ex diſciplina militari. Veget. 2. l. c. 16. aſſueſcant inſurgere tripudiantes in clypeum, rurſuſque ſubſidere. *f* Conum galeæ, vel criſtam in cono. *tamen in de volans ſecum abſtulit haſta Inſigne.* Ennius. Macrob. 6. l. Saturn. c. 1. *g* Non fugientes, ut volunt interpretes: ſed cum duce Ænea perſequentes hoſtem, palabundo fortaſſe agmine & effuſo impetu, donec ventum eſt ad Sucronem militem ſtrenuum, is paulum remoratus eſt ruentium vim, ſtatariamque fecit pugnam. quem tamen Æneas interfecit. *h* *Quaque eſt via proxima letho* Ovid. 3. Met. transfoſſo corde. *i* Haſta. *k* Gladio cæſim. *l* Thebanum genere & filium Peridiæ. Echion autem Cadmi comes in condendis Thebis. *m* Ex Lycia venientes, ubi agri Appollini ſacri. *n* Namque in bello periit. *o* Hinc fictitius ille Acœtes, *Non mihi quæ duri colerent pater arva juvenci, Lanigeroſque greges non ulla armenta reliquit. Pauper & ipſe fuit linoque ſolebat & hamis Decipere, & calamo ſaliens inducere piſces. Ars illi ſua cenſus erat* Ovid. 3. Metam. *p* Paludis in agro Argivo ſeu Mycenæo. *q* Neque enim cliens frequentabat potentiorum Limina. Alii leg. *Munera.* i. obſequia.

Limina.

Limina, r conductaque pater tellure serebat.
s Ac velut immissi diversis partibus ignes
Arentem in sylvam, & virgulta sonantia lauro:
Aut ubi decursu rapido de montibus altis
Dant sonitum spumosi amnes, & in æquora currunt,
Quisque suum populatus iter. non segnius ambo
Æneas Turnusque ruunt per prælia. nunc nunc
Fluctuat ira intus: rumpuntur nescia vinci
Pectora: nunc totis in vulnera viribus itur.
Murranum hic, atavos & avorum antiqua sonantem
Nomina, per regesque actum genus omne Latinos,
Præcipitem scopulo; atque t ingentis turbine saxi
Excutit, effunditque solo: hunc lora, & juga subter
Provolvêre rotæ, crebro super ungula pulsu
Incita, nec domini memorum proculcat equorum.
Ille ruenti Ilo, animisque immane frementi
Occurrit, telumque u aurata ad tempora torquet:
Olli per galeam fixo stetit hasta cerebro.
Dextera nec tua te, Grajûm fortissime x Creteu,
Eripuit Turno: y nec dii texêre Cupentum,
Æneа veniente, sui: dedit obvia ferro
Pectora, nec misero clypei mora profuit ærei.
Te quoque Laurentes viderunt, Æole, campi
Oppetere, & late terram consternere tergo.
Occidis, Argivæ quem non potuere phalanges
Sternere, nec Priami regnorum z eversor Achilles.
Hic tibi mortis erant metæ, a domus alta sub Ida,
b Lyrnessi domus alta, solo Laurente sepulchrum.
Totæ adeo conversæ acies, omnesque Latini,
Omnes Dardanidæ: Mnestheus, acerque Serestus,
Et Messapus equûm domitor, & fortis Asylas,
Thuscorumque phalanx, Evandrique Arcadis alæ:
Pro se quisque viri, c summa nituntur opum vi.
Nec mora nec requies: vasto certamine tendunt.
Hic mentem Æneæ genitrix d pulcherrima misit,
Iret ut ad muros, urbique adverteret agmen
Ocius, & subita turbaret clade Latinos.
Ille ut vestigans diversa per agmina Turnum,
Huc atque huc e acies circumtulit, aspicit urbem,

r Vectigali & stipendiaria, qualem regis Latini agrum Aurunci Rutulique serebant. Æn. 11. pag. 374.
s In segetem veluti cum flamma, &c. Æneid. l. 2. vide. sed geminantur hic flavius & ignis, ut exprimant stragem: hinc inde duorum Ducum.
t Ingenti fragmine montis. lib. 9. pag. 306.
u Propter galeam inauratam. l. 8. gemmas cui tempora flammas Læta vomunt.
x Alterius Creteos Musarum comitis mentio. l. 9. sub exitu.
y Neque dii, quorum sacerdos erat, potuerunt servare Cupentum. Cupentus autem lingua Sabina sacerdotem significat.

z Sublato Hectore, per quem stetit Troja. a Adverte Antitheta. 1 domus. 2 alte. 3 Lyrnessi. 4 sub Ida. 1 sepulchrum 2 humile 3 sub solo 4 Laurente. b Opp. ad radices Idæ, patria Briseidos. Plin. 5. l. 30. c. est & insula Sigæo opposita, eid. 31. c. c Romani scalis summa nituntur opum vi ex Ennii lib. 6. citante Macrob. l. 6. c. 1. d Consilium sane suggessit pulcherrimum. e Oculorum.

Immunem tanti belli, atque impune quietam.
Continuo pugnæ accendit majoris imago,
Mnesthea, Sergestumque vocat, fortemque Serestum,
Ductores: *f* tumulumque capit, quo cætera Teucrûm
Concurrit legio: nec scuta, aut spicula densi
Deponunt: celso medius stans aggere fatur:
Nequa meis esto dictis mora. *g* Juppiter hac stat:
Neu quis ob inceptum subitum mihi segnior ito.
Urbem hodie, *h* caussam belli, regna ipsa Latini,
(Ni frænum accipere, & victi parere fatentur)
Eruam: & æqua solo fumantia culmina ponam.
Scilicet expectem, libeat dum prælia Turno
Nostra pati? rursusque velit concurrere *i* victus?
Hoc caput, ô cives, hæc belli summa nefandi.
Ferte faces propere, *k* fœdusque reposcite flammis.
Dixerat, atque animis pariter certantibus omnes
l Dant cuneum, densaque ad muros mole feruntur.
Scalæ improviso, subitusque apparuit ignis.
Discurrunt alii ad portas, primosque trucidant:
Ferrum alii torquent, & obumbrant æthera telis.
Ipse inter primos dextram sub mœnia tendit
Æneas, magnaque incusat voce Latinum:
Testaturque deos, se invitum ad prælia cogi:
Bis jam Italos hostes, hæc *m* altera fœdera rumpi.
Exoritur trepidos inter discordia cives:
Urbem alii reserare jubent, & pandere portas
Dardanidis: ipsumque *n* trahunt in mœnia regem:
Arma ferunt alii, & pergunt defendere muros.
Inclusas ut cum latebroso in *o* pumice *p* pastor
Vestigavit apes, *q* fumoque implevit amaro:
Illæ intus *r* trepidæ rerum per *s* cerea castra
Discurrunt, magnisque acuunt stridoribus iras.
Volvitur *q* ater odor tectis: tum *q* murmure cæco
Intus saxa sonant, vacuas it fumus ad auras.
Accidit hæc fessis etiam fortuna Latinis,

f Ex more militari, ut armati ad concionem adeant milites, ut ex aggere aut tumulo concionetur Imperator.

g Stat Jupiter pro fœdere, cujus nos religiosi observatores, contra hostes fœdifragos Scal. l. 4. Poet. c. 16. Jupiter hac stat, id est, hic est modus, hæc via imponendi fatis finem. Ex Ennio sumptum citat Macrob. 6. l. 1. c. *Non semper vestra evertit, nunc Jupiter hac stat.*

h Urbemne, an Laviniam, an Amatam? quæ infra, *Se causam clamat, crimenque, caputque malorum.* *i* Cujus jam partes bis victæ. *k* Flammas fœderis renovare, vindicare urbis incendio. *l* Componunt se in cuneum. est autem cuneus, describente Vegetio. l. 3. c. 19. multitudo peditum, quæ juncta cum acie, primo angustior, deinde latior procedit, & adversariorum ordines rumpit. quam milites nominant *caput porcinum* *m* Primum fœdus initum per Ilionem legatum. l. 7. alterum per me ipsum de singulari certamine, hoc ipso lib. utrumque violatum. *n* Ut sit spectator suæ cladis. *o* *Pumicibusque cavis.* l. 4. Georg. vide p. 90. *p* Qui idem mellarius. Apollonius enim 2. Arg. unde noster sumpsit. Ὡς δ' μελισσάων σμῆνος μέγα μηλοβοτῆρες, Ἠὲ μηλισσοκόμοι πέτρῃ ἐνικαπνιόωσιν, &c. vide & 4. Georg. p. 95. *q* Averte Translationes a sensu diversas, ratione aptas, *fumo amaro, ater odor, murmure cæco.* *r* Sollicitæ quid rebus suis agant. *s* Mellaria in cavernosa petra, *cerea regno.* Georg. lib. 4.

Quæ

Quæ totam luctu concussit funditus urbem.
Regina ut tectis venientem prospicit hostem,
[r] Inscendi muros, ignes ad tecta volare,
Nusquam acies contra Rutulas, nulla agmina Turni:
Infelix pugnæ [u] juvenem in certamine credit
Extinctum, & subito mentem turbata dolore,
Se causam clamat crimenque caputque malorum:
Multaque per mœstum demens effata furorem,
Purpureos moritura manu [x] discindit amictus,
Et nodum [y] informis lethi trabe nectit ab alta.
Quam cladem miseræ postquam accepere Latinæ,
Filia prima manu flavos Lavinia crines
Et roseas laniata genas, tum cætera circum
Turba furit: resonant late plangoribus ædes.
Hinc totam infelix vulgatur fama per urbem.
Demittunt mentes: [x] it scissa veste Latinus,
Conjugis attonitus fatis, urbisque ruina,
[z] Canitiem immundo perfusam pulvere turpans:
Multaque se incusat, qui non acceperit ante
Dardanium Æneam, generumque adsciverit ultro.
Interea [a] extremo bellator [a] in æquore Turnus
Palantes sequitur paucos, jam segnior, atque
Iam minus, atque minus successu lætus equorum.
Attulit hunc illi [b] cæcis terroribus aura
Commistum clamorem, [c] arrectaque impulit aures
Confusæ sonus urbis, & illætabile murmur.
Hei mihi, quid tanto turbantur mœnia luctu?
Quisve ruit tantus diversa clamor ab urbe?
Sic ait, [d] adductisque amens subsistit habenis.
Atque huic, in faciem soror ut conversa Metisci
Aurigæ, currumque & equos & lora regebat,
Talibus occurrit dictis: Hac, Turne, sequamur
Trojugenas, qua prima viam victoria pandit.
Sunt alii qui tecta manu defendere possunt.
Ingruit Æneas Italis, & prælia miscet:
Et nos sæva manu mittamus funera Teucris:
Nec [e] numero inferior, pugnæ nec honore recedes.
Turnus ad hæc:
O soror, & dudum agnovi, [f] cum prima per artem

[r] Refertur ad *scalas* supra. explodenda enim lectio *incendi*.
[u] Turnum.
[x] Ex more lugentium & furiatorum. *Tum pius Æneas humeris abscindere ferrum.* Æn. 5. p. 226. *i. it scissa veste Latinus*, infra. *Et scissa gaudens vadit Discordia palla*, sub exitu lib. 8.
[y] An quia se reddit literam longam, ut illa apud Plautum, an quia pœna hæc præposteræ Plinio. infamis certe est & ignominiosa.
[z] Quod in lolore & luctu factitatum. Mezentius l. 10. *canitiem immundo deformat pulvere*. pag. 382. k.
[a] In acie extrema, non inter primos. idque dolo

Iuturnæ, animi sui languore, & equis fatigatis. [b] Clamoribus confusa aura vento impulsa. [c] Metaphora sumpta ab iis animantibus quæ ut a longe audiant, aures surrigunt, quæ etiam timidiora sunt. Æn. 1. *arrectisque auribus adstant*. [d] Animo consternatus & consilii inops adduxit habenas & substitit. [e] Cæsorum a te hostium. [f] Cum tu primum Camerti assimulata, nec minus usa Tolumnii opera fœdus turbasti.

Fœdera

Fœdera turbasti. teque hæc in bella dedisti:
g Et nunc nequicquam fallis dea. sed quis Olympo
Demissam tantos voluit te ferre labores?
An fratris miseri lethum ut crudele videres?
Nam quid ago? aut quæ jam spondet fortuna salutem?
Vidi oculos ante ipse meos, h me voce vocantem
Murranum (quo non i superat mihi charior alter)
Oppetere k ingentem, atque ingenti vulnere victum.
Occidit infelix, ne nostrum dedecus Ufens
Aspiceret: Teucri potiuntur corpore & armis.
Exscindine domos (id rebus defuit unum)
Perpetiar? dextra nec Drancis l dicta refellam?
Terga dabo? & Turnum fugientem hæc terra videbit?
Usque adeone mori miserum est? m vos ô mihi manes
Este boni, quoniam superis aversa voluntas.
Sancta ad vos anima, atque istius inscia n culpæ,
Descendam o magnorum haud unquam indignus avorum.
Vix ea fatus erat: medios volat ecce per hostes
Vectus equo spumante Sages, adversa sagitta
Saucius ora: ruitque implorans nomine Turnum:
Turne, p in te suprema salus, miserere tuorum.
q Fulminat Æneas armis, summasque minatur
Dejecturum arces Italûm, excidioque daturum:
Jamque faces ad tecta volant: r in te ora Latini,
In te oculos referunt. s mussat rex ipse Latinus,
Quos generos vocet, aut quæ sese ad fœdera flectat.
Præterea regina tui fidissima, dextra
Occidit ipsa sua, lucemque exterrita fugit.
Soli pro portis Messapus & acer Atinas
Sustentant aciem: circum hos utrinque phalanges
Stant densæ, t strictisque seges mucronibus horret
Ferrea: tu currum u deserto in gramine versas.
Obstupuit x varia confusus imagine rerum
Turnus, & obtutu tacito stetit, æstuat ingens

g Et nunc assumpta Mitisci aurigæ mei persona & munere.
k Κατὰ τὸ σιωπώμενον. nulla enim mentio supra facta Turni a Murrano (quem Scal. 3. l, Poet. c. 6. vocat Numanum) in auxilium vocati. vel, omen mortis est, sibi audire visi vocem Murrani vocantis. ut 4. lib. *Hinc exaudiri gemitus & verba vocantis Visa viri.*
i Superest, superstes est, vivit.
k Sic Lucret. 1. lib. *Et graviter magni magno cecidere ibi casu.*
l Quænam illa? *dum Troia tentat Castra fugæ fidens.* lib. 11.

m Vos inferi Manes estote mihi morituro propitii: neque enim mei ulterior cura a Diis superis. Ajax apud Sophoclem οὐ κάτοισθαι ἐγὼ θεοῖς ὡς οὐδὲν ἀρκεῖν εἴμ' ὀφειλέτης οὔτι; *nil jam cœlestibus ullis Debentem.* Æneid. 11. de Palante mortuo. n Fugæ, quæ grave viro forti crimen. o Et ipse claris majoribus ortus. Constructio Græca. p Amata. supra, *decus Imperiumque Latini Te penes; in te omnis domus inclinata recumbit.* q *Horrendumque intonat armis.* infra. r *Latini Te signant oculis, tua nunc promissa reposcunt.* supra. ad congressum singularem. s Intra se murmurat, dubius utrum admittat generum, *flent mœsti, mussantque patres.* Æneid. 11. p. 344. s. t *Densisque virum seges horruit hastis.* 2. Georg. u *Extremo bellator in æquore Turnus.* ad quæ vide notam. a supra. x Tot simul rerum nuncio, quarum imago varia animum ipsius distraxit, accepto, & ipse vario confusus est affectu, stupore, pudore, insania, luctu, amore, sui fiducia, vide Scal. lib. 3. Poet. cap. 19.

Imo

Imo in corde pudor, mistoque insania luctu,
Et furiis agitatus amor, & conscia virtus.
y Ut primum discussæ umbræ, & lux reddita menti est,
Ardentes oculorum acies ad mœnia torsit
Turbidus, z eque rotis magnam respexit ad urbem.
Ecce autem flammis inter tabulata volutus
Ad cœlum undabat vortex, turrimque tenebat,
a Turrim compactis trabibus quam eduxerat ipse,
Subdideratque b rotas, c pontesque instraverat altos.
Jam jam fata, soror, superant: absiste morari:
Quo Deus, & quo dura vocat fortuna, sequamur.
d Stat conferre manum Æneæ: stat, quicquid acerbi est,
Morte pati: nec me indecorem, germana, videbis
Amplius: hunc, oro, sine me furere ante e furorem.
Dixit, & è curru saltum dedit ocius auris,
Perque hostes, per tela ruit: mœstamque sororem
Deserit, ac rapido cursu media agmina rumpit.
f Ac veluti montis saxum de vertice præceps
g Cum ruit avulsum vento: seu turbidus imber
Proluit, aut annis solvit sublapsa vetustas,
Fertur in abruptum magno f mons improbus h actu,
Exultatque solo, sylvas, armenta, virosque
Involvens secum: disjecta per agmina Turnus
Sic urbis ruit ad muros, ubi plurima fuso
Sanguine terra madet, stridentque hastilibus auræ:
Significatque manu, & magno simul incipit ore:
Parcite jam Rutuli, & vos tela inhibete Latini,
Quæcunque est fortuna, mea est: me i verius unum
Pro vobis k fœdus luere, & decernere ferro.
Discessere omnes medii, spatiumque dedere.
At pater Æneas, l audito nomine Turni,
Deserit & muros, & summas deserit arces,
Præcipitatque m moras omnes, opera omnia rumpit,

y Quam primum vero turbidam hanc affectuum caliginem dispulerat ratio & mora, sibique lux mentis reddita est.
z E curru.
a Turrim ambulatoriam. de qua Vegetius l. 4. c. 17. & de ratione incendendi eam c. 18.
b Ad motum, ut huc illuc trahi posset. de equo Durateo. 2. Æneid.
c Ad ascensum & discursum militum. l. 2, pag. 289.
d Lege Scalig. lib. 3. Poet. cap. 19. explicantem hanc Turni constantiam.
e Ardentem hunc impetum qui me incitat cum Ænea confligere. *Aut pugnam, aut aliquid jamdudum invadere magnum Mens agitat mihi.* Nisus 9. Æneid. pag. 290. f Ὀλοόιτροχος ὡς ἀπὸ πέτρης, Ὅν τε κατὰ στεφάνης ποταμοὶ χειμάρροος, ἄσῃ Ῥήξας ἀσπέτῳ ὄμβρῳ ἀναίδεος ἔχματα πέτρης, &c. quæ nostro est *improbus mons.* f. pars montis ingens, saxum. g Qui volet affectus, modo dictus in nota x, conferre cum hac ruina impulsa a vento, imbre, vetustate, videbit belle quadrare omnia, ut &, *Exultatque solo, sylvas, armenta, virosque Involvens secum* respondere, *e curru saltum dedit ocius auris, Perque hostes, per tela ruit*, &c. h Agmine, impetu. i Justius, æquius. k Fœderis violati pœnas. l Æneæ hanc magnanimitatem expendit Scalig. lib. 3. Poet. 11. cap. m Institutæ oppugnationis.

Lætitia exultans, horrendumque intonat armis.
[n] Quantus Athos, aut quantus Eryx, aut ipse, coruscis
Cum fremit ilicibus, quantus, gaudetque nivali
Vertice se attollens [o] pater Apenninus ad auras.
Jam vero & Rutuli certatim, & Troës, & omnes
Convertêre oculos Itali: quique alta tenebant
Mœnia, quique imos pulsabant ariete muros:
Armaque deposuere humeris. stupet ipse Latinus,
Ingentes, [p] genitos diversis partibus orbis,
Inter se coïisse viros, & [q] cernere ferro.
Atque illi, ut vacuo patuerunt æquore campi,
Procursu rapido conjectis eminus hastis,
Invadunt Martem clypeis atque ære sonoro.
Dat gemitum tellus. tum crebros ensibus ictus
[r] Congeminant: *fors & virtus miscentur in unum.*
Ac velut ingenti [s] Sila, summove [t] Taburno,
[u] Cum duo conversis inimica in prælia tauri
Frontibus incurrunt: pavidi cessere [x] magistri,
Stat pecus omne metu mutum, [y] mussantque juvencæ,
Quis pecori imperitet, quem tota armenta sequantur.
Illi inter sese multa vi vulnera miscent,
Cornuaque obnixi infigunt: & sanguine largo
Colla armosque lavant: gemitu nemus omne remugit.
Haud aliter Tros Æneas, & Daunius heros
Concurrunt clypeis: ingens fragor æthera complet.
[z] Jupiter ipse duas æquato examine lances
Sustinet, & fata imponit diversa duorum:
[a] Quem damnet labor, & quo vergat pondere lethum.
Emicat hic impune putans, & corpore toto
Alte sublatum consurgit Turnus in ensem:
Et ferit. exclamant Troës, trepidique Latini,
Arrectæque amborum acies. at perfidus ensis
Frangitur, in medioque ardentem deserit ictu,
Ni fuga subsidio subeat: fugit ocior Euro,
[b] Ut capulum ignotum, dextramque aspexit inermem.
Fama est, [c] præcipitem, cum prima in prælia junctos

[n] In nupera comparatione Turnus erat pars montis: Æneas hic complet tres montes: est Αθως mons Thraciæ. Eryx Siciliæ, Apenninus Italiæ.

[o] Montes sacri & religiosi. ergo *pater Apenninus.*

[p] Æneam Asia oriundum, Turnum Europa.

[q] Decernere. ut κρίνειν· στυγερῷ κρίνονται Αρηϊ. Il. 18.

[r] Præpositio auget sonum, & duos designat. Scalig.

[s] Monte & sylva Brutorum, Apenninî parte.

[t] Samnii jugo, quod furcas Caudinas atque valles Iscleri amnis ab dextera ripa claudit. Cluver. l. 4. c. 7. hodie *Tabor.*

[u] Ηὔτε Ταύρω Φορβάδος ἀμφὶ βοὸς κεκοτηότε δηριάασθον. Apollon Argon. 2. l. vide nostrum 3. Georg. pag. 79.

[x] Bubulci, pastores.

[y] Tacite & intra se mugiunt. ut lib. 11. pag. 379. & supra pag. 417.

[z] Il. 22. in pugna Hectoris & Achillis. Καὶ τότε δὴ χρύσεια πατὴρ ἐτίταινε τάλαντα, &c.

[a] A quo frustra labor suscipiatur. Jul. Scalig. lib. 5. cap. 3. cujus expositio præponderat ceteras omnium. Al. quem labor morti destinet, Al. liberet, parta scilicet victoria. ut, *damnabis tu quoque votis.*

[b] Ut gladium ex capulo non suum esse agnovit.

[c] Supra, discusso fœdere festinus *poscit equos atque arma simul.*

Con-

Conscendebat equos, *d* patrio mucrone relicto,
e Dum trepidat, ferrum aurigæ rapuisse Metisci.
Idque diu, dum terga dabant palantia Teucri,
Suffecit: postquam arma dei ad Vulcania ventum est,
f Mortalis mucro glacies ceu *g* futilis, ictu
Dissiluit: fulva resplendent fragmina arena.
Ergo amens diversa fuga petit æquora Turnus:
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Undique enim densa Teucri inclusere corona:
Atque hinc vasta palus, hinc ardua mœnia cingunt.
Nec minus Æneas (quanquam tardante *h* sagitta
Interdum genua impediunt, *i* cursumque recusant)
Insequitur; trepidique pedem pede fervidus urget.
Inclusum veluti si quando in flumine nactus
Cervum, aut puniceæ septum *k* formidine pennæ,
l Venator cursu, *m* canis & latratibus instat:
Ille autem insidiis & ripa territus alta,
Mille fugit refugitque vias: at vividus Umber
Hæret hians: jam jamque tenet, similisque tenenti
Increpuit malis, *n* morsuque elusus inani est.
Tum vero exoritur clamor, ripæque lacusque
o Responsant circa, & cœlum tonat omne tumultu.
Ille simul fugiens, Rutulos simul increpat omnes,
Nomine quemque vocans, notumque efflagitat ensem.
Æneas mortem contra, præsensque minatur
Exitium, si quisquam adeat: terretque trementes,
Excisurum urbem minitans; & saucius instat.
p Quinque orbes explent cursu, totidemque retexunt
Huc, illuc: *q* nec enim levia aut ludicra petuntur
Præmia; sed Turni de vita & sanguine certant.
Forte *r* sacer Fauno foliis oleaster amaris
Hic steterat, nautis olim *s* venerabile lignum:
Servati ex undis ubi figere dona solebant
Laurenti divo, & votas suspendere vestes.
Sed stirpem Teucri nullo discrimine sacram
Sustulerant, puro ut possent concurrere campo.

d Quem Dauno ignipotens Deus ipse parenti fecerat, & stygia candentem inxerat unda. supra.
e Dum properat.
f Mortali manu factus.
g Ἀδρανὴς. impotens, iners. Al. εὐχυτος. fusilis. ut sit quasi glacies fusa & soluta ad arma Vulcania. i. ignem. potius, fragilis.
h Vulnere & sagitta.
i Cursuique vix sufficiunt.
k Linea plumis variis iisdemque ustulatis inter texta suspenditur ad terrendas feras, quo in veras plagas obstantes impellat.
l Venaticus canis ex Umbria canibus generosis nobili.
m Ὡς δ' ὁτε νεβρὸν

ὄρεσφι νύων ἐλάφοιο δίηται, &c. Iliad. 22. *n* Alter in ambiguo est, an sit comprensus, & ipsis Morsibus eripitur, tangentiaque ora relinquit. Ovid. 1. Metam.
o Replicatili echus sono. *p* Alludit ad spatia certaminum currulium 8. 7. quandoque 5. *q* Ἐπεὶ οὐχ ἱερήιον οὐδὲ βοείην Ἀρνύσθην, Ἀλλὰ περὶ ψυχῆς θέειν Ἕκτορ. Iliad. 22. *r* Ante fana oleastri consiti, utpote arbores vivaces, in quibus dona diis suspendebantur. *s* Religione & usu. Naufragio ejectos Neptuno aut alii numinum vestes aliaque ex voto suspendisse nemo ignorat.

Hic

Hic t hasta Æneæ stabat: huc impetus illam
Detulerat fixam, & lenta in radice tenebat.
Incubuit, voluitque manu convellere ferrum
Dardanides, u teloque sequi, quem prendere cursu
Non poterat. tum vero amens formidine Turnus,
Faune, precor miserere, inquit: tuque optima ferrum
Terra tene, colui vestros si semper honores,
Quos contra Æneadæ x bello fecere profanos.
Dixit; opemque Dei non cassa in vota vocavit.
Namque diu luctans, lentoque in stirpe moratus,
Viribus haud ullis valuit discludere morsus
y Roboris Æneas. dum nititur acer, & instat,
Rursus in aurigæ faciem mutata Metisci
Procurrit, fratrique ensem z dea Daunia reddit.
Quod Venus audaci nymphæ indignata licere,
Accessit, a telumque alta ab radice revellit.
Olli sublimes, armis animisque refecti,
Hic gladio fidens, hic acer & arduus hasta,
Insistunt contra, certamine Martis anheli.
Junonem interea rex b omnipotentis Olympi
Alloquitur, fulva pugnas de c nube tuentem:
Quæ jam finis erit conjux? quid denique restat?
d Indigetem Æneam scis ipsa, & scire fateris
Deberi cœlo, fatisque ad sidera tolli.
Quid struis? aut qua spe gelidis in nubibus hæres?
e Mortalin' decuit violari vulnere divum?
Aut ensem (quid enim sine te Juturna valeret?)
Ereptum reddi Turno, & vim crescere victis?
Desine jam tandem, precibusque inflectere nostris:
f Nec te tantus edat tacitam dolor, & mihi curæ
Sæpe tuo dulci tristes ex ore recursent.
Ventum ad supremum est: terris agitare vel undis
Trojanos potuisti, infandum accendere bellum,
Deformare domum, & g luctu miscere hymenæos:
Ulterius tentare veto. Sic Juppiter orsus.
Sic dea submisso contra Saturnia vultu:
Ista quidem quia nota mihi tua, h magne, voluntas

t Conjecta in Turnum fugientem. Adumbratum hoc ex Il. 22.

u Hasta jacta consequi, ferire.

x Loca ab hostibus capta, sacra vel religiosa esse desinunt. Pomponius l. 11. Pandect. tit. 7. Bellum omnia profanat, Macrob. 3. Saturn. c. 3.

y Oleastri mordicus tenentis hastam.

z Juturna, Dauni filia.

a Quod officium Pallas præstat Achilli. Il. 21.

b Al. *omnipotentis*. Sed vide quæ nos supra ad primum versum. l. 10.

c Proprie, ut quæ dea sit regionis imæ aeris.

d Dii indigetes sunt, qui ex mortalibus indigenis in Deorum numerum relati sunt. & quorum priora nomina post ἀποθέωσιν, divinos honores indeptos, & nova nomina adoptata, vulgari non licet, ἀνθρωποδαίμονες, Opici & Topici, ἐγχώριοι.

e Æquumne fuerat Æneam divum futurum vulnerari ut mortalem? *vel* vulnere mortali manu inflicto. sc. ab aliquo a Juturna submisso. supra, *Incertum qua pulsa manu*. pag. 404.

f Si quid animum tuum edat, noli te cruciare, sed amanter potius ad me defer querelas tuas.

g Quod minata fuerat Juno. 7 l. pag. 282. vers. ult. & pag. 275. *Bellona manet te pronuba*.

h Al. *magna voluntas*.

Juppi-

Iuppiter, & Turnum & terras invita reliqui.
Nec tu me aëria solam nunc sede videres
i Digna indigna pati : sed k flammis cincta sub ipsa
Starem acie, traheremque inimica in prælia Teucros.
Iuturnam misero (fateor) succurrere fratri
Suasi, & pro vita majora audere probavi :
Non ut tela tamen, non ut contenderet arcum.
l Adjuro Stygii caput implacabile fontis,
m Una superstitio superis quæ reddita divis.
Et nunc cedo equidem, pugnasque exosa relinquo,
Illud te, nulla fati quod lege tenetur,
Pro Latio obtestor, pro majestate n tuorum:
Cum jam connubiis pacem felicibus (esto)
Component, cum jam leges & fœdera jungent:
o Ne vetus indigenas nomen mutare Latinos,
Neu Troas fieri jubeas, Teucrosque vocari:
Aut vocem mutare viros, aut vertere vestes.
Sit Latium, sint Albani per secula reges:
Sit Romana potens Itala virtute propago.
Occidit, occideritque sinas cum nomine Troja.
Olli subridens hominum, rerumque repertor,
p Es germana Iovis, Saturnique altera proles;
Irarum tantos volvis sub pectore fluctus?
Verum age, & inceptum frustra submitte furorem:
Do quod vis: & me victusque volensque remitto.
Sermonem Ausonii patrium moresque tenebunt:
Utque est, nomen erit: commisti corpore tantum
Subsident Teucri, morem ritusque sacrorum
Adjiciam: faciamque omnes uno ore Latinos.
Hinc genus, Ausonio mistum quod sanguine surget,
Supra homines, q supra ire deos pietate videbis.
Nec gens ulla r tuos æque celebrabit r honores.
Annuit his Iuno, & mentem lætata s retorsit.
Interea excedit cœlo, nubemque reliquit.
His actis, aliud genitor secum ipse volutat:

i Quælibet; ut *facta, infecta, dicenda, tacenda, locutus.*
k Ut Æn. 2. *Ferro accincta.* pag. 138.
l Præter rationes hujus jusjurandi Deorum, quas dedi ad Herc. Furent. Senecæ v. 711. vide quæ Aristoteles 1. Metaphys. c. 3. & quæ Æn. 6. pag. 115. *f.*
m Quæ una religio Diis superstes reddit eos Inferis, obnoxios, si Stygem jurati fallant.
n Latinicæterorumque Regum Italorum, qui a patre tuo Saturno in Latio regnaverunt.
o Aboleatur modo mihi infestum nomen Trojanorum, sub Latino nomine manente,

vel etiam Albano aut Romano vigeat, imperet, det jura triumphato orbi. vide quæ ad *genus unde Latinum.* Æn. 1. pag. 101. g. & Horat. 3. Od. 3. lib. p Non degeneras a patre aut fratre si iram retineas. & hoc tibi indulgendum est, cognationis nomine, ut & indignationem & votum condonem. do ergo quod vis, nomen patrium, linguam & vestes retineant. q Propter inductam religionem; vel, multos e Julia familia relatos in Deos. r Propter templum Junonis in monte Aventino, & Junonia festa celebrata summa populi Rom. propensione; nec non Junonis simulacrum evocatum Carthagine & Romam advectum. s Mutavit, inflecti passa est.

Jutur-

Juturnamque parat fratris dimittere ab armis.
Dicuntur [t] geminæ pestes, cognomine Diræ,
Quas & tartaream Nox intempesta [t] Megæram
Uno eodemque tulit partu, paribusque revinxit
Serpentum spiris, ventosasque addidit alas.
Hæ Jovis ad solium, sævique in limine regis
[u] Apparent, acuuntque metum mortalibus ægris.
Si quando lethum horrificum morbosque deûm rex
Molitur, meritas aut bello territat urbes,
Harum unam celerem demittit ab æthere summo
Juppiter, inque [x] omen Juturnæ occurrere jussit.
Illa volat, celerique ad terram turbine fertur:
Non secus ac nervo per nubem impulsa sagitta,
[y] Armatam sævi Parthus quam felle veneni,
Parthus sive [z] Cydon, telum immedicabile torsit.
Stridens, & celeres incognita transilit umbras.
Talis se sata nocte tulit, terrasque petivit.
Postquam acies videt Iliacas, atque agmina Turni,
[a] Alitis in parvæ subito collecta figuram,
Quæ quondam in bustis aut culminibus desertis
Nocte sedens, [b] serum canit importuna per umbras:
Hanc versa in faciem, Turni se pestis ad ora
Fertque refertque sonans, clypeumque everberat alis.
Illi membra [c] novus solvit formidine torpor:
[d] Arrectæque horrore comæ, [e] & vox faucibus hæsit.
At procul ut Diræ [f] stridorem agnovit & alas,
Infelix crines scindit Juturna solutos,
Unguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis.
Quid nunc te tua, Turne, potest germana juvare?
Aut quid jam miseræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? talin' possum me opponere monstro?
Jam jam linquo acies: ne me terrete timentem
Obscenæ [g] volucres: alarum verbera nosco,
Lethalemque sonum: nec fallunt jussa superba
Magnanimi Jovis, [h] hæc pro virginitate reponit?
Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? possem tantos finire dolores
Nunc certe, & misero fratri comes ire per umbras,

[t] Secernit a sororibus Megæram, utpote huic ministerio a Jove destinatam. Acherontis & Noctis filias esse furias dictum 7. Æneid. pagina 254. ubi de Alecto.

[u] Præsto sunt ad obsequium & mandata Jovis. estque nomen Juris. unde Apparitores Magistratuum.

[x] Quo omine fraterni fati avocaretur Juturna.

[y] Sic lib. 9. *Ungere tela manu ferrumque armare veneno*, qui mos Parthis aliisque barbaris tingere spicula veneno, ut Hercules felle Hydræ.

[z] Cretensis a Cydone urbe Cretæ, quæ insula sagittando clara.

[a] In noctuam contracta, ex Furia. [b] Νύκτερον, ἀείδουσα καὶ ὀψιβοῶντε κολοιοί. Aratus. [c] In Turno insolens. [d] Ὀρθαὶ δὲ τρίχες ἔσαν. Iliad. ω. [e] Æneid. 2. pag. 146. [f] Infelix augurium oscinis in stridore, præpetis in alis. [g] Invidiose, namque de una tantum sermo. [h] Allusum ad διαπαρθένια, munera data pro virginitate delibata. & Juno ad Juturnam supra pag. 367. *Scis ut te cunctis unam, quæcunque Latinæ Magnanimi Jovis ingratum adscendere cubile, Prætulerim.*

i Im-

i Immortalis ego. haud quicquam mihi dulce meorum
Te sine, frater, erit. ô quæ satis ima dehiscat
Terra mihi, manesque deam demittat ad imos?
Tantum effata; caput *k* glauco contexit amictu,
Multa gemens, & se fluvio dea condidit alto.
Æneas instat contra, *l* telumque coruscat
Ingens arboreum; & sævo sic pectore fatur:
Quæ nunc deinde mora est? aut quid jam, Turne, retractas?
Non cursu, sævis certandum est comminus armis.
Verte omnes tute in facies, & *m* contrahe quicquid
Sive animis, sive arte vales: opta ardua pennis
Astra sequi, clausumque cava te condere terra.
Ille caput quassans: non me tua fervida terrent
Dicta ferox, dii me terrent, & *n* Juppiter hostis.
Nec plura effatus, saxum circumspicit ingens,
Saxum antiquum, ingens, *o* campo qui forte jacebat
Limes agro positus, litem ut discerneret arvis.
p Vix illud lecti bis sex cervice subirent,
Qualia nunc hominum producit corpora tellus.
Ille manu raptum trepida torquebat in hostem
Altior insurgens, & cursu concitus heros.
q Sed neque currentem se nec cognoscit euntem,
Tollentemve manu, saxumque immane moventem.
Genua labant, gelidus concrevit frigore sanguis.
Tum lapis ipse viri vacuum per inane volutus,
Nec spatium evasit totum, nec pertulit ictum.
r Ac velut in somnis oculos ubi languida pressit
Nocte quies, nequicquam avidos extendere cursus
Velle videmur, & in mediis conatibus ægri
Succidimus: non lingua valet, non corpore notæ
Sufficiunt vires, *s* nec vox nec verba sequuntur:
Sic Turno (quacunque viam virtute petivit)
Successum *t* dea dira negat: tum pectore sensus
Vertuntur varii: Rutulos adspectat & urbem,
Cunctaturque metu, telumque instare tremiscit.
Nec quo se eripiat, nec qua vi tendat in hostem,
Nec currus usquam videt, *u* aurigamque sororem.
Cunctanti telum Æneas fatale coruscat,

i Sed immortalis sum, *Nec finire licet tantos mihi morte dolores.* Al. *Jam mortalis ego.*
k Dea enim fluvii, cui convenit glaucus amictus. *Tyberinum glauco velabit amictu Carbasus.* l. 8. pag. 268.
l Hastam quæ magnitudine referebat integram pinum, fraxinum, aliamve arborem.
m Παντοίης ἀρετῆς μιμνήσκεο, &c. Achilles Hectori. Il. 22.
n Juppiter mihi infensus. Alii terrent me Dii & Juppiter, Ænea ferox hostis,
o Τὸν ῥ' ἄνδρες πρότεροι θέσαν ἔμμεναι οὖρον ἀρούρης. Il. 21.
p Ὁ οὐ δύο γ' ἄνδρε φέροιεν Οἷοι νῦν βροτοί εἰσι, δέ μιν ῥέα πάλλε καὶ οἶος. Il. 5.
q Sed eventu irrito, quia ipse præ formidine nec mentis nec virium compos.
r Ὡς δ' ἐν ὀνείρῳ οὐ δύναται φεύγοντα διώκειν, &c. Il. 22. vide Jul. Scalig. lib. 5. Poetices c. 3. Sunt qui ad ἐφιάλτην referunt.
s *Clamor frustratur hiantes*, Æneid. 6. l.
t Furia.
u Sic Hector se destitutum advertens Deiphobo, cujus formam induerat Pallas ut ipsum sisteret, animum despondit Iliad. 22.

x Ser-

x Sortitus fortunam oculis, & corpore toto
Eminus intorquet. murali concita nunquam
Tormento sic saxa fremunt, nec fulmine tanti
Dissultant crepitus: volat atri turbinis instar
Exitium dirum hasta ferens, orasque recludit
Loricæ, & clypei extremos septemplicis orbes
Per medium stridens transit femur. incidit ictus
Ingens ad terram duplicato poplite Turnus.
y Consurgunt gemitu Rutuli, totusque remugit
Mons circum, & vocem late nemora alta remittunt.
Ille z humilis, supplexque oculos, dextramque a precantem
Protendens; Equidem merui, nec deprecor (inquit;)
b Utere sorte tua. c miseri te siqua parentis
Tangere cura potest, oro (fuit & tibi talis
Anchises genitor) Dauni miserere senectæ:
d Et me, seu corpus spoliatum lumine mavis,
Redde meis: vicisti; & victum tendere palmas,
Ausonii vidêre: tua est Lavinia conjux.
Ulterius ne tende odiis. Stetit acer in armis
Æneas volvens oculos, dextramque repressit.
Et jam jamque magis cunctantem flectere sermo
Cœperat, e infelix humero cum apparuit alto,
Balteus, & notis fulserunt cingula f bullis
Pallantis pueri, victum quem vulnere Turnus
Straverat, atque humeris g inimicum insigne gerebat.
Ille oculis postquam sævi monumenta doloris
Exuviasque hausit, furiis accensus, & ira
Terribilis: Tune hinc spoliis indute meorum
Eripiare mihi? Pallas te hoc vulnere, h Pallas
i Immolat, & pœnam scelerato ex sanguine sumit.
Hoc dicens, ferrum adverso sub pectore condit
Fervidus. ast illi solvuntur frigore membra,
Vitaque cum gemitu fugit k indignata sub umbras.

x Opportunitatem sibi forte oblatam loci corporis ubi Turnum feriret, nactus Æneas. Εἰσορόων χρόα καλὸν, ὅπη ἔιξειε μάλιστα. Il. 22.

y A Rutulis sublatus insurgit gemitus.

z Victus & humi stratus.

a Sublatam more supplicum.

b Interfice hostem tuum, in quem fortuna tibi potestatem indulsit.

c Non est quod mihi parcas causa mea. ego quidem mori meritus sum: Sed tamen, in gratiam patris mei senis Dauni, miserere. memor quam gravis foret tuo patri mors filii immatura.

d Et me, si non vivum, mortuum saltem redde meis.

e Lethalis sc. Turno, Æneæ in memoriam revocans cæsum a Turno Pallantem.

f Quibus stellatum & inoculatum fuit baltheum.

g Quod ipse ad gloriam gestabat, utpote spolium hosti ereptum.

h Iteratum Pallantis nomen denotare videtur ictum repetitum. Amici insuper nomini & memoriæ ultionem, quasi necessariam imputat.

i Tanquam inferias Pallantis manibus gratas futuras, adversus eos qui sævitiam Æneæ in supplicem incusant, habes patrocinium Jul. Cæs. Scal. lib. 2. Poet. cap. 11.

k Οἱ μὲν εὔψυχοι ξὺν ὀργῇ τελευτῶσιν; οἱ δ' ἀθυμετεροὶ ξὺν δέει. Philostratus lib. 8. vitæ Apollonii.

FINIS.